6
39-A
10



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

75.6.1.
75
A
1

6-39-A-10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAURUS ELECTORALIS BRANDENBURGICUS SELECTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

A. Terwesten. inv:
C. F. Blesendorff. f.

Digitized by Google

THESAURUS BRANDENBURGICUS SELECTUS:

SIVE

GEMMARUM,

ET

NUMISMATUM GRÆCORUM,

IN

CIMELIARCHIO ELECTORALI BRANDENBURGICO,

ELEGANTIORUM

SERIES,

COMMENTARIO ILLUSTRATÆ

A

L. BEGERO,

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO AB ANTIQVITATIBUS ET BIBLIOTHECA.



COLONIÆ MARCHICÆ;
TYPIS ET IMPENSIS ELECTORALIBUS,
Excudit ULRICUS LIEBPERT, Typogr. Elect. Brand. M. DC. XCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Samuel Blesendorff. S. E. B. Sculptor fecit Anº 1696.

D gitized by



SERENISSIMO & POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO
TERTIO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI:
SUPREMO BORUSSIAE PRINCIPI MAGDEBURGI,
CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM,
CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ,
DUCI: BURGGRAVIO NORIMBERGENSI: PRINCIPI HAL-
BERSTADII, MINDÆ, ET CAMINÆ: COMITI HOHENZOLLE-
RANO, MARCÆ, ET RAVENSBERGÆ: DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, DITIONUMQVE LAUENBURG ET
BUTAU, &c. &c. &c.

DOMINO suo CLEMENTISSIMO

AUTHOR.

SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME.

NIsi in SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS *famulatu essem, merita Tua fastigii dicerem plusquàm terrestris; Quotusquisque enim vel Regum vel Imperatorum, gloriosis in omnibus eò unquam pervenit gloriæ, ut sago indutus, togæ officia simul impleverit? amictusque togâ nihil intermiserit, quod sagum requirit? Pacis artibus æternitatem famæ meruit* PHILADELPHUS: *Virtute bellicâ admirationem sui Mortalibus incussit* ALEXANDER; *At Tu,* SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, *quæ Illi inter se partiti sunt, amicô nexu conjungis, ostendisq; Sole meridianô clariùs, &* MARTIS TE, *&* APOLLINIS *implere Gloriam. Martii Tui labores, & invictum Exercituum Tuorum* TE DUCTORE *robur, fulgidissimum Heroici Tui pectoris indicium sunt. Bibliotheca Tua, quam inter bellicas necessitates, Regiis sumptibus & auges & exornas, indicium est faventissimi*

simi Tui in Musas Genii, quo & Artium & Disciplinarum omnium culmina radiant, quàm latè felicissima Sceptri Tui extenditur dominatio. Ad utrumque Tibi fervet ardor, sanè plusquàm terrestris: & si de ardore ex successu judicium ferre licet, Deo amicum dixerim, adeò Regiis Tuis conatibus cœlestis undique adspirat favor.

Non Victorias Tuas loquar: Non Quietem subditorum fundatam: Non fulcra solii Tui stabilita. Omnia hæc jamdudum candidioris famæ buccina Æternitati sacravit. Unicum adduco, quod etsi superiora attingere fortassis non videatur, omnia tamen in se complectitur: unde & nescio, annon inter præcipua sit collocandum.

Reliquerat DIVUS PARENS TUUS, HEROS GLORIOSISSIMUS, *meritoque cognomine* MAGNUS, *præter aliam supellectilem Antiquariam, etiam Numismatum series satis abundantes: Reliquerat, ut reliquit tot fidelium Subditorum myriades, tot Urbium Provinciarumque catervas, Tot illustria terrenæ magnitudinis insignia. Reliquerat* TIBI, SERENISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR: TIBI, *inquam, quem æternus Universi & Conditor & Moderator* TANTI HEROIS *successorem jamdudum paraverat, duplicique Paterni spiritûs abundantiâ eum in finem repleverat, ut* SCEPTRI BRANDENBURGICI *Gloriam, quam* DIVUS PARENS *evexerat, eô inter sidera receptô, ad destinatum culmen, digno tantâ Majestate brachio deduceres.*

Agno-

DEDICATIO.

Agnoviſti benevolentiam Cœli, SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, & ut obſequioſo ei conatu reſponderes, non tantùm Pacis Bellique negotia, ſtatim ab initio Regiminis Tui, Heroico ardore ſuſcepiſti, & hactenus gloriosè adminiſtraſti: Non tantùm aliis Sereniſſimæ Familiæ decoribus & excolendis & amplificandis operam dediſti; Sed etiam, quod mihi ſeparatim memorare liceat, augendis Antiquitatum Tuarum Theſauris tantâ magnificentiâ incubuiſti, ut dubius eſſem, ad complementum eorum an quicquam accedere poſſet, niſi temporis decurſus quotidie adhuc incognita quædam ex Terræ viſceribus erueret.

Sed nullibi Tua Gratia deeſt. Ut tantò nobiliore ſucceſſu exſpectationi Literati Orbis reſponderes, non tantùm mihi, Gazæ Tuæ Antiquariæ jam pluribus ab annis cuſtodi, ad Paternum exemplum, Clementiæ Tuæ verè Regiæ aperuiſti jubar; ſed & in officio lautioribus conditionibus confirmatum, ſelectiſſimas Series juſſiſti adornare, in quibus nihil ſuperfluum eſſet, nihilque contineretur Antiquitatis non indubitatæ.

Nondum ſtetit Generoſa SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS Magnanimitas. Si quid Cimeliarchio Tuo adhuc accedere poſſet, ut Tuis id ſumptibus undique coëmerem, Electorali Reſcriptô mihi imperaſti: Et quod caput rei eſt, ne intra parietes latitaret uberrimus ille Antiquarum deliciarum Theſaurus, in mandatis mihi dediſti, ut potiora ſeligerem,

Tuis-

Tuisque auſpiciis, Tuâque Munificentiâ, ære expreſſa, convenientique Commentario illuſtrata publicarem.

Parui Clementiſſimis juſſibus Tuis, SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR. *Et ne Doctorum exſpectationi Tuam gratiam videar negaturus, ex Seriebus, quas poſſides locupletiſſimas, nobiliora ſelegi, publicisque uſibus præſenti Volumine, ut imperaſti, exponere aggredior.*

Hæc ea res eſt, SERENISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, *quâ magnificentiſſimos Tuos Triumphos mihi adæquare videris; Tuo enim munere volitabunt per ora virorum, tanquam reſuſcitatæ, tot Antiquorum Regum & Imperatorum facies: Noſcentur eorundem facta illuſtria & virtutes: Rituſque, & alia, quæ indubitatis ex monumentis expromere, Tuâ,* SERENISSIME, *gratiâ mihi licet. Omnia hæc talia ſunt, quæ Antiquitas quidem ſuppeditat; Sed & talia, in quibus etiam* TE, *quem dudum novit, denuò veneretur eruditus Orbis.*

Quis leget Deorum vanitatem & Gentilium ſuperſtitionem, niſi & ſimul ſplendidiſſimum Chriſtianæ Veritatis adoret jubar, quod Tu profiteris, quodque per TUAS *Regiones latè diffuſum, & promoves & defendis? Quis intuebitur Virtutes, niſi & Tuas ſibi in mentem revocet? Quis artes Imperatorias, niſi & eas, quas Tu feliciſſimo Regimini Tuo impendis? Heroum hîc ſunt facinora, qualibus Tu Terrarum Orbem jam dudum impleviſti. Merita Regum hîc ſunt & Imperatorum, ſed pleraque laudanda, qualia Tu publicæ ſaluti conſecras.*

ſecras. Taceo imagines, cùm omnibus unus Tu præpoſitus ſis, qui omnium merita ſolus adæquas. Jamdudum Coronas quærit Terrarum Orbis, quibus dignè Tuam Frontem præcingere poſſit; Sed en! etiam harum hîc ectypa ſunt. Querceam *Tibi imponunt Cives Tui:* Lauream *porrigunt proſtrati hoſtes:* Muralem *arces domitæ:* Vallarem *Caſtra occupata:* Obſidionalem *Urbes liberatæ:* Navalem *aperta Oceani clauſtra. Hîc ſunt* Arcus & Tropæa, *qualia Tua Virtus meretur: Hîc* perpetuitas Imperii, famæque æternitas *quæ Merenti calidiſſimis votis apprecantur Boni.*

Si mihi non licet Te laudare, SERENISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR; *At licebit cum bonis exclamare:* FRIDERICE ELECTOR, *Deus Te ſervet! Patriæ Pater,* FRIDERICE TERTIE, *Deus Te ſervet! Principem Te, aut qualis Tu es, ſemper optavimus. Tu Hoſtium Fulmen! Tu Civium Tutela! Tu invictus Heros! Tu Muſarum Columen! Te ſalvô ſalvi ſumus! Te felice felices! Deus Te ſervet,* PRINCEPS OPTIME!





AD LECTOREM PRÆFATIO.



N primo Librorum aditu Lectores alloqui, vulgaris equidem, ſed & utilis & neceſſarius Scribentium mos eſt; Majore enim cum fructu rem aggrediuntur, minoreque cum offendiculo deinceps procedunt, quicunque in limine præmoniti, & inſtituti rationes, & quâ quæque ex cauſâ fuerint acta, didicerunt. Id ante me obſervârunt etiam ii, quorum ſcripta æterno cum famæ candidioris elogio per ora virorum volitant; Mihi autem tantò magis videtur curandum, quantò plura ſe ſiſtunt Lectori meo in limine memoranda.

Equidem de inſtituto nemo arbitror me culpaverit; præter enim, quòd Electorali mandato me tuear, illud ſanè vel maximum nobiliſſimæ Antiquitatum Scientiæ augmentum adferre poſſet, ſi quorumcunque Cimeliarchiorum rariora, ære expreſſa, & Commentariis illuſtrata publicarentur. Id ut ante decennium in THESAURO PALATINO feci, ita & nunc, poſtquam is ELECTORALI BRANDENBURGICO acceſſit, ideò iterandum duxi, quòd non tantùm ad ipſa Theſauri Palatini Numiſmata non pauca notaveram, quorum notitia Publico non erat invidenda; ſed etiam, & quidem præcipuè, quòd utriusque Electoris Brandenburgici, & Divi

FRIDERICI WILHELMI MAGNI, & FRIDERICI TERTII, & pace & bello glorioſiſſimi, Regia Liberalitas plura coacervaverat, quibus novus ſplendor videbatur accedere poſſe.

Vides, Amice Lector, quicquid laboris hoc eſt, id omne tuo dicari commodo. Neque tamen ſoli commodo litandum cenſui; Sed memor notiſſimi illius:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,

Etiam delectationi operam dedi. Hoc fine Opus dividendum cenſui, ne vel craſſities ejus crearet moleſtiam, vel mora temporis minueret exſpectationem: Hoc fine Capitum principia glorioſis quibusdam Jovis BRENNONICI meritis exornavi, Commentariumque non ſtylo didactico, ſed dialogiſtico propoſui, ut ſcilicet lectio jucundior foret, ſimulque controverſiæ, & contra ſentientium opiniones, eò commodius proponerentur & ſimul enodarentur. Ita nec Sculpturas negligendas putavi; ſed ut ea, quæ in Theſauro Palatino viſuntur, propoſito dignè accommodarentur, reliquaque conſimili elegantiâ conſurgerent, *Johannem Carolum Schottum*, meum ex Sorore nepotem, pluribus ab annis & Studio Antiquitatis, & Numiſmatum Gemmarumque delineationibus & ſculpturis exercui, quibus in utrisque ille tanta etiam cum ſolertia proceſſit, ut ſi Deus faveat, ſpe non inani confidere poſſim, & ipſum aliquando deliciis noſtris operam navaturum, non omninò contemnendam. Quid is in ſculpturis profecerit, Operis propoſiti teſtabuntur Gemmæ ad unam omnes, teſtabuntur Numiſmata, quæcunque Palatinis acceſsére; Utraque enim ſuâ manu & delineavit & æri incîdit. In ornamentis, quæ paſſim radiant, præter Hunc, idem præſtitit *Samuel Bleſendorff*, Sculptor Electoralis Brandenburgicus, cujus artificium celebrius eſt, quàm ut meo calamo commendari debeat: adeò ut non videam, quid ſculpturarum vel perfectioni, vel nitori deeſſe poſſit.

Si de Gemmarum Numiſmatumque magnitudine quæras, ita habe! Gemmas majuſculas, ſuo quascunque modulo delineandas curavi, minuſculas autem duplo plerasque majore. Illas, ne laudi quid detraherem: Has, ut figuræ eò conſpectiores forent. Eadem ratio & in minimis dominatur: Etiam has majuſcula delineatione dignatus ſum, in Commentario tamen minimas eſſe, plerumque indicavi. Neceſſitas me huc adegit, cùm figura Gemmarum diverſa nullo univerſali ſchemate potuerit ſignificari. In Numiſmatibus, utpote rotundis omnibus

bus, res aliter ſe habet. Ad receptum in his morem, Literas addidi, Circulis Præfationi ſubjectis reſpondentes, ex quibus indubiè patere poteſt, cujus quodcunque reipſa magnitudinis ſit; Nec eſt quod vitio mihi detur major eorum & æqualis delineatio, cùm & hîc viſui conſulendum fuerit, nec ego ſim vel ſolus, vel primus, qui ejusmodi methodo utar. Eâdem uſi ſunt Goltzius, Biæus, aliique. Sed de Antiquitate videndum!

Hîc fateor, Gemmis etiam eas me addidiſſe, quæ genuinæ videri non poſſent; Ne tamen fraude agerem, peculiari eas Capite propoſui, eâ potiſſimùm ratione arbitratus non omittendas, quòd rerum expreſſarum non elegantiâ tantùm, ſed & diverſitate, & raritate, Lectorem poſſent, ſi non confirmare, tamen delectare & illuſtrare. In Numiſmatibus omnia genuinæ Antiquitatis eſſe, pluraque tum in his, tum etiam in Gemmis me dilucidaſſe, hactenus obſcura, ſecurus & citra vanitatis jactantiam aſſerere poſſum. Ut obſcura luce ſuâ impertiar: Ut incognita in conſpectum exponam, id ego præcipuè ſtudere ſoleo, non in Electoralibus tantùm, ſed etiam in aliis, quæ paſſim occurrunt, præſtoque mihi ſunt haud pauca, quæ ſi occaſio dabitur, publico & ipſa me expoſiturum recipio.

Sed hoc fatorum benignitati relictum eſto! Princeps cura erit THESAURI ELECTORALIS BRANDENBURGICI PARS II. quæ uti ſub prælo ſudat, ita brevi propoſitum Volumen ſequetur. Sequetur & THESAURI SPICILEGIUM, modò Deus mihi vitam firmaverit & vires; Neque enim ſterile id arbitraberis futurum, cùm ELECTORIS BRANDENBURGICI, Domini mei Clementiſſimi, Regia in delicias noſtras liberalitas, etiam dum Theſaurus ſub prælo & cælo ſudat, non pauca coëmerit, hactenus omninò inedita, & etiam impoſterum coëmtura ſit, quicquid rarioris elegantiæ pretio patebit. Fovet ardorem *fulgentiſſimum Gloriæ Electoralis Præſidum, Illuſtriſſimus* EBERHARDUS à DANCKELMANN, qui ut omnia, Phœbi inſtar, gratioſiſſimò jubare & colluſtrat & recreat, ita & Antiquitatum Brandenburgicarum Theſauros tanto Zelo ſibi ſumſit augendos, ut pretioſiſſima interdum Κειμήλια etiam de ſuo redimere, Gazæque Electorali inferre ſoleat: adeò non dubitabis, quin *Illuſtriſſimus Hic Mecænas* Glorioſiſſimo AUGUSTI noſtri Genio etiam impoſterum ſuggeſturus ſit, quicquid elegantioris ex antiquitate artificii, Tantâ Majeſtate dignum repererit. Propoſi-

tum ſanè Opus favore ſuò, Muſis meis undiquaque clementiſſimò, eum in ſplendorem extulit, quô Tuo, Lector amiciſſime, id ſiſtitur conſpectui; Non enim ſumptus tantùm ei perficiendo largiſſimè indulſit, ſed & aliquoties non contemnendas Antiquitatum farragines, ut auguſtius id prodiret, coëmenti gratioſiſſimè aſſenſus eſt: Idque non in Numiſmatibus tantùm, ſed etiam in Gemmis, quarum eximiam copiam, ante aliquot annos, a Nobiliſſimo & Conſultiſſimo, Sereniſſimi ELECTORIS noſtri Conſiliario, JOH. GEBHARDO RABNERO redemit, Viro vel ideò mihi memorando, quia hoc ſpecialiter à me petiit; quanquam & MSCtum ejus de Succeſſione in JULIAM, CLIVIAM & MONTES, quod Bibliotheca Electoralis ſanctior poſſidet, lucubratiſſimum: & Obſervationes Cœleſtes, quas à XX. annis cum incomparabili HEVELIO contulit, celebre Viro, jamdudum inter Eruditos nomen pepererint.

Inter Eruditos, inquam, inter quos *Per-Illuſtris noſter* SPANHEMIUS, totius vel Orbis ſuffragiò, cum Excellentiſſimis excellit. *Fulgidiſſimum hoc Civilis Prudentiæ & Scientiarum Sidus* hoc in Opere mihi Cynoſura fuit. Hujus conſiliò rem aggreſſus ſum: Hujus ductu alacriter produxi: Hujus præſidiô feliciter exegi. Si nulla laborum meorum mihi fiducia eſſet, *Perilluſtris Hujus Evergetæ* Cenſura & mihi confirmando, & Operi meo Literatis commendando ſufficeret vel unica; Cùm enim ad Electorale placitum hanc ſpartam ſuſcepiſſet, tantâ deinceps cum cura & vigilantia ei incubuit, ut non tantùm omnia à me hoc volumine obſervata, antequam eadem prælo committerentur, quantum per graviores ejus occupationes licuit, illius oculis judicioque à me fuerint expoſita; ſed etiam, quod hîc fateri mihi gloriæ duco, ut penitiorem Antiquitatum quarundam ſenſum mihi non rarò ſuggeſſerit Ipſe: Imò & integris interdum Epiſtolis, quas proinde ſimul inerendas duxi, eundem enodaverit. Hòc factô, uti *Perilluſtris hic omnigenæ eruditionis Promus Condus* & mihi favoris ſui radios aperuit, & nectare ſimul dulciſono, & plus quàm Caſtalio Publicum reſperſit, ita ingratus eſſem, ſi tantam gratioſæ beneficentiæ teſſeram non publicè deprædicarem.

Obſcura ſunt Antiquitatum myſteria, conatuque & ſucceſſu, ſi impari, tamen laudando procedunt, quicunque iis dilucidandis ſobriè laborant. Sobriè inquam; Non ſuæ gloriæ, ſed utilitati publicæ litantes: Non alios laude ſuâ fraudantes: Non vertigine inflati, & illo cum acri-

monia

monia vituperandi desiderio, quod affectant multi, immemōres, Humanitatis se studia tractare, quorum Gratiæ comites sunt, immane quantum abhorrentes à maledicto Eridis consortio.

Hæc non eò dico, quòd omnem dissentiendi libertatem Scriptoribus adimam; Imò potius id quod in Sacris Apostolus asserit, *oportere hæreses esse, schismata autem non toleranda:* id & ego de Antiquitatum monumentis asseruero: diversas scilicet de iis opiniones oportere esse, acrimoniam autem calami, præposteramque, illam taxandi libidinem omninò esse eradicandam. In medio jacet Veritatis Palma, & æqua omnibus ejus potiundæ patescit semita, indeque non miraberis, AMICE LECTOR, quòd & Ego interdum à receptis opinionibus recedam:

Hanc veniam petimusque, damusque vicissim:

Non miraberis, quòd à me ipso dissentiam, sententiasque in Thesauro Palatino passim propositas haud rarò evertam. Veritati studeo, idque eâ cum intellectûs & sensuum ingenuitate, quæ submisso Musarum sacerdoti convenit: eâ cum naturalis justitiæ observantiâ, cujus vi, quod in aliis statuo, id juris & aliis in me esse, uti sentio, ita & vel meò exemplò declaro. Non ex eorum numero sum, qui opiniones suas Pythagorico fastu defendunt. Novi me hominem esse & errare posse, indeque & me moneri patior, & justè monentibus gratias rependo.

Videt labores meos, cùm sub Prælo sudarent, Celeberrimus ANDREAS MORELLIUS, cùmque in Numisma ΛΥΔΩΛΕ inscriptum incidisset, quod ego ad Phidolæ Equam retuleram, amicè monuit, non ΛΥΔΩΛΕ, sed ΛΥΔΩΛΕΩΝ legendum esse, referendumque Numisma ad Autoleontem Regem Pæoniæ, cujus historiam è Reinero Reineccio superaddidit. Huic an ego resisterem? Neutiquam. Folium, licet jam impressum, tamen mutavi, & in limine Viri meritum eò justius proponendum censeo, quò apertius eâ ratione etiam Pausanias culpâ absolvitur, apud quem non ΛΥΔΩΛΑ, sed ΦΕΙΔΩΛΑ legitur.

Eâdem sanè moderatione & ipse MORELLIUS Antiquitatis Mysteria tractat, utpote quem non puduit in Nummo Trajani, à Prusaënsibus percusso, figuram muliebrem, cum appositio ad pedes animali quodam, sibi incognitam tunc fateri, quam ego postea, cùm peni-

penitiùs introſpicerem, Heſionen deprehendi, monſtro Marino expoſitam, quod ſi legerit MORELLIUS, non dubito, quin pro candore ſuo & ipſe veritati ſuffragaturus ſit. Ego ſanè lucidiſſimæ huic Divæ faſces haud gravatim ſubmitto, ubicunque radios ejus evidenti ratione reperero ſubnixas. Valè!



I. Blesendorf delin. et Sculp.

Anguidus horrisonas abjecerat
Æolus alas,
Jamq; vagum flagrante comâ lustrabat Olympum
Cynthius, & pictos Tellus dabat æmula flores.

Surrexit ARCHÆOPHILUS, unoque comitatus Achate, *BRENNI* Regiam versus iter instituit, cupidus, dum cœlum invitaret, tam visendæ Regionis, omni rerum abundantiâ felicis, quam contemplandæ Supellectilis Antiquariæ, quam Heroicis *DIVI FRIDERICI WILHELMI*, sumtibus undique coactam noverat, & affluente insuper CIMELIARCHIO ARCHI-PALATINO audierat auctam.

Antiqua spirabat, recentioris tamen elegantiæ non omninò negligens: Antiqua quærebat, sed Urbem invenit ex antiquis ruderibus novam, cui appropinquans, optato gressu obviam habuit PHILOPYRGUM, veterem amicum. Fit mutua gratulatio: Cumque de aliis inter ambulandum confabulati essent, ad mœnia respiciens ARCHÆOPHILUS: Magna, inquit, Metropolis Brandenburgicæ fama est, sed famâ majorem esse, præsenti eam metientes oculo facilè agnoscunt. Regionem circumjacentem, DIANÆ delicias dixerim, adeò venationibus apta tellus est. Urbem ipsam, MINERVÆ penetralia, adeò munitionibus undique circumjectis pollet. Quæso Philopyrge, quis Urbis Conditor? An nemo ejus præconia aonio celebravit carmine?

Nec Oratores desunt, inquit PHILOPYRGUS, nec Poëtæ, sed in his paucissimi operam suam locant, non quòd res Parnasso indigna sit, sed quòd recentior gloria veterem superaverit. Quinque hodiè in Metropoli Electorali numeramus Urbes. *Primæ* incunabula jecisse legitur *ALBERTUS* cognomento *URSUS*, Comes Ascaniæ, &c. à quo & nomen mansit. Ex hac enata est *Secunda*, quæ vulgò COLONIA dicitur. Substitit inde impetus, donec nostra ætate efficacioribus erumperet alis. *FRIDERICUS WILHELMUS*, Gloriosissimus Elector, Urbes duas addidit, INSULAM FRIDERICIANAM, quam vocant, numerô *Tertiam*, & DOROTHEOPOLIM numero *Quartam*. *FRIDERICUS III.* cujus Sceptra, divinitus nobis concessa, DEUS æternum fulciat! ut Magnificentiæ culmen attingeret, productis denuò feliciter Pomœriis *Quintam* auspicatus est, nomenque FRIDERICOPOLI imposuit; Quanquam Providentissimus Heros, non in

hac tantùm, sed & in reliquis gloriosè agat. Rei testes esse possunt ingentia illa molimina, quibus etiam in veteri Ursina fossæ ampliantur, munimenta proferuntur, propugnacula firmantur, non terreâ basi, sed cæsis & jactis ingentium saxorum molibus.

PHILOPYRGUS hæc & plura alia sub ingressum. Quid ARCHÆOPHILUS? Miratur incrementum,

Miratur Portæ, Vallumque, & strata viarum,
Turresque, & vastis excelsa Palatia tectis,
Regalesque domos,

Et quid non? Digna! Digna, exclamat, Regibus sunt, Cæsaribusque hæc culmina! Digna, in quæ omnis priscæ potentiæ confluant exuviæ! Jam certa mihi præsagia fingo. Faxit amicior Æther, ut voti mei compos saturq; recedam!

Audiisse Deos crederes, tam illustri subitò penetralia effulserunt jubare. Eo cinctus ARCHÆOPHILUS, Regiam Electoralem ascendit, lustratisque ditissimis omnigenæ Magnificentiæ Thesauris, ad Antiqua properavit, præcipuas genii sui delicias.

Ingens & amœna seges! Locus ipse & situ & opere jucundissimus! hinc Najades ei, inde Drijades, imo & Flora & Pomona famulantur. Fallor, infit denuò ARCHÆOPHILUS, cum jam DULODORUM, Gazæ illius custodem, amicâ oratione salutâsset; Fallor, an hîc Musarum cohors Græciâ eversâ? an hîc Apollinis Palatium, gemente Româ? Sic est! Non unam video antiquæ farraginis catervam. Plura sunt, sed omnia digno dispositа ordine, artificiosis omnia munita scriniis, rarissimis exornata pigmentis. Munera Auroræ crederes, & Indorum miracula, volucribus advecta carinis.

Plura dicturum interrupit DULODORUS. Pigmenta, quæ vides, & scrinia, inquit, Hominis Incolæ artificium sunt. Mercuriali is præditus genio, rarissimas JAPONENSIUM elegantias imitatur. Adeò benignitas cœli non invidet Occasui sub occasum, quod indulserat Ortui post ortum. Hæc novitate sua spectantes afficiunt. Quæ sub iis latent, afficiunt antiquitate. *Quatuor* cernis *Gazophylacia: Sex Mensæ.* Mensis insistunt *Statuæ, Signa, Sigilla:* Insunt variarum & Artium & Rituum *Instrumenta:* Subsunt *Urnæ, Lampades*, aliaque. In Gazophylaciis custodiuntur *Numismata* & *Gemmæ*, quorum genera elevatis Deorum Simulacris distinguuntur. En *Apollinem, Dianam, Venerem* & *Serapidem!* quorum unicuique cognata abblanditur *Geniorum* turba. Apollini, Dianæ & Veneri *Numismata* subsunt; Apollini *Aurea:* Dianæ *Argentea:* Veneri *Ærea.* Sub Serapide sunt *Gemmæ.* Partiti videntur munia Dii. Quisque sua sibi vendicavit. In medio radiat *Æquitas*, fulgidissima terrestrium Deorum cynosura.

Hæc DULODORUS referens, & apertis subinde cistulis nobilissimæ mercis farraginem ostendens, id egit, quod solent, qui flammis fomenta injiciunt. ARCHÆOPHILUS, quem sola amicioris famæ adduxerat aura, dum rem præsentem intuetur, non contentus superficiariâ cognitione, per communia studia, præsidesque studiorum Deos orabat, ut singula penitius inspiciendi sibi potestas fieret, & si non omnia, saltem elegantiora simul illustrarentur, asseverans, eo facto, non Cimeliarchii tantùm, sed & PRINCIPIS POSSESSORIS gloriam devoto se veneraturum præconio.

Qvid

Qvid faceret DULODORUS? Precibus abnuere nec honeſtatis ratio patiebatur, nec ratio officii; Memmerat enim, mandatum DOMINI non obſcuris parietibus tam rara Cimelia damnâſſe, ſed ut Orbis Literati emolumento vulgarentur, imperâſſe. Igitur, lubentiſſimè, inquit, Tibi morem gero, honoratiſſime Archæophile; ne autem actum videamur acturi, monendum omninò, quod ad Numiſmata attinet, maximam partem jam in THESAURO meo PALATINO proſtare.

Vidi illud Opus, interrupit ARCHÆOPHILUS, & præcipuum id mihi deſiderium injecit, ut præſens intueri cuperem, quæ illic cœlo expreſſa contemplari licuit. Concinnus eſt Commentarius; ſed ignoſces, dulciſſime Dulodore, ſi quod res eſt, fatear. Plus mihi videris poſterioribus tuis curis reſervâſſe, quàm expreſſiſſe. Multa notavi, quæ latius deducta vellem. In quibusdam & dubia ſuborta ſunt, quæ, licentiâ mihi datâ, haud invitus proponerem. Proinde, ſi eum in finem Theſauri Palatini mentionem injeciſti, ut ejus Numiſmata (nam Gemmas ſcio in Gallias abiiſſe) prætereundi Tibi libertas eſſet, nihil agis. Expectat Orbis Literatus etiam ea, quæ decennium à prima editione elapſum Tibi aperuit. Si mihi operam hanc negas; At publico non invidebis, cui quemlibet Natura debitorem fecit. Et quid? Cum Dominos mutaverit ea Gaza, quidni & gratum erit Doctis, hodiernum domicilium ejus noſcere? quidni ex gloria AQVILÆ BRANDENBURGICÆ, ſi ſub Ejus auſpiciis tantæ divitiæ denuò prodeant?

Obruis me rationibus tuis, reſpondit DULODORUS, ſed nullâ ſtringis acrius, Nobiliſſime Archæophile, quam eâ, quâ Tibi multa notata affirmas, quæ vel dubia ſint, vel ulterius dilucidanda: Spes inde eſt, quæ me fugiunt, Tuis Obſervationibus ſuppletum iri, & nauſeam, quam ex iterata Numiſmatum quorundam inſpectione metueram, novâ commentationum tuarum dulcedine diſparituram. Theſaurus Palatinus exiguæ meæ in Antiquitate notitiæ rudimentum fuit, & licet pauca ſint, quæ non tam ſolertia mea, quàm fortuna mihi hactenus aperuit, tantò tamen libentius ea in medium adferam, quantò doctius adjutorium laboribus meis intelligo acceſſurum.

ARCHÆOPHILUS, ut ut pronâ Dulodori voluntate lætus, tamen ob nimiam de ſe ſpem, cui ipſe anſam videbatur dediſſe, modico pudore ſuffuſus: Ego quidem, ſubjecit, quæcunque potero, libenter conferam, an autem tuis potiora futura ſint, progreſſus docebit. In limine de eo non diſceptabo. Alia reſtant. De *tempore* ſtatuendum, & de *Methodo*. Hæc enim ſi ſciero, minore cum tuo tædio, majoreque non meo tantùm, ſed & Publici cum fructu propoſitum exequemur.

Methodus, reſpondit DULODORUS, eadem ferè erit, quæ fuit & Theſauri Palatini. PRIMA SECTIONE proponemus *Gemmas*, easque annulis vel *ſolutas* vel *affixas*, diſtinctis ſolutis in eas, quæ *de Diis*, & eas, quæ *de Hominibus* agunt. SECUNDA SECTIONE proponemus *Numiſmata*, eaque rurſus bifariam diviſa, in *Græca* ſcil. & *Romana*, diſtinctis Græcis in Numiſmata *Regum* & *Illuſtrium*, & in Numiſmata *Urbium*. In his ordo erit Geographicus, in illis, ut & Romanis, erit Chronologicus. SECTIONE III. & quidem Coronidis loco, in conſpectum dabitur *varia Supellex Antiquaria*, decenti tamen & ipſa diſpoſitione ſe ſe commendans. *Statuæ* præcedent, ſequentur *Imagines*, *Signa* & *Sigilla*, tandemque variarum & Artium & Rituum ſubibunt *Inſtrumenta*. Hi Antiquariæ noſtræ farraginis limites ſunt. Hoc ordine, ut vides, Nobiliſſime Archæophile, niſi quod Lapides & Metalla diſtincta ſunt, res ipſæ radiant. De tempore quod mones, gratum erit, ſi ſequentibus aliquot diebus ſub auro-

ram, quæ Musis amicissima est, Sacrarium nostrum invisere dignaberis. Pandam Thesauros, & penitius inspiciendi potestatem faciam, quæcunque contemplatione Tua judicaveris digna.

Dici non potest, quâ lætitiâ DULODORI facilitatem exceperit ARCHÆOPHILUS. Rem statim fuisset aggressus, sed jam

Fermè dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec posses dicere lucem.

Unius igitur noctis moram admittere coactus, multo verborum honore DULODORO valedixit, & in diversorium regressus est.

Oſtera vix roſeis ſurgens Aurora quadrigis,
Expulerat curvo pallentia ſidera cælo.

Cum ſpei ſibi factæ memor ARCHÆOPHILUS, ad inſtitutum ſe accinxit, amicâque ſalutatione DULODORUM allocutus, Heri, inquit, cum ad Antiquitatis Gazas properarem, externam *Palatii Electoralis* ſtructuram penitius contemplandi otium non fuit; at hodiè, licet ardor deliciarum noſtrarum mihi nondum deferbuerit, tamen non potui, quin ſub ingreſſum deſiderio meo ſatisfacerem. Magnificum vidi opus, nec indigna tanto faſtigio culmina. Vidi duplicem aulam magnis ubique ſpatiis patulam, quadratis porticibus incluſam, ſublimibus Portarum molibus perviam, commodis undique habitationibus ornatam. Vidi ædificia aëreis contignationibus excelſa, artificioſis ſcalarum voluminibus ſplendida, aheneis tectorum umbraculis ſuperba. Quid muros loquar? quid concinnos columnarum ordines? quid ſitum & amœnitati & utilitati ſervientem? Quicquid alibi diſperſum eſt, id largo hîc ſinu videntur effudiſſe & Ars & Natura, indeque non miraberis DULODORE, ſi antequam propoſitum aggrediar, de Autore tam elegantis ſtructuræ paucis te ſollicitem. Si enim de hoc edoctus fuero, eò quietior poſtea tibi adeſſe potero, de pretioſiſſimis Antiquitatum Theſauris diſſerturo.

Ita DULODORO ARCHÆOPHILUS præter expectationem: Et ille, quanquam aliorſum jam aciem intenderat, tamen ſolita ſibi humanitate: Prima, inquit, hujus Palatii non fundamenta tantùm jecit, ſed & culmina abſolvit *JOACHIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS* hoc nomine *SECUNDUS*, ſed Princeps nulli ſecundus, ſive armatus exercitus ductaret, ſive togatus DEI gloriæ Civiumque ſaluti proſpiceret. Sex inde ſecuti ſunt Electores, quorum plerique novis additionibus exſtructum vel ampliârunt vel exornârunt. Magna, ut in omnibus, ita & in his *DIVI FRIDERICI WILHELMI* eſt Gloria! Magna, liceat ſine adulationis ſuſpicione veritatem pandere! Magna eſt *FRIDERICI TERTII*, cujus nos ſub Tutela feliciter agimus. Hujus enim opera ſunt excelſæ illæ Porticus, quæ impoſitis ſibi invicem lapideorum fornicum ordinibus verſus fluvium exſurgunt: Hujus ſunt ſublimes illi Columnarum nexus, quos interior aula oſtentat, planè ut Glorioſiſſimus Princeps Tritavum ſuum non tantùm ſequi, ſed & æmulari videatur.

Mirum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, inter arma hæc fieri potuiſſe. Imò magis mirareris, reſpondit DULODORUS, ſi & reliqua noſceres; Sed alibi de his ulterior erit confabulandi locus. Nunc, ſi placet, ad propoſitum tranſibo.

Annuebat ARCHÆOPHILUS, non oblitus amicæ gratiarum actionis; Igitur DULODORUS, cum uterque Gazophylaciis appropinquâſſent, jure, inquit, inter omnes Antiquitatis reliquias principem locum ſibi vendicant

GEMMÆ,

Licet enim nec copiâ, nec utilitate Numiſmatum gloriam attingant, nequicquam aliter ſentiente Laurentio Pignorio, ſuperant tamen & raritate, & pretio. En Tibi non contemnendam harum congeriem! Figuras exhibent Gemmis vel exciſas vel inciſas. Exciſarum non exigua pars Cantharo ceſſit, quem FRIDERICUS WILHELMUS, Glorioſæ memoriæ Elector Brandenburgicus, ex auro puro fieri juſſit, tàm Poſteris monumentum Magnificentiæ ſuæ relicturus, quàm Cimelia tam pretioſa fidæ inſerturus cuſtodiæ. Reliquæ vel ſolutæ ſunt, vel annulis, aliisque rebus incluſæ aut affixæ. Ex omnibus elegantiora ſeligam, Tu attende, & ſi quid vel præteriero, vel minus ad rem attulero, corrige! In medio Canthari operculo, & magnitudine & genuinâ Antiquitate, radiat

CERES
ΚΟΥΡΟΤΡΟΦΟΣ,
ſive
Puerorum nutrix.

Sardon. excis.

CErerem hanc eſſe, ex corona patet, ſpiceâ quidem, ſed capitibus papaverum diſtincta: De corona teſtatur Heſiodus, cui in Operibus & Diebus verſu 298. Ἐυστέφανος Δημήτηρ *Ceres pulchrè coronata* audit:

dit: De corona ſpicea docet epigramma Philippi in Anthologia lib. VI. cap. 7. num. 9. propoſitum, quo Δηοῖ τῇ σταχυοστεφάνῳ, *Cereri ſpicis coronatæ* inſtrumenta ruſtica dedicat Lyſixenus. Sed ſpicas Cereris inſigne eſſe, nemo neſcit: Nemo neſcit, eſſe & papaver. Virgilio lib. I. Georg. ℣. 213. *Cereale* dicitur, & Euſebio lib. III. cap. XI. de Præparatione Evangelica etiam *circum imaginem Cereris poſitum* memoratur, addita ratione, quod non minus ac ſpicæ πολυγονίας ſeu *magnæ fertilitatis* Symbolum ſint.

Poſt coronam Coma ſe ſe offert, cujus reſpectu Homero non tantùm in hymo, Δημήτηρ ἠύκομος *Ceres pulchricoma*; ſed & lib. XIV. ℣. 326. καλλιπλόκαμος ἄνασσα dicitur *Regina pulchros comarum nexus habens*: appoſito ad Gemmam epitheto; coma enim pulchris nexibus religata cernitur, ſimulque Deæ lætitiam arguit, cum apud Nonnum lib. 6. pr. de filiæ Nuptiis ſollicita *comam ſolviſſe, retròque conjeciſſe non nexam, ventisque immobilibus verberâſſe* memoretur.

Præcipuum autem, & quod Gemmam ſingulariter commendat, ſunt infantes in pectore Cereris, quorum uterque cornucopiæ videtur præferre. Infantes Ceres præfert, an quod hos amare credatur? Infantes præferunt cornua copiæ, an quod infantibus, beneficio Cereris, abundans nutrimentum affluat? Utrumque ex Orpheo adſtruxeris, cui in hymno, & Παιδόφιλη *Puerorum amans* dicitur, & Κουροτρόφος *Pueros nutrix*: Quanquam fortaſſis & ad prolem reſpicias, cum eidem Orpheo Ceres Εὐτεκνος & Πολύτεκνος, *pulchros & multos liberos habens*, audiat, & Nonno ἀγλαόπαις, *Illuſtres pueros habens*, cognominetur, quæ omnia de Infantibus, pectori Cereris admotis, abunde teſtantur, nec aliud addere neceſſe eſſet, niſi colores Gemmæ ingenium Sculptoris mirè extollerent. Exterior habitus ex Gemmæ vena ſubfuſcus eſt, quales & infantes, & cornuacopiæ, cùm collum, manus, & interula ex albo ad cæruleum vergant: adeò, ut ſub habitu fuſco colorem terræ frugibus aptæ, ſub facie, collo & manibus autem, divinitatem, ex terræ viſceribus frugum abundantiam propellentem, non incommodè intelligas.

DULODORUS his ita deductis, ad ulteriora progreſſurus erat; at ARCHÆOPHILUS, Gemmam diligenter contemplatus, elegans, inquit, cimelium eſt, nec inconvenienti à te commentario illuſtratum; quanquam ſi rem penitius inſpiciam, quædam adhuc videantur vel dubia, vel ulterius dilucidanda. His dictis aliquantisper tacuit. DULODORUS autem, vultu in lætitiam compoſito, Perge, inquit, Mi Archæophile, perge, & quicquid id eſt, alacriter deprome!

Si ita jubes, ſubjunxit ARCHÆOPHILUS, obſequiosè pareo. Primò ex his Virgilii, 1. Georg. ℣. 77. & 78.

Urit enim Lini campum ſeges, urit avenæ
Urunt Lethæo perfuſa papavera ſomno.

Apertè conſtat, Papaver ſegetem & terras exurere, adeoque frugibus damnoſum eſſe. Quî igitur fieri poteſt, ut Cereri ſacratum ſit? Secundò, de Infantibus velim apertius loquaris, neque enim, quomodo Ceres infantes nutriat, ſatis intelligo. Tertiò, video aliquid cordi ſimile à collo Cereris hujus dependere, id quale ſit, ſi explices, perquam gratum mihi feceris.

Ad omnia, reſpondit DULODORUS, quantum luminis in me eſt, libenter impertiar: Cur papaver Virgilio *Cereale* dictum ſit, cauſa variè quæſita eſt, varie fuit tradita. Quidam ideo id factum arbitrantur, quod papavere famem Ceres impleverit, teſte Ovidio Faſt. 4. ℣. 531. ſeqq.

Illa

Illa ſoporiferum, parvos initura Penates,
Colligit agreſti lene papaver humo.
Dum legit, obluto fertur GUSTASSE palato,
Longamque imprudens exoluiſſe famem.

Alii ideò, quòd papaver aptum ſit eſui, ſicut frumentum: Alii quòd Ceres eo uſa ſit ad oblivionem doloris: Alii quod Migonem Athenienſem Ceres dilexerit, & transfiguratum in papaver, tutelæ ſuæ juſſerit reſervari: Alii, quod Pani adſpergitur papaver. Has rationes attulit Servius ad h. l. Brodæus citante Taubmanno, id ideò factum aſſerit, quia agricolæ papaver inter ſegetes ſererent tametſi nocivum, ut ſcil. ſacra facerent Cereri. Turnebus eodem referente, ideo, quia illud manu geſtarent & Dea & Deæ ſimulacra, additque, Antiſtitas quoque Cereris illud geſtaſſe; ſed Brodæum & Turnebum, non tam rationes putarem dare, quàm actiones & ritus, rationibus dilucidandos. Servii firmiora videntur, licet & ſint, qui aliunde rationem derivent. Probus ſimpliciter *cereale* dictum arbitratur, quod in ſegete naſci ſoleat: Phurnutus rotunditatem, impoſitasque pinnas in medium adducit, quod terra, ſecundum priſcos, ſub Cerere lateat, Sphæræque in modum rotunda, vallibus & montibus aſpera, hominibusque inhabitata iis apta præfiguretur. Hæc ut ut ſint, ad primum, quod propoſuiſti, dubium ſufficiant.

Ad ſecundum, quod de amore & nutritione infantium eſt, ita habe! Infantes naturale fœcunditatis ſymbolum ſunt, & fœcunditatem materna ſequitur nutritio. Flavia Maxima Fauſta, cum oſtendere vellet, Salutem Reipublicæ ſui muneris eſſe, non alio id ſchemate fecit, quàm ſua imagine, duos infantes pectori admotos geſtante, quòd ſcilicet duos filios, Conſtantinum Juniorem & Conſtantium peperiſſet, & fideliter educaret, quorum ope Respublica ſalva futura eſſet. Ita & in Numiſmate Hadriani, Nilus duobus infantibus inſignis eſt, quorum alter hippopotamo inſidet, alter ad cornucopiæ alludit: imò & in ſtatua ſedecim infantibus per totum corpus diſperſis nobilitatur, non ideò tantum, quod, ut Plinius putat, incrementi menſura ſub infantibus intelligeretur, ſed etiam, & quidem potiſſimùm, ob futuram nutrimenti ſpem, quòd fertilitas Regionis ab incremento dependeret. Exemplum Daciæ rem extra dubium ponit: In Numiſmate Trajani montibus inſidet, ſedenti duo infantes alludunt, quorum alter uvam, alter ſpicas tenet, non aliam ob rationem, quam ut ſignificetur, Regionem vini frumentique copiam indigenis ſuppeditare.

Hæc cùm ita ſint, utique patet, quid de Cerere Κουροτρόφῳ ſit ſtatuendum: Idem videlicet, quod de Nocte apud Pauſaniam, quæ & ipſa duos pueros, ſomnum & Mortem, cum eodem modo teneat, utriusque Τρόφος *nutrix* appellatur. Ceres ſi phyſicè conſideretur, ut diximus, terram denotat, quod appellatio Græca Δημήτηρ, quaſi γῆ μήτηρ demonſtrat. Terra autem, quid fœcundius? Non fruges tantum protulit, ſed ſecundum Ethnicos, etiam homines. Non homines tantum, ſed etiam fruges, quibus humana vita ſuſtentatur. Non jam ad fabulas deflectam, quanquam & ex his appariturum ſit, Cereri nec in pariendo fœcunditatem, nec in alendo pietatem defuiſſe. Proſerpinam ejus ex Jove filiam quis ignorat? Plutum Divitiarum Deum, ejus ex Jaſio filium, quis neſcit? de eo Heſiodus in Theogonia, ℣. 970.

Δημήτηρ μὲν πλοῦτον ἐγείνατο δῖα θεάων,
Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρωτῇ φιλότητι.

Ceres quidem Plutum genuit præſtantiſſima Dearum,
Jaſio Heroi mixta jucundo amore.

Adeò

Adeò ut & hinc ſufficiens ratio eſſe poſſet, cur Ceres infantes in pectore habeat, præſertim cùm Plutus, & infans fuiſſe, & eodem modo etiam in ulnis Pacis, & alibi in ulnis Fortunæ, apud Pauſaniam memoretur. Accedere poſſet & Nutritio, non ſuorum tantùm liberorum, ſed etiam alienorum. Plemnæo Orthopolin, recens natum, Ceres educavit: educavit & Triptolemum, Meganiræ Celei uxoris filium. Quid ſi hos in pectore Cereris noſtræ agnoſcas? Apertus eſt divinandi campus. Tutior tamen judicandus, qui ſub infantibus, cornua copiæ præferentibus, abundans nutrimentum intelligit, quo Terræ filios, alma hæc mater, vel ab ipſa infantia beare ſolet.

Quòd cordis ſpecie à collo dependet, eodem planè modo in *Gemma Auguſtæa* etiam Agrippina Germanici geſtat. Interpres Alb. Rubenius bullam arbitratur, aitq; Græcis Μήνισκον, Latinis *Lunulam* dictam, eandemque etiam in imagine Cleopatræ apud ſe ſpectari, & eodem modo adornatas etiam eſſe Livillam Druſi, & Meſſalinam in iis, quas Dux Bucquingamius olim à Parente ejus comparaverit.

At Bullas, inquit ARCHÆOPHILUS, mulieribus in ornatu fuiſſe, negare videtur Iſidorus. Nihil agit, ſubjecit DULODORUS, Hieronymus enim id apertè affirmat, & apud Plautum, Palæſtra filia Dæmonis, *Bulla*, inquit, *aurea eſt, Pater quam dedit mihi natali die.* Tiraquell. ad L. III. connub. *Bulla*, inquit, *licet propriè infantium ingenuorum eſſet, ut tradunt Aſconius in III. Verrina, & Macrobius* I. *ſat.* 6. *& videre licet ex Plinio, ea tamen & mulieres uſas fuiſſe, ſatis conſtat*, ut proinde de bulla fœminarum dubitari non debeat. De forma Cordis, niſi de pueris loqueretur, teſtari poſſet Macrobius: *Nonnulli*, inquit, *credunt, ingenuis pueris attributum, ut Cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes, ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent.* Locus egregiè quadrat, inquit ARCHÆOPHILUS. Niſi ritè intueris, regeſſit DULODORUS non adeò; Notandum enim, quòd Macrobius dicat: *in bulla.* Bulla puerorum ipſa, non cordiformis, ſed orbicularis erat, uti exemplis firmat Cl. Spon. in Miſcell. pag. 299. & planum eſt ex ipſo nomine; Bulla enim non à βουλὴ, ſed à *bulla aquæ* dicta eſt, cujus ſimilitudinem referebat: & ex Plutarcho in Quæſt. Rom. qui rationem Bullæ a Luna arceſſit, cum *pleno* (non, ut interpres Xylander, dimidiato) *Orbe* fulget, *quòd* tunc οὐ φαιροειδὲς, ἀλλὰ φακοειδὲς καὶ δισκοειδὲς, *non globi ſimilis ſit, ſed lentis aut diſci formam præ ſe ferat.* Id ideò conjecit, quia, ut paulò ante docuerat, nobiliores ad indicandam ab Arcadibus Originem, Lunulas in calceis geſtare ſoliti eſſent.

Hoc aſſertum Plutarchi, ſubjecit ARCHÆOPHILUS Rubenii opinionem firmare videtur, qui ut modò dixiſti, bullulas fœminarum, Græcis μηνίσκους, latinis *Lunulas* appellatas ſcripſit. Id ex Hieronymo, reſpondit ARCHÆOPHILUS, hauſiſſe potuit Rubenius, is enim ad cap. III. Eſaiæ, ubi ὀι ὁ, vocem μηνίσκους uſurparunt, *Lunulas* vertit, additque fœminas in Lunæ ſimilitudinem bullulas dependentes geſtâſſe. Sed forma in allatis cimeliis non Lunæ eſt, ſed cordis, & multò aliter Heſychius, qui μηνίσκους interpretatur πέταλα, περιτραχήλια καὶ περιδέρια, *folia, aut laminas, collum & cervicem circumdantes*, & *Suidas* τὰ τοῦ κύκλου τμήματα, *ſegmenta circulorum*, ex quibus utique conſtat, non in pectore μηνίσκους quærendos eſſe, ſed in ipſo collo, adeòque pro bullis propriè accipi non debere. Rem apertius Baſilius. Diſtinguit is inter μηνίσκους, & καθήματα: Illa in collo, hæc à collo quidem dependentia, ſed in pectore collocat, indeque nihil arbitror obſtare, quò minus καθήματα, *bullas* interpretemur, & quidni has ipſas, de quibus hîc loquimur? Hebraicum הַנְּטִפוֹת *guttatoriam* ſonat. Radix eſt נטף, *guttavit* ſive *ſtillavit*

lavit, nomen נטף *gutta* sc. Balsami, & נטיפות *ornamenta aurea* sive *vascula*, quibus continetur gutta, uti Forerius ad dictum Esaiæ locum explicat. Vatablo teste, *licet Hebræi dicant, esse torques, factos ex bdeliis parvis, alii tamen putant, significare theculas, in quibus ponitur & includitur opobalsamum, aut aliquod aliud odoramentum.* Hoc posterius appositè ad propositum, Bullæ enim, Macrobio authore, non vacuæ erant, sed pharmacum contra invidiam continebant, & cùm in iis etiam cordis figura fuerit, quis non videt, exiguâ mutatione, mulieres loco figuræ rotundæ, formam cordis, & loco pharmaci, odores substituisse?

De Bulla Cordis formâ appensa, videri potest Pierius Valerianus, qui varias ejus significationes recenset. Ad integram gemmam unicum adhuc monere placet, in Gemma Augustæa videlicet, non bullam tantùm cordis formâ dependere, sed & duos infantes alludere, & cùm Augustis Dearum habitu præfigurari, iisdem temporibus insolitum non fuerit, id quod vel ex ornatu Antoniæ, Cereris habitu in Numismate prostantis, patere potest, conjecturâ forsan haud futili, etiam in nostra gemma Augustarum aliquam credi posse adumbratam. Sed hoc in medio relictum esto! Si longior fui, Vir amicissime, cogita, Tibi id datum esse, brevioremque me futurum fuisse, si rei momenta paucioribus absolvi potuissent.

Nihil opus est verborum honore, respondit ARCHÆOPHILUS. Gratias potius me Tibi debere, libens fateor, idque ob præstitam operam, mihi longè gratissimam. Quod ulterius opponam, non habeo; Ergo ad alia transeo, subjecit DULODORUS. In sequenti Gemma exhibetur

CERES
ΔΑΔΟΥΧΟΣ sive TÆDIFERA.

FAbula nota est. Cùm Proserpinam rapuisset Pluto, Ceres, Proserpinæ mater, accensis in Ætna facibus, per orbem terrarum dicitur cucurrisse, filiamque requisivisse. Ovidius rem graphicè, Met. V. fab. 7.

— — — *Illa DUABUS*
Flammiferas pinus MANIBUS succendit ab Ætna,
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.

Eodem modo & Apollodorus lib. I. Bibliothecæ. Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός τε καὶ ἡμέρας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιήει. *Ceres accensis FACIBUS noctes-*

noctesque & dies, universum terrarum orbem lustravit vestigando. Quid clarius ad Gemmam dici potest? inde sane *Tædiferæ* cognomentum obtinuit, uti patet ex eodem Ovidio Ep. 2. Phyll. ad Demoph. Ubi Demophoon dicitur jurâsse per Venerem, Junonemque,

Et per TÆDIFERÆ mystica sacra DEÆ,

& iterum ex lib. III. Fast.

Luce sua ludos uvæ Commentor habebat,
Quos cum TÆDIFERA nunc habet ille DEA.

Ad Cererem, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc satis convenienter; Cum autem non Ceres tantùm faces gestaverit, sed & sacerdotes ejus, secundum Juvenalem Sat. XV. ℣. 141.

— Quis enim bonus, & FACE dignus
Arcanâ, qualem Cereris vult esse sacerdos?

Imò cùm, ut Lactantius ait, ardentium tædarum jactatione sacrum ejus consueverit celebrari, quis distinguat, an Ceres ipsa, an autem sacerdos quædam, aliave Cereris mysteriis initiata fœmina, in gemma præfiguretur?

De sacerdotibus masculis id asserunt allati Authores, respondit DULODORUS, qui & inde δαδοῦχοι, *faciferi* dicti sunt, quod vocabulum videri potest apud Jul. Pollucem lib. I. c. I. n. 31. Exemplum habet Plutarchus in princ. Aristidis, ubi Callias δαδοῦχος memoratur. Ita & Statius lib. IV. Sylv. 8.

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo,
Votivam taciti quassamus LAMPADA Mystæ.

Vetus Scholiastes Juvenalis non tantùm de masculis id fatetur, sed & ritum tradit: *Arcana*, dicit, *mystica, cùm in templo Cereris sibi invicem facem cursores tradunt*: Scilicet, accensam ab ara facem, primus, ad certum templi locum, cùm cursu portâsset, alteri eam tradebat, rursus ad aliam metam cursuro, tertioque eam tradituro, & sic deinceps: Id quod non in Mysteriis Cereris tantùm fiebat, sed etiam in Panathenæis, Vulcanalibus & Prometheis, uti videre est apud Meursium de festis Græcorum. Hæc autem, ut ut secundum dicta de Sacerdotibus masculis asserant Authores, fœminis tamen non negavero; apud Senecam Tragicum enim in Hippolyto ita de se Phædra:

Non colere donis templa votivis libet,
Non inter aras Attbidum mystam chori,
JACTARE tacitis conscias sacris FACES.

Quod eò credibilius, quò apertius Matronarum præsentia in Cereris Mysteriis etiam Romæ requirebatur, id quod ex Livio colligas, lib. XXII. imò quò certius & Sacerdos fœmina fuit, uti ex Valerio Maximo docemur, lib. I. c. 1. Ut proinde objectio Tua adeò futilis non sit, quanquam tutius Cererem ipsam hîc agnoscas, eo potissimùm argumento, quòd eodem planè habitu ea etiam in Numismatibus prostet. Videri potest Ursinus Patini, sub Familiis Vibia & Voconia: videri Cl. Vaillant, in Col. T. I. p. 271. & T. II. pag. 54.

Vix me contineo, subjecit ARCHÆOPHILUS, quin & Deam ipsam & Deæ cultum rideam. Quid enim Dea faces præferens? Quid Mystæ Deæ nugas imitantes?

Nugas dixeris, si obiter inspicias, reposuit DULODORUS, at si penitius examines, non carebunt ratione. Proserpinam à Plutone raptam, in Mysteriis Cereris, commodè frumentum interpretaberis, terræ sulcis concreditum, à quibus quasi raptum occulitur, donec cum lampadibus, id est fervore Solis, ad justam maturitatem exsurgat, & requiratur.

Si res ita se habet, subjecit ARCHÆOPHILUS, faciſè Tibi cedo, idque eò libentius, quò illuſtrius Antiquitatis monumentum ſe oculis meis ſubjicit. Gemma eſt, & magnitudine & opere memoranda. Niſi fallor.

BACCHUS BOEOTICUS

Onych. exc.is

EAm commendat. Tu ipſe, Honoratiſſime DULODORE, opinionis hujus mihi author es; Memini enim, in Theſauro Tuo Palatino, Bacchum Indicum à Bœotico eò Te diſtinxiſſe, quòd ille barbatus, hic imberbis fuerit, idque non nudâ conjecturâ: In aſſerti fidem Diodorum Siculum attuliſti, Scriptorem inter paucos & diligentiſſimum, & accuratiſſimum.

Id ſcio, reſpondit DULODORUS, nec adhuc inficias eo, licet Arrianus L. IV. conjicere non poſſit, an Thebanus ex Thebis, an alius in Indiam penetraverit; Diodori enim verba clariora ſunt, quàm ut quemquam dubitare ſinant. Indicum καταπώγωνα *barbatum* vocat, quòd Indi, ad finem uſque vitæ, barbam ſtudiosè alerent; Bœoticum autem τῷ κάλλει διάφορον, *ſpecie decorum*, appellat: & iterum, Δίωρφον αὐτὸν δοκεῖν ὑπάρχειν, διὰ τὸ δύο Διονύσους γεγονέναι, τὸν μὲν παλαιὸν καταπώγωνα, διὰ τὸ τοὺς Ἀρχαίους πάντας πωγωνοτροφεῖν, τὸν δὲ νεώτερον ὡραῖον καὶ τρυφερὸν καὶ νέον. *Biformem*, inquit, *ideò putant eſſe, quòd duo exſtiterint Dionyſi, priſcus nimirum ille barbatus, (omnes enim Priſci barbas alere ſolebant) & junior iſte elegans, & delicatus, & adoleſcens.* Quibus ex verbis, non minus ac ipſis Antiquitatis noſtræ deliciis, uti in ſequenti videbimus, utique aſſertum meum egregiè fulcitur, nec obſtat idem Diodorus, qui alibi tres Dionyſos ſtatuit, *primum* Indicum ex Ammone & Amalthea: *ſecundum* ex Jove & Proſerpina, ſive Cerere: *tertium* ex Jove & Semele natum. Cui ſuffragari videtur & Philoſtratus, in vita Apollonii, qui & ipſe tres ſtatuit, Thebanum, Indicum & Aſſyrium: & Cicero, qui lib. III. de N. D. quinque recenſet, quorum *primus* Jove & Proſerpina, *ſecundus* Nilo, aut ut alii legunt, Nyſo, *tertius* Caprio, *quartus* Jove & Luna, *quintus* Nilo & Thyone natus eſſet. Hæc, inquam, aſſerto meo non obſtant; conſtat enim, præter Bœoticum omnes, etiam apud Poëtas, eſſe obſcuriſſimos, imò ſi quid egerint, tamen Bœoticum id egiſſe videri: Adeò ut nihil reſtet, quàm ut ſuc-

culen-

culentam hîc, blandientis juventæ mollitiem intueamur, ut virgineam venuſtiſſimi Pueri formam ſuſpiciamus, ut ebrias laſcivientium oculorum ſcintillas miremur, quæ omnia Authorum ſuffragiis illuſtravi in Faſciculis meis pag. 161. ubi & de hedera docui, ex qua, teſte Plinio, Bacchus ſibi primus coronam impoſuit. Addo hic, *Bachica ſerta* Ovidio, Triſt. I. dici: Quanquam non tempora tantùm, ſed & Thyrſos ea fronde Bacchus ornaverit.

Thyrſum, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in hac Gemma cernimus, ſed hederam non obſervo. Ita eſt, reſpondit DULODORUS; Thyrſum hedera non complectitur, ſed ferrum Thyrſo præfixum, hederâ involutum eſſe, forſan haud abs ratione ſtatueris. Forma convenit, & ſuffragatur Propertius lib. III. El. 3.

Hæc Ederas legit in Thyrſos.

Propertius, excepit ARCHÆOPHILUS, an de haſta, an de ferro haſtæ præfixo loquatur, dubitari poteſt. Mihi, quod ſentio, fari liceat, non hederæ folia, ſed Nux Pinea, Thyrſo huic præfixa videtur. Nucem Pineam à Thyrſo non rejecero, reſpondit DULODORUS, eâ enim inſignis eſt in antiquis paſſim Nummis, Statuis & Toreumatibus, quæ etiamnum proſtant. Eadem præferebatur inter Bacchi παίγνια in Orphicis, & inter myſtica Bacchi ſymbola, ut liquet è Clemente in Protrept. p. m. 12. Mitto quòd Pinum Baccho convenire, monet Plutarchus Symp. lib. V. Q. 3. quòd in locis, quæ pinubus abundant, vinum ſuave eſſe ſoleat: Mitto, quòd Suidas ſub voce Κωνοφόροι, rationem conſecrationis à Corde humano deducit, quòd ſcilicet Pinus ei ſimilis, Bacchus autem, ſecundum Græcos, ejus præſes eſſet; Hæc enim, ut ut per ſe vera, opinioni tamen meæ non contrariantur, cùm non minus verum ſit, etiam foliis hederæ ferrum Thyrſis præfixum involutum fuiſſe. Apertè de his Diodorus Siculus, ἀναδιδόναι ταῖς βάκχαις ἀντὶ τῶν ὑρσων λόγχας τῷ πίττῳ κεκαλυμένας τὴν ακμὴν τοῦ σιδήρου. *Bacchis pro Thyrſis lanceas MUCRONIBUS HEDERA OBVOLUTAS dabat*, unde & Bacchus ipſe, apud Euripidem in Baccharum Prologo, Thyrſum κίσσινον βέλος, *hederaceum telum* appellat, & alibi, Κίσσινον βάκτρον ℣. 363. & κισσινα βάκτρα in Jon. ℣. 216. ut proinde ratio nulla ſit, cur vel de hedera, vel de ſenſu versûs Propertiani dubites, nam expreſsè dicit, *hederam in thyrſos LEGISSE*, quòd potius de foliis, quàm de integris ramis intelligi debet. Ut autem in propoſito, hederæ folia potius, quàm Nucem Pineam agnoſcam, foliorum magnitudo ſuadet, cum in nuce pinea exiguæ tantùm promineant ex ligno ſquamæ. Sed inquiebat ARCHÆOPHILUS, utique nucis pineæ formam referunt? Id non tantùm tibi fateor, reſpondit DULODORUS, imò & datâ operâ in Nucis Pineæ formam connexa arbitror, ut ſcil. rationes, à Suida & Plutarcho, ad nucem pineam propoſitæ, conſtarent, Bacchusque, cordis præſes etiam in his noſceretur, quanquam alii cuſpides foliis involutas, non ad myſticam rationem exigant, ſed ad hiſtoricam, ideò id factum arbitrantes, ut hoſtes, ſi ferrum lateret, eò incautiores à Baccho opprimerentur. Quicquid ſit, Θυρσοφόρος *Thyrſiger* dicitur in Epigrammate Gr. lib. I. c. 38. n. 11. & Horatius exclamat: *Parce Liber!*

Parce gravi metuendæ Thyrſo!

De Thyrſo, inquit ARCHÆOPHILUS, acquieſco, non item de Cornu, quod ſiniſtrâ Bacchus hic præfert. Rarum hoc in Bacchi ſimulacris eſt, & licet etiam aliunde, præcipuè tamen ex hoc Gemmæ pretium elevatur.

Cornu, reſpondit DULODORUS, à Baccho alienum non eſt. Ταυροκέρως ſive *Tauricornis* apud Nicandri Comment. in Alexipharmacis, Βουκέρως & δικέρως *Bucerus* & *bicornis*, Orpheo vocatur, & Ovidius:

Accedant capiti CORNUA, Bacchus erit.

Ideò autem Cornua Baccho affinxisse Veteres, quòd primus boves sub jugum miserit, Diodorus author est, quanquam alii ad audaciam ea referant, de qua re idem Ovidius:

Tunc Pauper CORNUA sumit.

Horatius *AUREO CORNU Bacchum decorum* facit; Sed hæc ad Gemmam nihil: Neq; enim Cornu capiti Bacchi affictum cernimus, sed sinistrâ manu prælatum. Rei rationem si petas, Cornubus Veteres bibisse scieris, id quod pluribus exemplis Athenæus adstruit, additis etiam ex vocis etymo fulcris, quod inde κεράσαι, *aquâ vinum permiscere*, & Crater quasi Κεράτηρ, ἀπὸ τοῦ κέρατος dicatur. Imò & scieris, ipsius Bacchi poculum cornu bovis fuisse. In Galeria Giustiniana, ex tali cornu Nympha Baccho infanti potum porrigit, & Nonnus Dionys. XII. ℣. 200. de Baccho expressè:

Δέπας ἀγκύλον ἔιχε βοὸς κέρας.
POCULUM curvum habuit BOVIS CORNU,

& iterum lib. XIV. ℣. 240. qui locus simul & ad Thyrsum, & allatam supra de eo sententiam, optimè quadrat.

Δαιῇ μὲν κέρας ἔιχε βεβυσμένον ὑδέος οἴνου
Χρύσεον, εὐποίητον. ἀπ' οἰνοχύτου δὲ κεραίης
Ὄρθιος οἰνοπότοιο κατέῤῥεεν ὁλκὸς ἐέρσης.
Χειρὶ δὲ κέντορα θύρσον ἐλιμένον οἴνοπι κισσῷ
Δεξιτερῇ κούφισεν· ἐπ' ἀκροτάτῳ δὲ κορύμβῳ,
Χαλκοβαρὴς πετάλοισι κατάσκιος ἦεν ἀκωκή.

SINISTRA quidem CORNU habebat, temperatum dulci
Vino, aureum, benefactum. A vinum-fundente verò cornu
Erectus vini potum-habentis defluxit tractus guttæ;
MANU verò punctorem THYRSUM involutum nigri-colore hederâ,
DEXTRA levavit, in summo verò corumbo
Aere gravatus FOLIIS INUMBRATUS quasi latebat MUCRO.

Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò subjecit DULODORUS, si me audias, nihil miraberis, mos enim cornubus bibendi, licet res vetusta sit, tamen etiam ad posteriora sæcula duravit. Argumento potest esse Cornu Danicum: Potest esse, quod inter Cimelia El. Brandenburgica asservatur, trium Regum nominibus inscriptum.

Id vidi, respondit ARCHÆOPHILUS, & fateor, ad Bacchum ritè citari, licet simulatâ fucatum sanctimoniâ; sed age! quid alligata Thyrso fascia? quid succulenta corporis nuditas? quid palla, an tunica? quæ ad femora usque decidua, etiam virilia Dei detegit.

Fascia, respondit DULODORUS, Lemniscus est, de quo Casaubonus ad Athenæum videri potest. Eodem plane modo visitur etiam in sequentibus, imò & in ferula Sileni, apud Per-Ill. SPANHEMIUM ad Cæsares Juliani pag. 338. Tunicam ab Hercule Aristochitone, cui poculum dederat Bacchus, apud Nonn. Dion. L. XL. in fin. memoratur accepisse. Nuditas, Ebriorum genium adumbrat, qui arcana propalare solent. Virilia etiam in Orgiis prælata novimus, & hîc Bacchi gratissimum cum puellis certamen in mentem revocare possent, de quo Authores passim. Sed Bœoticum, Juvenem illum, & muliebri venustate lascivientem, quis nudum & in Venerem pronum miretur? cùm tamen in sequenti Gemma non ad fœmora, sed à capite ad calcem usque, etiam

BACCHUS BARBATUS SEU INDICUS.



SE nudum exhibeat. Barbatus ille, quem, ut ſupra dictum eſt, *παλαιὸν καὶ καταπώγωνα* Diodorus appellat. Utraque certè verecundiam ſuadere videbitur debere, & Barba, & Ætas. Barba gravitatis indicium eſt, & Ætas prudentiæ. Sed eadem hîc ratio militat, imò & major in hoc, partim quòd priſci homines, antequam veſtimenta ſibi pararent, vel nudi incederent, vel animalium pellibus ſe veſtirent; partim quòd barba Cœl. Rhodigino teſte, multum conferat ad decorem virilitatis & roboris. Barbatus Bacchus, non Juvenes tantùm, ſed & Viros oſtendit, & inebriari, & arcana prodere, & in libidinem concitari.

Similem, inquit ARCHÆOPHILUS, memini etiam in Theſauro Palatino me vidiſſe. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed ille non ex Gemma elevatus, ſed in eam inciſus, non haſtam ſed ferulam, non cantharum ſed uvæ baccas tenebat, adſtansque ei amphora, non diota, ſive duas aures habens, ſed vix unicâ inſignis erat.

Amphoras ſimiles, perrexit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmatibus Chiorum cernimus. Annon inde conjiciam, Bacchum hunc in Chio fuiſſe cultum? Si arbitreris non refragabor, reſpondit DULODORUS; Bacchum enim in Chio cultum facilè demonſtravero, cùm etiam vina Chiorum celebratiſſima fuerint, & Euſebius de Præp. Evangel. lib. IV. aſſerat, Dionyſio, Omadio apud Chios appellato, hominem crudeliter diſcerptum ſacrificari ſolitum. Sed de his ad Chiorum numiſmata latior erit diſſerendi campus. Hoc loco monendum adhuc, ſimulacra Bacchi, tàm barbati, quàm Scyphum in Pantheras effundentis, non tantùm in Gemmis, ſed etiam in plurimis Græcorum Numiſmatibus exhiberi. Barbatum videas in Nummis ΘΗΒΑΙΩΝ, ΝΑΞΙΩΝ, ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, &c. Scyphum in Pantheram effundentem in ΤΗΙΩΝ, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ, ΝΙΚΑΕΩΝ, ΝΥΣΑΕΩΝ, ΤΙΑΝΩΝ, aliarumque Urbium. De Baccho ſcyphum effundente, videri merentur abſolutiſſimæ Diſſertationes Per-Ill. SPANHEMII de Uſu & Præſtantia Numiſmatum pag. 165. & ſeqq. ubi rem ex fide Heronis (non Herodoti, ut pag. 165. Typographi errore legitur) imò & Oppiani, egregiè illuſtravit. Verba digna ſunt, quæ adjiciantur: Ita Hero, *περὶ αὐτοματοποιητ· ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ θύρσον κατέχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ σκύφον παρακαθίζετο δὲ παυθήρισκος πρὸς τοῖς τοῦ Διονύσου ποσίν.* Et paulò poſt: *ἐκ δὲ τοῦ σκύφου οἶνος ἐγχυθήσεται ἐπὶ τὸν ὑποκείμενον παυθήρισκον.* *Siniſtrâ quidem manu thyrſum tenens, dextrâ verò ſcyphum.*

Adſidet

Adsidet verò ad Bacchi pedes Pantheriscus, &c. Ex scypho autem vinum in subjectum Pantheriscum effunditur. Et Oppianus lib. III. Cyneget. de Panthera locutus:

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν ἄνω μέγα καγχαλόωσι.
Δεχνύμεναι στομάτεσσι Διονύσου μέγα δῶρον.

Quâ causâ etiam nunc vino valdè exultant,
Capientes ore Liberi Patris magnum munus.

Sed ad alia transeamus. In sequenti Gemma contemplandum se sistit

SILENUS,
BACCHI FAMULUS,

sardon incis

NOn solus, sed cum Nutritio suo, cui humeros substernit. De Baccho jam supra vidimus. Vidimus & de forma ejus, & de Thyrso. Cantharus hic restat, quem dextra præfert, non minus ac in præcedente: Restat Palla, quæ à brachio dependet. Bacchum cum Cantharo & Thyrso etiam videas apud Cl. Vaillant in Numismatibus Corinthiorum, & Æliæ Capitolinæ. Cantharis usum, ex Plinio colligas, qui ejus exemplo, & C. Marium Cantharis potasse, asserit lib. XXXIII. cap. ii.

Apud Athenæum, subjecit ARCHÆOPHILUS, Cotyliscus Baccho sacer memoratur, & video plerosque interpretum eam vasis figuram, quæ hic appâret, Cotyliscum vocare: An rectè, an perperàm, gratum facies, si aperire dignaberis.

Cotyliscus, inquit DULODORUS, probè à Cantharo distinguendus est. Expresse Athenæus dicit: ἱερὸν τοῦ Διονύσου κρατήρισκον καὶ ὃις χρῶνται ὑ. Μυσταί; *Craterem exiguum & quo Mystæ utuntur*, Libero Patri sacrum, ita vocari. Exiguum craterem! cùm tamen Cantharus magnitudine fulserit, ut apud eundem Athenæum ex hoc Eubuli liquet:

Πηλίκον τινὰ ὕεσθε μέγεθος
Μέγαν πάνυ, καὶ ξηρὸν ἐποίησε ἐυθέως τὸν κάνθαρον.
Quâ vero putatis magnitudine ab eo sublatum Cantharum?
Valde me hercule is amplus fuit, quem tamen confestim exsiccavit.

Ita & Xenarchus in Priapo.

Σὺ δὲ κατέγχει παιδάριον εἰς ἀργυροῦν,
Εἰς τὸ βαθὺ δὲ πάθιν ἄγομεν εἰς τὸν κάνθαρον.
Ne affunde, ô puellule, in argenteum poculum,
Sed contra potius age in profundum Cantharum.

Eodem

Eodem facit & querela Epigenis in Heroina apud Eundem,

Ἀλλ' οὐδὲ κεραμεύουσι νῦν τοὺς κανθάρους,
Ὢ τάλαν ἐκείνους τοὺς ἀδρούς, ταπεινὰ δὲ,
Καὶ γλαφυρὰ πάντες ὥσπερ αὐτὰ ποτήρια,
Οὐ τὸν οἶνον πιόμενοι.

At Cantharos nunc non fingunt.
Me miserum! amplos ac grandiores, sed humilia,
Polita, sculpturisque pulchra pocula, perinde ac si ipsa
Bibituri sint, non vinum.

Hæc cùm ita sint, utique vides, Cantharum à Cotyliſco differentiâ non exiguâ cenſeri; An autem hîc Cantharus, an Cotyliſcus agnoſcendus ſit? id meô judiciô decidendum non eſt. Aliud adhuc Bacchi poculum Carcheſium dicitur. Inde Poëta:

Cape Mæonii Carcheſia Bacchi.

Tale ex Gemma Sardonyche exhibuit celeberrimus Triſtanus, à noſtro & ipſum diverſiſſimum, quæ ratio eſt, cur ei non inhæream. Palla ſubit, à collo & brachio dependens. Pallam forſitan in Baccho novi quid arbitraberis, quòd ſecundum Authores, vel pelle Tigridis ſe velaverit, vel etiam Nebride; Sed novi nihil eſt: Ea indutus viſitur in Numiſmate Tarſi, Tranquillinæ honori percuſſo, in Selectis Jacobi de Wilde, Tab. XIX. ubi eruditus Author appoſitè hos verſus ex Sidonio citat, Carm. XXII. Burg. Pontii. ℣. 30

Cantharus & Thyrſus dextra lævaque feruntur,
Nec tegit exertos ſed tangit PALLA lacertos.

Locus hîc eſſet etiam de aliis veſtium generibus, Baccho uſitatis orationem extendere, ſed ne fuſior ſim, ad Silenum pergo, qui ad Luciani deſcriptionem, *ſtaturâ brevis, corpore obeſus & ventriculoſus, Senex* item & *Simus* eſt, *auribusque magnis præditus.* Addit Author & baculum, quo innitatur tremulus, qui ut ut in aliis Antiquitatum reliquiis obvius ſit, in noſtra tamen Gemmâ non obſervatur, imò potius ipſe Silenus Bacchum, ſiniſtro ejus humero brachium injicientem, ſuſtinet. Bacchum ſuſtinet, juvenili flore fulgidum, quem manibus ſuis elevaverat, & nutriverat infantem, ut ipſe loquitur apud Euripidem in Cyclope, qualemque, Per-Ill. SPANHEMIO teſte, exhibet Statua Borgheſiana, quæ hactenus Fauni credita eſt. Silenum Bacchi Nutricium, & Pædagogum fuiſſe, bellorum item ſocium, optimorumque Studiorum & Authorem & Magiſtrum, qui multa ei ad virtutem, & gloriam commodaverit, Diodorus Siculus Author eſt. Τροφὸν Βάκχου, *Bacchi nutritorem* vocat & Orpheus in hymno: & Virgilio in Bucol. canente,

Sidera qui petiit, nutrit Silenus Jacchum.

Sed Dei non nutritor tantùm, imò & Famulus fuit, ſecundum Horatium in Poët.

An cuſtos FAMULUSQVE Dei Silenus alumni.

Indeque eſt, quòd in Gemma noſtra, licet & ipſe titubante gradu incedat, tamen humerum alumno ſuo ſubſternat. Si Phyſicè rem examines, ſub Baccho vinum, ſub Sileno vini vetuſtatem intelligas. Conſortium dulce eſt, eamque fortaſſe & rationem dixeris, cur Pauſania teſte, multis in locis, Silenus cum Libero Patre communia habuerit templa.

Finierat DULODORUS; At ARCHÆOPHILUS, ſive Gemmæ venuſtate captus, ſive res expreſſas, quod ſolebat, penitius trutinans: Amabò, inquit, tam raro divinæ artis monumento paulò diutius inhæreamus. Velim ex Te ſcire, quid de Silenis judices? an purum putum figmentum arbitreris, an autem Homines, an Dæmones?

Ardua quæstio est, respondit DULODORUS, Purum putum figmentum videntur facere, qui ad vini naturam Sileni simulacrum exigunt. Vinum obesos facit, & ventriculosos, facit titubantes & capite pendulos, Senes item & calvos & tardos, quæ omnia Sileno tribui, nemo nescit. Purum figmentum videtur facere & Eusebius III. Præpar. Evangel. ubi Silenum spiritalis motûs Symbolum fuisse, caput propter caniciem candore fulgens, motum Cœlestem, Cæsariem autem & barbam crassitudinem terrestris aëris ait significare.

Alii Dæmones arbitrantur, cœterorumque Deorum administros esse, id quod ex Strabone lib. X. adstruxeris. Alii denique homines, eò quòd antiquissimus, ut Pausanias & Pindarus habent, in Malea Laconum natus fuerit, & sepulcra eorum apud Hebræos & Pergamenos exstiterint, relictique à Baccho in Italia sint, qui vineas colerent, quæ utique non Dæmonum, sed Hominum opera sunt. Hæc ut ut se habeant, aliam tamen adhuc opinionem, non nisi gravatè, adfert Doctissimus Bochartus, Silenos ex Prophetia de Silo, horrendum in modum detorta, originem sumsisse conjectans, id quod quasi per nebulam jam viderit Justinus Martyr, asserens, eam Prophetiam Dæmones ad Bacchum retulisse, & in ejus Mysteriis ὄνον. *Asinum* recensuisse, posteriore Apol. pro Christianis: & rursus in Dialogo cum Tryphone Judæo. Hæc sententia tantò verior forsitan, quantò certius est, Gentiles non in his tantùm, sed in plerisque etiam aliis, purissimos sanctioris fidei latices, ausu planè nefariô, contaminâsse. Sed ad Bacchi asseclas regredimur. Tribus sequentibus in Gemmis exhibentur

FAUNI.

PRimæ similem, nisi quòd pro Fauno, Faunam exhibeat, apud Leonh. Augustinum videre est, pag. 137. Ex fictis Faunorum personis eam arbitratur, quas vel ad Scenam, & Dramaticam Poësin, vel etiam ad Ludos Circenses adhibitas, ad præcedentem Gemmam docuerat. In nostra non Fauna, sed Faunus, ex capillis noscitur; Neque enim religatæ sunt, ut apud Augustinum, sed virili brevitate, & sinciput & frontem inumbrant. Commodè hîc Priapea occurrunt, in quibus Carmine XXXVI.

Frontem COMATOS Arcadas vides FAUNOS.

Locus hic controversiâ non caret, inquit ARCHÆOPHILUS. Scaliger non futili ratione pro comatos, *cruentos* legit, idque ideò, quòd Pan, secundum Servium, rubenti facie pingeretur, quo sensu Virgilius in Ecloga X.

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Scio Scaligeri placitum, inquit DULODORUS, sed scio & placitum Perill. SPANHEMII, qui *Comatos* omninò legendum censet, in notis ad Juliani Cæsares pag. 341. idq; ideò, quòd hodieque in Statuis, & Toreumatibus, frontem comatam

matam Fauni præferant, nequicquam id negante Scaligero, qui Faunos semper calvos asserit, ideòque manum fronti pro umbraculo obtendere. Non id agunt, quòd calvi, sed quòd nudi fuerint. Non Silius tantùm de Pane, qui calvus non fuit,

Obtendensque manum, solem inferveſcere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu.

Sed etiam Faunus, in Gemma Augustini pag. 136. rem evincit; Is enim, licet comatus sit, manum tamen prætendit, non saltationem accommodaturus, uti Author conjicit, sed omninò frontem à Solis vehementia defensurus.

Sed si *Comatos* legas, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo distinguentur Fauni à Baccho? Hoc argumentum, respondit DULODORUS, ejusdem Scaligeri est; Non autem Bacchum, sed Apollinem debuisset adducere. Bacchum utique forma Virginis abundè distinguit. Apollo autem, qui *comosus* dicitur, dubium movere posset. Sed est etiam inter hos differentia. Fauni *frontem comati* dicuntur, Apollo autem absolute *comosus*, idque ideò, quòd hic ἀκερσεκόμης, *intonsus* toto capite fuerit: Illi autem, in fronte præcipuè, comam hirsutam habuerint.

Comam, inquit ARCHÆOPHILUS, non amplius obstare video, & eò lubentius Tibi subscribo, quò majore authoritate contra Scaligerum usus es. De Faunis autem ipsis adhuc dubium supereſt. Faunis, si Ovidium audias, Cornua tribues, & Pedes Caprinos, ut & ipsi Pani, & Satyris. Ita ille II. Fastorum:

Cornipedi Fauno, cæsâ de more capellâ,

& in Oenone:

Cornigerumque caput Pino præcinctus acutâ
Faunus.

Hæc nihil movent, inquit DULODORUS; Fauni enim Poëtis ideò capripedes & cornuti vocantur, quòd iidem his fuerint, cum Panibus Græcorum. Audi Turnebum adverſ. lib. I, 18. c. 8: *Qui Panes*, inquit, *à Græcis vocantur, eos Latini videntur, additâ adſpiratione, Faunos vocare.* Non abs ratione Turnebus; Horatius enim Pana, absque omni dubio Faunum appellat, id quod ex monte Lycæo intelligas, qui Pani sacer fuit:

Velox amœnum ſæpè Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus.

Quorsum hæc? infit ARCHÆOPHILUS. Nonne meam potius opinionem firmant, pedibus scil. caprinis, capitibusque cornutis, Faunos incedere, adeòque propositis in Gemmis Faunos non esse?

Nullo modo, respondit DULODORUS, ut enim Poëtis libuit Faunos, Græcorum more, habitu Panos describere, ita Statuariis, Plastis, & Cœlatoribus Gemmarum, eos humanâ formâ, tam infernè quam supernè, volupe fuit effingere: An quòd hi à Fauno Aboriginum Rege, Faunos deducebant? An quòd in Theatra adducentibus habitu distinguendi videbantur?

Quid audio, inquit ARCHÆOPHILUS. An Faunos etiam in Theatra adduxêre? Id jam ab initio, respondit DULODORUS, fide Leonh. Augustini dictum est. Si Authorem priscum desideres, Horatium adi, qui in Arte Poëtica, cùm varias Personas instrueret, etiam *Sylvis deductos Faunos* monet, ne velut in triviis loquantur: & quorsum arbores, speluncæ, montes, reliquæque res agrestes, quibus in topiarii operis speciem deformatis, Satyricam Scenam ornandam Vitruvius lib. V. c. 8. præcipit? Quorsum, inquam, si non Sylvestria Numina iis inducerentur? Exemplum talis Scenæ in Spicilegio meo dedi, id quod ex his locis non exiguam lucem mutuare poterit.

Scena Satyrica dicta est, infit ARCHÆOPHILUS; quid igitur, si soli Satyri eam implevérint, qui capripedes fuêre? Satyros capripedes negare non possum, respondit DULODORUS, sed tales ab initio non fuisse, omninò notandum est. Nonnus lib. XIV. post versum 105. ubi plura de Satyris, tandem subjicit:

— — Ὑγρογόων γὰρ
Νηιάδων ποτὲ παῖδες ἔσαν βροτοειδὲϊ μορφῇ.
— — *Aquis natarum enim*
Najadum quondam pueri, erant hominibus simili formâ.

Unde igitur Metamorphosis? subjecit ARCHÆOPHILUS Idem Author, respondit DULODORUS, eam suppeditat. Cùm Bacchum custodirent, Bacchus autem nihilominus mox in hircum, mox in virginem, se mutaret, Junonem memorat iratam eos mutâsse.

Hæc si ita sint, denuò infit ARCHÆOPHILUS, non amplius mirabor, quî Pausanias in Atticis, Satyrorum maximos, Silenos dictos asserat, cùm tamen Sileni hactenus, non aliter ac humanâ formâ, Satyri autem caprinâ apparuerint. Potius ad Gemmas quærendum, unde Faunos in iis agnoscas, & non potius juvenes Silenos, quales etiam apud Per-Ill. SPANHEMIUM, ad Cæs. Juliani ex antiquo monumento cernimus, aut quod secundum Pausaniam idem est, Juvenes Satyros? Juvenes Satyros inquam; Silenum enim Satyrorum Parentem Ovidius facit, semel Fastorum III. ubi cùm Silenus cecidisset, spiculis crabronum confectus,

Concurrunt Satyri, turgentiaque ora PARENTIS
Rident: — —

& iterum lib. I. de Arte amandi, ubi denuò eum Silenus:

In caput aurito cecidit delapsus asello,
Clamârunt satyri: surge age! surge, PATER!

Profundè philosopharis, inquit DULODORUS, & penè eandem sententiam tangis, quæ & mihi jam dudum sedit: Scilicet, uti Fauni & Panes iidem fuêre, uti supra demonstravimus, ita & Silenos & Satyros revera non alios esse, quàm Panes & Faunos; Licet enim & nomine, & ut plurimùm etiam formâ distinguantur, tamen interdum etiam confundi, facilè probavero. Faunos hîc humanâ formâ cernimus. Tales fuisse & Satyros, non tantùm antequam mutarentur, ut supra vidimus, sed etiam post Metamorphosin, ex relatione Euphemi Caris, apud Pausaniam colligo. Memorat ille: *Cùm in Italiam navigaret, Ventorum impetu in Oceani extremas oras delatum, ibique desertas fuisse insulas multas, quas agrestes homines incoluerint, & ad alias quidem noluisse nautas appellere, cùm & ante appulissent, & à quibus incolis tenerentur, non ignorarent, tunc verò tempestate appulsos. Insulas autem nautis appellari SATYRIDAS, incolas rufos esse & CAUDAS, haud multò Equinis minores, infra clunes habere.* Vides ARCHÆOPHILE, Caprinæ figuræ nullam hîc esse mentionem. Caudæ tantummodò meminit, quæ in Gemmarum *prima* & *tertia* ad oculum patet. Proinde si hâc ratione Satyros hos esse, credere velis, liberum esto! Satyros certè caudis insignitos, etiam Nonnus testatur, allegato libro. ℣. 143.

— Ἱππείη δὲ τιταινομένη διὰ νώτου
Ὄρθιος ἀμφιέλικτος ἐπ' ἰξύος ἔρρεεν οὐρή.
— *Equina verò extensa per dorsum,*
Acclivis circumvoluta super ilia fluebat cauda.

Et Lucianus, in Deorum Concilio, cùm Satyros deſcripſiſſet, ἔχουσι οὐρὰς ἅπαντες *ſunt*, inquit, *CAUDATI omnes*. Et iterum in Baccho, ubi in ejus exercitu etiam νεανισκους γυμνους, κέρδακα ὀρχουμένους, οὐρὰς ἔχοντας, *Adoleſcentes nudos, Cordaca SALTANTES, CAUDASQVE habentes*, memorat.

At is, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, qui in ſecunda Gemma viſitur, caudâ inſignis non eſt. An ſit, an non ſit, reſpondit DULODORUS, de eo, cùm tergum avertat, judicare non poſſumus. Sed illud hic monendum, Artifices non omnia inſignia omnibus tribuiſſe. Licet hic caudatus non ſit, tamen Pedum & Pellem geſtat, & cum Hinnulo ſaltat. Alii caudati ſunt, Pelle autem & Pedo deſtituuntur. Alii auribus acutis inſigniuntur, Alii Cornibus, Alii Pedibus Caprinis, Alii horum quibusdam, Alii omnibus. Variat in his, ut Authorum, ita etiam Artificum authoritas: Vulgò tamen, ut ab initio dixi, Satyros & Panes putamus, qui caprinis pedibus incedunt; qui verò humanis, eos Faunos, aut Silenos, adeò ut ſecundum hæc, non arbitrer me errâſſe, quòd Faunos his in Gemmis exhiberi pronunciaverim.

Sed an pedum & pellis, inquit ARCHÆOPHILUS, indubitata ſunt Fauni inſignia? Quid ſi paſtoris cujusdam videantur? Pedum & pellis, reſpondit DULODORUS, in Numiſmatibus etiam Pani tribuuntur, uti videre eſt apud Per-Ill. SPANHEMIUM, ad Cæſares Juliani pag. 50. Pana autem, eundem cum Fauno fuiſſe, ſupra docuimus. An Paſtorem quendam hîc latere credas, an DEUM, perinde eſt, utrinque enim paſtorium munus intelliges.

Paſtorium munus? inquit ARCHÆOPHILUS; Atqui Hinnulus non ad Paſtoritiam, ſed ad Venatoriam potius pertinet; Si placet, reſpondit DULODORUS, uti ſub pedo Paſtoritiam, ita ſub Hinnulo Venatoriam contemplari poteris, utramque enim Paſtores exercuêre, alteram ut greges paſcerent, alteram ut à feris tutas præſtarent; Quanquam Hinnulus hic, non tam ad Venationes, quàm ad Sylvas reſpicere videatur, quibus Faunos attributos, ex Plinio, lib. XII. c. 1. diſcimus.

In mentem mihi veniunt Sylvani, inquit ARCHÆOPHILUS. Etiam horum forſan hîc ratio haberi debet. Sylvanus, reſpondit DULODORUS, apud Maronem Eccl. X. *agreſti capitis honore*,

Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſat,

& alibi:

— — *Teneram ab radice Cupreſſum*

Fert. — —

Inter Antiquitatis reliquias, Pini ramum, & falcem, cum Chlamide frugibus repleta, oſtentat. Si hæc conſideres, forſitan ad ſylvas ſolas Sylvanum relegabis; Sed ego facillimè, non tantùm ejus ad Gemmas noſtras rationem haberi poſſe, fatebor, ſed & re ipſa non niſi nomine, & plerumque etiam figurâ, à Faunis, Satyris, Silenis, & Panibus diſtare. Virgilio lib. I. Æn. *Arvorum Pecorisque Deus*, Lucilio, *exactor Luporum* dicitur, & apud Ælianum hiſt. animal. *Pedes* ei *caprini* dantur, non minus ac Satyris & Pani. Hæc ſi ita ſint, non abſurdè ad Hinnulum hac in Gemmâ expreſſum, Cypariſſi cervam attulero, quam Sylvanus occidiſſe, Servio memoratur: Non abſurdè differentiam indicavero, inter publicam Ceremoniarum Opinionem, & Sententiam Prudentiorum. Illa Deum agrorum & pecoris, Sylvanum credidit, hæc autem ὑλικὸν θεὸν, id eſt DEUM τῆς ὕλης, patefecit; Ὕλη autem eſt fex omnium elementorum, id eſt, ignis Sordidior & aër, item aquæ & terræ Sordidiora, unde cuncta procreantur, quam ὕλην Græci, Latini materiem appellârunt, nec incongruè, cùm materies Sylvarum ſint. Non hæc de meo profero. Servii ſunt ad dictum Virgilii locum: Indeque conſtat, re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ipsâ Sylvanos cum Pane, Satyris, Faunis, &c. eosdem fuisse, licet subinde etiam distinguerentur. Non in his tantùm exempla sunt, imò & in Gemma tertia prodit, ubi Faunus à tergo Thyrsum ostendit, manibus autem personam amplectitur. Personam, quòd ut supra dictum est, etiam Theatris Fauni illati fuerint. Thyrsum, quòd ex consortio Bacchi fuerint. Faunum Italiam reliquisse, Bacchoque comitem in India fuisse, Nonnus Author est, Dionys. lib. XIII. ℣. 329. Et si Satyros respicias, quorum pleraque secundum demonstrata, Faunis applicare possumus, Diodorus Siculus se sistit: *Satyros*, inquit, *Baccho adjungunt, qui in Saltationibus, & ludis tragicis, risûs jociique oblectamenta DEO cieant; Ut enim Musæ liberalis disciplinæ bonis illum juvant & demulcent, ita Satyri ludicris, & ad risum compositis gestibus, & actionibus, vitam Dionyso beatam, gratiisque delibutam reddunt.*

ARCHÆOPHILUS, his, inquit, ita deductis, rei satis intricatæ affudisti lucem. Jam mihi videor de quibusvis hujus generis judicare posse. Mihi gratulor, inquit DULODORUS. Eò minore verborum ambitu confido in sequentibus opus fore. Succedit.

MARSYAS TIBICEN,



Sard. inc.

MArsyam ab Apolline, cum quo Tibiis certaverat, victum & excoriatum esse, in vulgus patet. In Gemma nostra tibias quidem inflat, sed non cum Apolline contendens, sed ad aram. Ara, Marsyæ pietatem indicare potest, indicare potest puritatem, quarum illâ Cybelen secutus, hâc per totam vitam à re venereâ se integrum præstitisse memoratur. Utrumque testatur Diodorus: *Cybele*, inquit, *Montana Mater appellata est. Frequens circa illam Phryx ille Marsyas, primusque inter necessarios erat. Mira in homine isto solertia, & castitas. De Solertia inde conjecturam faciunt, quòd fistulæ multis instructæ calamis sonos imitatus, totam ad tibias harmoniam traduxit. Pro castitatis argumento habent, quòd ad vitæ usque finem à re venerea se integrum conservavit.* Et paulò post: *Marsyas calamitatis Cybeles misertus, pristinæ amicitiæ studio, quocunque oberrat assectatur.* Hæc Diodorus, quæ ad Gemmam nostram, me quidem judice sufficere possunt.

Mihi, regessit ARCHÆOPHILUS, quædam adhuc in contrarium occurrunt: primò enim Marsyas secundum Pausaniam Silenus fuit, & eo habitu etiam in Gemma Neroniana apud Leonh. Augustinum part. II. n. 9. excoriatur: Secundò, video columnam à tergo, eique nisi fallor, pateram insistentem cum cibis, quos serpens columnæ circumvolutus petit. Hæc non tam pietatem in Cybelen, quàm sacrificium pro salute videntur denotare.

De sacrificio pro salute, respondit DULODORUS, inficias non iëro, sive illud pro se, sive pro Cybele peregerit. Cybelen certè non tantùm sanam, sed etiam furentem secutus est, ejusque honori, inventum à se Tibiarum cantum,

Matro-

Matronum appellavit. Allegatus à Te Pausanias rei Author est, cui, quod Silenum attinet, Authoritatem Ovidii opponere possem, qui non Silenum, sed Satyrum appellat, Metam. VI. ℣. 383. Opponere possem Satyri vincti statuam, in quam Alcæus ludens, Marsyæ cum Phœbo certamen, vinculorum causam facit. Sed meminisse Te velim, quod jam supra dixi, Satyros & Silenos interdum capripedes, interdum pedibus humanis effigiatos esse, idque secundum eundem Pausaniam, qui Satyrorum maximos, Silenos dictos asserit, adeoque à diversitate pedum, nihil in contrarium probari. Tota ratio in tibiis consistit, imò etiam in Tibiarum numero; *Duas* enim *tibias* Marsyam habuisse, ex allegatâ Gemma Neronianâ patet, ubi tot ab arbore dependent. Accedit & Plinii testimonium lib. VII. c. 56. ubi Marsyam *geminas tibias* reperisse, apertè docet.

Atqui allatum Alcæi Epigramma, de tribus loquitur, inquit ARCHÆOPHILUS, ita enim interpres ejus Megiserus:

Amplius haud ternis chordas sociare licebit
Pinosâ in Phrygiâ, Tu velut ante potes.

Falsum hoc, inquit DULODORUS; Græca enim de numero nihil habent. Non τρίτων legendum, sed Τρητῶν, à τρητὸς, *perforatus*. Versus ita habet:

Οὐκ ἔτ' ἀνὰ Φρυγίην πιτυοτρόφον ὡς ποτὲ μέλψεις
Κροῦμα διὰ τρητῶν φθεγγόμενος δονάκων.

Vides, ARCHÆOPHILE, numeri hîc mentionem non haberi, adeòque pluralem, secundum Plinium, de *duabus*, διδύμοις αὐλοῖσιν, uti Theocrito vocantur, intelligendum esse, non minus ac apud Pausaniam in Corinth. ubi Tibias Marsyæ, post adversum Sileni casum, Marsyas amnis in Mæandrum, Mæander in Asopum detulisse, ejectas inde in agrum Sicyonium Pastor sustulisse, & Apollini dedicâsse, memoratur: & in Arcadicis, ubi in templo Mantinææ, in basi signorum, quæ Praxiteles fecit, Μαρσίας αὐλῶν, *tibiis canens* fuisse legitur, eo forsitan schemate, quo & in nostra Gemmâ. Sed hæc pertinacius non defendam, si Marsyam neges, Satyrum credere poteris. Mihi dum Phrygium Tibicinem contemplor, commodè se sistit & Phrygiæ Rex

MIDAS, AN FAUNUS? PANIS FISTULA delectatus.

QUod ad Gemmam attinet, inquit ARCHÆOPHILUS, miror artificium, miror raritatem, an autem Midas exhibeatur, permitte, ut meo more aliquantisper dubitem. Midas Rex fuit, quodnam autem hîc Regii fastigii indicium? Midas in nummo prostat, apud Nobil. Sponium, sed quænam ejus cum propo-

propoſito ſimilitudo? Hîc Sylveſtri planè facie, comis in horrorem erectis, promiſſaque & ſquallida barbâ viſitur, illîc autem barbâ decenti conſpicuus eſt, Phrygiâque Tiarâ comam premit. Quid reſpondes DULODORE?

Id quod Ovidius, inquit ille. Cùm terſiſſimus Vates, Midam voto auriſero ſolutum cecinisſet, de eodem ſubjicit:

Ille peroſus opes, ſylvas & rura colebat,
Panaque montanus habitantem ſemper in antris.

Scilicet, non Regiam hîc Midæ formam conſpicimus, quam ante habuerat: non etiam eam, quam, auribus in aſininas mutatis, reſumſiſſe memoratur, de quâ idem Poëta ad Nummum appoſitè:

Ille quidem celare cupit, turpiſque pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Sed eam omninò, quam, Sylvas, & Pana colens, ex loci natura, Deique æmulatione traxiſſe potuit. Longos tunc ei capillos fuiſſe ex eodem Ovidio conſtat:

Sed ſolitus LONGOS ferro reſecare CAPILLOS.

Et quid mirum, ſi longi hi capilli ventis, & tempeſtatibus, in horrorem abierint, qui Pani alienus non eſt?

Ex dubio dubium ſeris, inquit ARCHÆOPHILUS; Pana ſecutum Naſonis teſtimonio probaſti; At in Gemma nulla Panos mentio eſt. Sedet vir quidam, an Paſtor? Fiſtulam inflans, non ſeptem, ut Panos, ſed quinque cicutis compactam. Hiccine Pan? & ſi non ſit, qui Midam evinces, qui eum auſcultat?

Duplex apud Mythographos fama eſt, inquit DULODORUS, pars Panæ ſecutum, ejus fiſtulam Apollinis Citharæ prætuliſſe canunt: Alii judicem fuiſſe inter Apollinem & Marſyam memorant. Qui Gemmam ſculpſit, ex utroque aliquid hauſiſſe videtur, Fiſtulam à Pane, figuram à Marſya; Hunc enim utrâque & hominis & Satyri formâ effigiatum ſuprâ vidimus.

At Marſyas, inquit ARCHÆOPHILUS, non fiſtulâ, ſed tibiis legitur cecinisſe? Tibias, reſpondit DULODORUS, ad ſonos fiſtulæ eum compoſuiſſe, ſupra ex Diodoro audivimus, adeòque quid prohibet, quò minus & ipſe fiſtulâ cecinisſe credatur? idque ante adhuc, quam tibias inveniſſet? duo ſunt, quæ aſſertum fulcire poſſunt, Ætas adhuc virili robore ſucculenta, & fiſtula non ſeptem, ſed quinque cicutis compacta; Quid enim? annon gradatim ad Tibiarum inventionem eum deſcendiſſe putabimus? Ita ut ſublatis quibusdam cicutis, reliquis tentaverit eandem harmoniam excitare?

Si hæc concederem, inquit ARCHÆOPHILUS, vix tamen cedere poſſem de fœmina, quam tuam ad mentem Midas in Gemma amplectitur, arctèque ſibi adjungit. Quid hæc ad Midam? & an nuda ſe ſe exhibeat?

Fœmina, quam hîc cernis, reſpondit DULODORUS, Hermodice eſſe poteſt, Midæ uxor, quam Cœlius Rhodiginus, tum formâ conſpicuam fuiſſe, tum verò ſapientiâ & artifici ingenio plurimum præſtitiſſe, ex Veteribus obſervat. Formâ conſpicuam etiam ipſa Gemma exhibet, & ſapientiam ingeniumque, curioſa attentio arguere poteſt, quam Marſyæ, Panos fiſtulam in tibiarum formam coarctanti, præſtat. Hæc utcunque ſe habeant, Tuæ fidei libera ſunto! Si aſſentiaris, habebo quod mihi gratuler; ſin minus, ne ſic quidem ſpem abjicio Tibi ſatisfaciendi. In cenſum enim venire poteſt Olympus Marſyæ Amaſius quanquam is Tibiis maximè inclaruerit. In Cenſum venire Apollo, qui eodem ferè modò, quò hîc viſitur, in nummis Pellæ occurrit, ſi Jacobo de Wilde aſſentiaris. De hoc forſan eò libentius accipies, quò certius Apollo, & paſtorum munus ſubiiſſe, & Midæ judicio interfuiſſe memoratur. Si autem & Midam rejicias

non

non tamen rejicies, ſcio, opinionem de Fauno, Paſtorem quendam fiſtulâ canentem auſcultante. Paſtores fiſtulâ, cerâ compactâ, canere ſolitos, ex Theocrito planum eſt, in Epigrammate:

— — Ὁ βουκόλος ἅμμιγα θελξεῖ
Δάφνις κηροδέτῳ πνεύματι μελπόμενος.
— — *Bubulcus ſimul oblectabit*
Daphnis cerâ compacto ſpiritu modulans.

Et clarius Idyll. VI. circa finem:

Χὠ μὲν τῷ σύριγ'γ. ὁ δὲ τῷ καλὸν ἄυλὸν ἔδωκεν.
Ἄυλει Δαμοίτας, σύρισδε καὶ Δάφνις ὁ βῶτας.
Et ille quidem huic fiſtulam, hic autem illi pulchram tibiam dedit.
Tibiâ canebat Damoetas, fiſtulâ autem canebat Daphnis bubulcus.

De Fauno fiſtulam amante, Prudentius docet, *Faunos Priapoſque fiſtularum præſides* appellans: Docet Gemma in Theſauro Palatino prolata, ubi à Fauni cum Fauna ſedentis tergo fiſtula dependet. Ejus certè Gemmæ indiciô, etiam hic Faunum cum Fauna haud abs re intellexeris; ita enim Servius ad illud Virgilii lib. VII. Æn.

Hunc Fauno & Nymphâ genitum Laurente Marica.

Quidam Deus, inquit, Fatuellus eſt. Hujus uxor eſt Fatua. Idem Faunus & eadem Fauna. Dicti autem ſunt Faunus & Fauna à vaticinando, id eſt, fando.

Hæc opinio, inquit ARCHÆOPHILUS, prioribus potior videtur; Sed mihi adhuc alia in mentem venit: Quid ſi Polyphemus hîc, cùm Galathea credatur, cujus honori Paſtor carmen decantet? Horror faciei, Cyclopici quid innuit, & amores cum Galathea, notiores ſunt, quàm ut plura de iis proferre, operæ pretium ſit. Adde quòd apud Theocritum Idyll. VI. Daphnis Paſtor inducitur, Polyphemum, quaſi præſentem, alloquens.

Accederem placito, reſpondit DULODORUS, ſi vel Polyphemus ex oculo noſceretur, vel etiam amplexus ei quadrarent. De Oculo noti ſunt Virgilii verſus:

— *Telo lumen terebramus acuto,*
Ingens quod torvâ ſolum ſub fronte latebat,
Argolici Clypei, aut phœbææ Lampadis inſtar.

Quomodo hæc ad Gemmam, in qua duos oculos obtinet?

Hæc nihil obſtant, inquit ARCHÆOPHILUS; Servius enim ad hunc ipſum locum teſtatur, licet multi Polyphemum, unum tantùm oculum habuiſſe dixerint, alios tamen ei duos, alios autem tres dediſſe. Eadem ratio eſt etiam amplexûs. Scio Galatheam, cùm amaretur à Cyclope, ſecundum fabulam, eo ſpreto, Acin Paſtorem amâſſe; Ita enim Servius ad Ecl. XI. Sed & ſcio, aſſertum allegati Paſtoris Idyll. VI. qui Galatheam Polyphemi gregem malis petere, illum autem δυσέρωτα *difficilem amore*, eam non aſpicere canit.

Locus pro me facit, reſpondit DULODORUS, apertè enim de Galathea dicitur:

Φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.
Fugit amantem & non amantem ſectatur.

Tantùm abeſt, ut eos tam arctè, tam familiariter conveniſſe, credere poſſis, quam in Gemma noſtra viſuntur: Indeque tutius opinor in Mida, aut ſi hic minus placet, in Fauno acquieveris.

De cippo, cui Paſtor inſidet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, adhuc dubium eſt. Caput arietis ei affictum cerno, quam ob rationem, ſi me edoceas, gratum feceris.

Non caput tantùm, respondit DULODORUS, sed & integram pellem, cippo instratam, aut circumvolutam cernis, idque ad morem Pastorum, qui vel jacentes vel sedentes, pelles substernere solebant. Eundem Bucolicum Tibi testem sisto, Idyll. V. cùm Comatas de Lacone dixisset:

Φεύγετε τὸν λάκωνα, τό μεὺ νάκος ἐχθὲς ἔκλεψεν.
Fugite Lacona: Mei PELLEM CAPRINAM Heri furatus est;

Respondit ille:

— — Τὶν δὲ τό ποῖον
Λάκων ἐκκλέψας ποκ' ἔβα νάκος; εἰπὲ κομάτα.
Οὐδὲ γὰρ ἐυμάρᾳ τῷ δεσπότᾳ ἦς τοὶ ἐνεύδεν.
— — *Tibi autem qualem*
Lacon furatus olim abiit PELLEM? Dic Comata;
Nam ne Eumaræ quidem Hero tuo erat, in qua CUBARET.

Et paulò post:

Ημὲν ἀγναχίδας τε καὶ ἔιρια τᾶδε πατήσεις.
Atqui agnorum PELLES & lanas hic CALCABIS.

Et Comatas iterum:

— — Ὑπεσσεῖται δὲ χιμαιρᾶν
Δέρματα.
— *SUBSTERNENTUR autem CAPELLARUM PELLES.*

Sed ad Consortium Bacchi, ut regrediamur,

BACCHA

Monet: Fœminam in hac Gemmâ, elegentissimâ sanè, & egregiæ magnitudinis, & baccatum monile collo circumdatum, & inaures demonstrant: Fœminam ex consortio Bacchi ostendit pellis, non leonina, quæ Omphalem potius, aut Dejaniram proderet; Sed hinnulea, quales induere, & per ungulas, quod etiam in Gemmâ cernimus, constringere solebant & Bacchus, & Bacchi Comites. Bacchas Virgilius lib. I Æneid. *incinctas pellibus* appellat, & apud Ovidium:

— *Festum celebrare Sacerdos,*
Immunesque operum famulas Dominasque suorum,
Pectora PELLE tegi,

Jusserat. In nostra Gemmâ non pectus, sed caput pelle tegitur, qualiter & apud Claudianum in Raptu, Bacchum ipsum

— — *Parthica velat*
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

Tigrim

Tigrim vocat, cujus loco in noſtra Gemmâ pellis hinnulea eſt, quæ *Nebrù* dicebatur, quamque & ipſam Bacchum geſtâſſe, apud Diodorum legimus. Mentionem habet Sidonius:

Baſſaru & maculis Erythreæ NEBRIDIS horrens.

Quod de fœminâ Bacchi cultrice pronunciatum eſt, qualem in Gemma contemplamur: Ad quam proinde, non abs ratione ſequentia Dionyſii Panoplitæ Dionyſ. XIV. citamus:

Ἄλλη ποικιλόνωτον ἐπὶ στέρνοιο καλύπτρην,
Παρδαλίων· ἑτέρη δὲ κατὰ χροὸς ἷα χιτῶνα,
Στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεύσατο δέρματα νεβρῶν.
Alia variè maculatum in pectore habens tegumentum,
Pantherarum: Alia verò ſupra corpus, tanquam tunicam
Varias ſcopulos amantium inducit PELLES HINNULORUM.

Fuit, qui Ariadnem hanc, Bacchi Amaſiam, aſſereret, ſed ratione ſatis fragili, cùm ex venuſtate faciei id colligeret, quæ tamen pluribus communis eſt.

De Ariadna facile ceſſero, interrupit ARCHÆOPHILUS, ſed de Inauri & Monili baccato non item; Neque enim video, quomodo indubitatò fœminam demonſtrare poſſint. Apud Ovidium de Atye dicitur:

Ornabant aurata monilia collum.

Et aliundè conſtat, etiam Deum Hiſpanum, & Apollinem, imò & ipſum Atyn, baccato monili collum circumdediſſe, caputque petaſatum, quod apud Goltzium in Numiſmate Ætolorum proſtat, eodem ornatu inſigne eſſe. Addi poteſt & Maſiniſſæ, Mauritaniæ Regis effigies, apud Leonh. Auguſtinum: Addi & teſtimonium Juvenalis Sat. II. ℣. 85. cum mollitiem quorundam culpat:

Longa domi, inquit, *redimicula ſumunt*
Frontibus, & toto poſuêre MONILIA COLLO.

His ſanè poſitis, neſcio an æquam videri poſſis diſtinctionem generis, his ex Inſignibus traxiſſe?

Omninò, reſpondit DULODORUS, neque enim hîc vel de Diis loquimur vel de Barbaris, aut effœminatis. Deos utriusque naturæ eſſe, antiquis creditum ſcimus, adeòque mirum non eſt, ſi & utriusque naturæ ornatum interdum præferant; Sed de hominibus, niſi ut dictum, de Barbaris & effœminatis loquamur, res aliter ſe habet. Plinius in eo capite, quo de Margaritis agit, licet ab initio *parum fuiſſe* dixerit, *ingulas condi Maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore, à fœminis juxta virisque geſtarentur*; Collo tamen virorum circumdatas Margaritas, aſſerere non potuit, imò nec unicum ejusmodi in viro exemplum adduxit, cùm tamen idem de *Lollia Paullina* dicat, ſe eam vidiſſe, *Smaragdis MARGARITISQVE opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, ſpiris, auribus, COLLO, manibus, digitisque.* Ita & Virgilius lib. I. Æneid.

— — *Colloque monile*
Baccatum.

Et alibi:

Niveo retinens baccata monilia collo.

Quæ de fœminis dicta facile intelliget, qui poëmatum ſeries attenderit. Memorabile eſt, quod Arrianus refert, in Indicis: *Herculem* ſcil. *in India Margaritas colligi juſſiſſe, quibus FILIA ejus ornaretur.* Audi! Hercules ornatum hunc non ſibi, ſed filiæ addicit! Eâdem ratione, quâ & inaures non viris, ſed fœminis datas, vulgò docemur. Audiatur Claud. VI. Coſ. Honorii:

— — *Et colla monili*
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Et Horatius lib. II. Sat. 3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ
Diluit insignem baccam.

Juvenalis Sat. VI.

Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Sic & Ælianus, inter luxum muliebrem etiam *inaures longas, ex auribus dependentes*, numerat: Et idem Plinius: *In alto*, inquit, *concitantur marinis canibus, nec tamen AURES FOEMINARUM arcentur*; Et iterum: *Elenchos appellant, fastigiatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes. Hos digitis suspendere, ac binos ac ternos AURIBUS, FOEMINARUM gloria est.* Ita de Cleopatra: *Gerebat AURIBUS cum maximè singulare illud & ferè unicum Naturæ opus*, & Paulò post de Venere: *Comitetur fama Unionis parem, capta illa tantæ quæstionis victrice regina dissectum, ut esset in utrisque VENERIS AURIBUS Romæ in Panthæo dimidia ejus cœna.*

Forsitan quod supra de Margaritis collo circumdatis, etiam hîc de inauribus objicies, Æthiopes adducendo, quos auribus Margaritas appendisse, infra docebimur: adducendo Plinium, quô teste idem etiam in Oriente usitatum est, id quòd exemplò Regis Indi, Bartholinus ex Curtio probat, in tractatu de Inauribus Veterum.

Ego hæc inficias ire non possum; Illud autem moneo, quod jam supra dixi, quæcunque ejusmodi præferuntur vel barbaros concernere, vel effœminatos. Inter Græcos id vix, inter Romanos rarò inveneris, nisi quòd sub finem tertii à Christo nato sæculi, Coronis & Diadematibus Imperatores imò & vestibus, unguibus, cruribus, bracchiis, pedibusque Margaritas imposuerint: Planè ut, quod in fœminis culpat Plinius, hîc de viris asserere possis: *Quin & pedibus* inquit, *nec crepidarum tantùm stragulis, sed totis socculis addunt.* Quicquid sit, collo circumdatas, etiam apud hos vix inveneris: Auribus appensas rarissimè. Unicum Exemplum infra proferam. Nunc ad alia pergo. Ex ordine procedit

BACCHANS.

BAcchi assecla hanc effigiem addicit, non tantùm hedera capiti circumdata, non tantùm maculata pellis, sed & risus indecens, & gravida capitis inclinatio. Hederas Baccho sacras esse, jam supra dictum est. Rationes consecrationis variæ sunt: Vel quòd Bacchus eâ in arbore fuerit occultatus: vel quòd racemos uvarum hedera imitetur: vel quòd semper viridis & juvenis, qualis ipse Deus: vel quòd frigida hæc arbor naturâ ob insitum frigus, adjumento sit adversus ebrietatem, vel denique quòd Cissus puer, Bacchi comes, cùm inter saltandum periisset, Dei jussu in arborem fuerit commutatus, quam Græci κίσσον Latini hederam vocârunt; Sed hæc latius apud Mythographos.

Macu-

Maculosam pellem Nebridem dictam, Bacchoque sacratam, non minùs suprâ dixi meus. Sed ibi capiti inducta erat, & sine maculis; In propositâ autem Gemmâ inducta est tergo, & maculis cernitur distincta. De maculis observandum, non tam nativâ hinnuleæ pellis varietate eas effulsisse, quàm ornatu appositicio. Sic de Baccho Claudianus in IV. Cos. Honorii:

Talis Eritbræis intexta nebrida Gemmis
Liber agit currus.

Et Statius Achill. II.

— — *Bacchæaque terga, mitrasque*
Hue tuleris varioque adspersas Nebrides auro.

Rationem macularum habes apud Diodorum Siculum, lib. I. Ubi astrorum varietatem eo habitu docet adumbrari, quasi verò cœlum non Dei domicilium, sed vestis esset. Ita & Nonnus lib. XIV. Dionys.

Νεβρίδα λαχνήεσσαν ἐπὶ στέρνοιο καλάψας,
Στικτὸν ἔχων θώρηκα τύπον κεχαραγμένον ἄστρων.

Cervinam pellem birsutam pectori adaptans,
Maculosum habens thoracem ad imaginem exaratum astrorum.

Qui locus simul & de pelle, Thoracis instar, non pectori tantùm, sed & tergo inducta, testari poterit.

In Capite nimio potu pendulo, Fanaticorum mos succurrit apud Apulejum lib. VIII. *Capite demisso*, inquit, *cervices lubricis intorquentes motibus*; & Exemplum Apollodori apud Ælianum, Variar. Hist. lib. XIV. c. 41. ubi vino inflammatus præter naturam Corporis etiam Inclinationem adjunxisse memoratur. Imò & Aristotelis effatum apud Athenæum pag. 34. Ὅτι οἱ μὲν ἀπ' οἴνου μεθυσθέντες ἐπὶ πρόσωπον φέρονται; *Eos qui vino temulenti sunt, in faciem pronos vergere.* Et ne risum omittam, succurrit Epigr. Gr. lib. I. c. 38. n. 11. quod Bacchum φιλομειδέα, *risum amantem* cantat & apud eundem Athenæum pag. 35. Diphilus Comicus ad Bacchum, τὸν τὰς ὀφρῦς ἄιροντα συμπείθεις γελᾶν. *Supercilios & tetricis persuades ut rideant.*

Benè hæc se habent, interlocutus est ARCHÆOPHILUS, sed nimis cautè mihi videris Bacchantem, aut aliquem ex consortio Bacchi nominâsse, cùm rustica facies, comarumque horror non hoc tantùm, sed in specie Faunum quendam videatur indigitare?

Quod ad me attinet, respondit DULODORUS, quid Faunum demonstrare possit, non video; Neq; enim vel *cornua* apparent, quæ Fauno tribuit Ovidius II. Fastorum, & in Oenone, vel *aures acutæ*, quas Capripedes Faunos habuisse, Horatius testis est, vel *cauda*, *nebris* aut *pedum* de quibus suprà vidimus. Rustica facies non sufficit, cùm hæc non Faunis tantùm, sed & aliis Bacchi cultoribus communis fuerit. Si ad speciem descendere placeret, forsitan etiam juvenem aliquem Silenum diceres, de quibus videri potest, allegatus Per-Ill. SPANHEMII locus ad Cæsares Juliani pag. 393. & 432. idque forsan vel ideò non sine ratione, quòd & risûs & ebrietas Sileno apprimè conveniant; Sed mihi in genere subsistere tutius est visum, pertinaciter non restituro, si quis aliud firmioribus fulcris edocuerit.

Is Ego non sum, regessit ARCHÆOPHILUS. Libenti potius animô recum & ipse in Bacchi asseclâ pedem figo. Idque eò magis, quò illustrius artificium

HERCULES ET DEIANIRA

Oſtentant. Herculem ex Leonis pelle agnoſco, agnoſco ex terribili vultu, quem ei, utpote Jovis filio, tribuit Apollodorus.

Non hoc tantùm Gemmam commendat, reſpondit DULODORUS, ſed illud imprimis obſervari meretur, quòd capillos & barbam ex vena aureo colore fulgida, faciem autem ex ſubfuſcâ, artifex expreſſit, imò quòd Dejaniram ex candidiſſimâ. Obſervavit videlicet, non humanam tantùm Herculis ſortem, imò & ad divinam reſpexiſſe videtur. Aureus enim comarum & barbæ color quid adumbret aliud, quàm Solem, aureâ comâ & ipſum Orbi ſalutarem?

Si hoc ita ſe habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego non Dejaniram, ſed Heben Herculi hîc junctam arbitrarer. Id per me licebit, reſpondit DULODORUS, quanquam nec de Dejanira ſententia vacillet. Hercules enim hîc non juvenis eſt, ſed ſenex, id quod ex horrore patet; Dejanira autem ad mortem uſque Herculis conjunx fuit, utpote quæ Zelotypia ardens, exitii ei cauſa fuit.

Si huc reſpicias, regeſſit ARCHÆOPHILUS, potius Jolem credideris, cùm ipſa Dejanira apud Ovidium dicente:

Eurytidos Joles atque inſani Alcidæ
Turpia famoſas corpora jungat hymen.

Ne ſic quidem Tibi refragabor, inquit DULODORUS; Eſt enim, uti varia, ita & incerta in his conjectura. Unicum tamen pro Dejanira adhuc monere liceat. Vultum ſcil. ejus, licet adhuc venuſtate non vulgari excellat, tamen neſcio quid Matronalis ſeveritatis præ ſe ferre, adeòque non Joli, quæ juvencula fuit, ſed omninò Dejaniræ tribuendum eſſe. Occurrunt ſanè etiam Nummi in Cimeliarchio Regio Gallorum & alibi, ſub Antonino Pio & L. Vero cuſi, & quidem à Pergamenis, in quibus Hercules nudus, ante Deianiram ſtans viſitur, id quòd Per-Ill. SPANHEMIUS monuit. De formâ teſtatur infelix ejus procus, Acheloum dico, apud Ovidium Met. IX.

Nomine ſi qua ſuo tandem pervenit ad aures
Dejanira tuas, quondam pulcherrima virgo.

Hiſtoriam Tibi notam arbitror. Videri tamen poterit apud Diodorum, Apollodorum, Hyginum aliosque. Succedit

HER-

HERCVLES, DRACONES SUFFOCANS.

PRimum hîc cernis Herculei roboris documentum. Infans eſt, & utrinque Draconem tenet. Herculem infantem Dracones ſuffocâſſe, Poëtæ aſſerunt. Elegans eſt eam in rem Theocriti Idyllium, quod ΗΡΑΚΛΙΣΚΟΣ inſcribitur. Verſus ad propoſitum facientes ſubjicio. Ita habent:

Τᾶμος ἄρ' αἰνὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος ἥρη
Κυανέαις φρίσσοντας ὑπὸ σπείραισι δράκοντας
Ὧρσεν ἐπὶ πλατὺν οὐδὸν.

Tunc horrenda monſtra duo Juno multorum machinatrix
Cæruleis horrentes ſpiris Dracones
Immiſit ad latum limen.

Et paulò poſt:

— — Ὁ δ' ἐναντίος ἔιχετο χερσὶν
Ἡρακλέης, ἄμφω δὲ βαρεῖ ἐνεδήσατο δεσμῷ
Δραξάμενος φάρυγος, τόθι φάρμακα λυγρὰ τέτυκται
Οὐλομένοις ὀφίεσσι.

Alter adverſus prehendebat manibus
Hercules, ambosque gravi iunexuit vinclo,
Comprimens jugulum, ubi mala venena ſunt
Perniciosis ſerpentibus.

Quid propius ad Gemmam dici poteſt?

Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, locum concinnum eſſe, ſed dubium ſubnaſcitur de Junone; Pherecydes enim, Apollodoro teſte, non à Junone, ſed ab Amphitruone, Dracones hos immiſſos dicit, exploraturo, uter ex pueris Hercules eſſet, uter Iphiclus? Deinde de Ætate locus non inſtruit, vellem autem penitius de ea doceri.

Prius, reſpondit DULODORUS, facilè conciliaveris. Dii non ſemper immediate agunt. Si Amphitruon eos immiſerit Junonis inſtinctu, nonne rectè & ipſam Junonem hoc feciſſe dicas? Sed hoc in fabula levius eſt. De Ætate non tantùm Gemma nos inſtruit, infantem exhibens, ſed etiam Poëtæ paſſim. Audiatur Ovidius in Dejanira:

Tene ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues!
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?

Audiatur Megara apud Senecam, in Hercule furente, Act. II.

— — *Nunquid immunis ſuit*
Infantiæ ætas? Monſtra ſuperavit prius,

Quàm

Digitized by Google

Quàm noſſe poſſet. Gemina criſtati caput
Angues ferebant ora, quas contra obvius
Reptavit INFANS, igneos ſerpentum oculos
Remiſſo lumine & placido intuens,
Arctos ſerenis vultibus nodos tulit,
Et tumida tenerâ guttura elidens manu,
Proluſit hydræ.

Hæc utique de Ætate abundè teſtantur; Si non ſufficiant, Theocrito inhæreamus, qui Herculis infantiam non tantùm expreſſit, ſed & determinavit, *decimo* ætatis *menſe* rem factam aſſerens, dum ΗΡΑΚΛΕΑ δεκάμηνον ἐόντα, *Herculem decem menſes natum* cantat dictô locô; Quanquam ne quid diſſimulem, nec in his conſtans Authorum ſuffragium ſubeat. Apollodorus enim non decem, ſed *octo menſium* ætatem Herculi tribuit, cùm facinus perageret. At in propoſita Gemmâ inquit ARCHÆOPHILUS, non amplius infans eſt, multò minus octo aut decem menſium, ſed Adoleſcentiæ videtur proximus. Videtur inquit DULODORUS, idque ob robur humanâ imbecillitate majus, quod à nativitate oſtendit. Inde ſanè etiam eſt, quòd in pedes erectus hîc prodeat, de qua re paucis adhuc videtur agendum.

Ritè ſentis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, jam enim etiam id mihi dubium movebat, cùm recorder apud Philoſtratum juniorem, in cunis memorari, & in Nummis Crotoniatarum etiam Herculem non ſtantem, ſed in lecto ſedentem Dracones conficere.

Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed probè notandum, id in Antiquitatis monumentis perpetuum non fuiſſe; Statua enim apud Stephanum du Perac Pariſinum, non jam ſedentem, ſed in genua exurgentem exhibet, & in Gemmâ noſtra planè in pedes erectus graditur. Pauſanias in Atticis meminit ſigni Herculis Dracones ſuffocantis, ſed an ſedentis, an aſſurgentis, an ſtantis, aut gradientis habitu, non meminit. Ego de ſtante ſollicitus ſum, de quo non minus ac de ætate Apollodori locus abundè teſtatur; *Cum Hercules*, inquit, *OCTO MENSES natus eſſet, Dracones duos inuſitatæ magnitudinis Juno, infantem perdituros, in lectum dimiſit. Alcmenâ Amphitruonis opem implorante, Hercules IN PEDES ERECTUS utraque manu conſtrictos ipſos necavit.* Hæc opinor ſatisfacient Archæophile. Ne infanti ulteriùs immoremur, ſvadet

HERCVLES
MEGARAM à LYCO VINDICANS.



DE hac Gemmâ, elegantiſſima ſanè, quid ſtatuerem, diu dubius hæſi. Veniebant in mentem Atlantis filiæ, quas cùm in horto luſitarent, à Plagiariis quibusdam abreptas, Hercules liberâſſe, Patrique reſtituiſſe, apud Diodorum Sicu-

Siculum memoratur. Veniebat in mentem Alceſtis, quam ſi fabulæ fides, Plutoni eripuit: Heſione, quam à Ceto liberavit: Dejanira, quam ab Euryto Centauro: Jole, quam à Patre Occhaliæ Rege: Tandemque & Megara, quam à Lyco Tyranno vindicavit. Quis in tàm fœcundâ, tot veriſimilium fabularum, an hiſtoriarum, congerie certi quid definiat? Tentabo tamen, primò, quid in quolibet deſideretur indicaturus, tandemque & ſententiam de Megara firmaturus. Atlantis filias pluralitas videtur removere: Alceſten videtur removere Pluto, Heſionem Cetus, Dejaniram Centaurus, Jolem Hercules.

Non capio rationum tuarum vim, interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS. Quid? Annon Hercules Jolem à Patre vindicavit? Nonne Dejaniram à Centauro? Heſionem à Ceto? Alceſten à Plutone? Utique hoc ipſe modò affirmâſti? Et qualè eſt, quòd de pluralitate filiarum Atlantis dicis? An neſcis in reliquiis Antiquitatum ſæpè unam figuram plurium vices ſuſtinere?

Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſi absque gloriæ detrimento id fieri poſſit. Exemplum addo: Quando una figura plurium index eſt. Ita Trajanus in Nummis, Decebalum proſternens, omnem belli Thracici gloriam exprimit; Secus autem in propoſito. Quis ſub uno homine plures raptores? ſub unâ fœminâ plures virgines liberatas intelligat? Nonne hoc potius Herculis gloriæ derogaret, cum majus utique ſit plures raptores ſimul debellare, quàm unum? Majus, plures virgines liberare, quam unam? Proindeque pluralitatem non abſurdè dixerim obſtare, ut Atlantis filias hâc in Gemmâ expreſſas arbitremur. Quod de Alceſte & Plutone dixi, ſimiliter baſi ſuâ non deſtituitur. Si Alceſtis liberatio hîc adumbraretur, procul dubio Plutonem, vel ſceptrum, vel aliud inſigne diſtingueret; Sed nihil horum in Gemmâ. Imberbis potius & vegetus juvenis cernitur, quæ Ætas, quid cum Plutone commune habeat, non video. Contra Dejaniram & Heſionem una ratio militat, fabulæ ſcilicet cortex, quem anxiè ſequuntur Cælatores. Ita noſter, ſi vel Dejaniram ab Euryto, vel Heſionem à Ceto liberatam intendiſſet, omninò illic Centaurum, hîc Cetum expreſſiſſet; Licet enim Cetus, ut quibusdam creditur, Rex, & Centauri non ex equo & homine compoſiti, ſed verè homines fuiſſent, eo habitu corporis, quò homines ſolent; tamen ad rem determinandam, omninò opus erat, eum habitum effingere, qui vulgò innotuiſſet. De Jole Herculem attuli. Conſtat apud Mythographos Herculem jam Senem Joli cohabitâſſe; ejus enim facti causâ Dejanira Herculi veſtem, Centauri ſangvine tinctam, legitur miſiſſe, quâ indutus & conflagravit; At in Gemmâ noſtrâ, quod ſenii in Hercule veſtigium? Annon juvenis omninò eſt? Qualis Megaram duxit, qualisque eandem ſecundum Poëtas à Lyco Tyranno vindicavit?

Megaram, reſpondit ARCHÆOPHILUS, à Lyco vindicavit, cùm ab Inferis reverſus eſſet, uti latius apud Euripidem, Senecam & Hyginum videre eſt; Atqui tunc duodecim labores jam confecerat, proindeque adeò juvenis non amplius erat.

Id ſecundum Poëtas, regeſſit DULODORUS; Notandum autem, quòd Megaram, ſecundum eosdem, ante furorem dicatur à Lyco vindicâſſe, furorem autem ante certamina Euryſtheo præſtita, expreſsè ſtatuit Diodorus Siculus, indeque facilis conjectura eſt, Poëtas rem poſt labores collocâſſe, ut uberiorem de Hercule narrationis materiem ſortirentur: Nihilque omninò obſtare, quò minus Herculem, Megaram à Lyco vindicantem, hîc fateamur expreſſum. Quanquam, ne quid diſſimulem, Hercules hac in Gemmâ expreſſus, non Hercules mihi videatur, ſed omninò Commodus, qui cùm mulierculas ſcitioris formæ, ut proſtibula & mancipia lupanarium, ad ludibrium pudicitiæ undique contraheret,

veſperâ per tabernas & lupanaria volitaret, Concubinas, ex Matronarum meretricumque delectu, ſibi conciliaret, uti apud Lampridium memoratur, elegantî laſcivioribus joco, raptam aliquam invito vel Parente vel Sponſo Virginem, Herculis facto comparare voluerit, ſive Jolem ſive Megaram vindicantis. Artificium Commodianam Ætatem ſapit: Formæ dignitas Commodum haud obſcurè prodit: Coma convenit, crispa omninò, qualis Commodo fuit: Pulchra virilisque facies, & congruens corporis modus, qualem Herodianus ei tribuit; Et ne de Herculis habitu dubites, nota ſunt, non Authorum tantùm, ſed & Numiſmatum teſtimonia, quibus Commodum, pro Marci filio, ſe Herculem Romanum vocitâſſe, ſtatuasque eo habitu recepiſſe, jam dudum conſtat.

Id quidem ſcio, addidit ARCHÆOPHILUS, dubium tamen movet Ætas; Herculis enim nomen, Commodus non affectavit, niſi paucos antè mortem annos, cùm non amplius imberbis, ſed prolixâ barbâ veſtitus incederet.

Benè hoc obſervas, ait DULODORUS, ſed illud juxtà conſideres velim, quod Juvenalis ait, Sat. II. ℣. 83.

Nemo repente fuit turpiſſimus.

An neſcis, quid de Commodo Ælius Lampridius? à prima ſtatim pueritia, inquit, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus fuit. Imò, quod ſuprà de conquiſitis Mulierculis attuli, id ipſum etiam non tàm de Viro, quàm Adoleſcentulo adhuc memoratur: Adeò, ut abſurdum non ſit, Eum, qui poſt decem fermè annos Herculis habitum tanto ardore & publicè affectavit, Juvenem adhuc ſcelera ſua ejusdem Dei facinoribus comparâſſe? Ingenioſa ſolet eſſe in Principum malitiam adulatorum ſolertia, & quid ſi credas, Aulicorum quendam hôc inventô Commodi libidinem excusâſſe? Arguta eſt conjectura, inquit ARCHÆOPHILUS, nec forſitan contemnenda; Quanquam, de Deo ut Gemmam explices, decantatiſſimi ejus Amores ſvadere poſſunt. Et ecce! Etiam hîc reimentio eſt.

HERCULES
AMORI SUCCUMBENS

IN elegantiſſimâ hac Gemmâ viſitur, eodem planè modo, quô in Theſauro Palatino proſtat. Ubi memini virtutem libidine corruptam hoc ſchemate Tibi viſam adumbrari; Id ſanè cauſa fuit, ut & Heroës & Philoſophos contra monſtrum hoc, omni monſtro, ut ais, monſtroſius, Amorem ſcilicet, hortareris.

Incaſsùm id hîc repeterem, inquit DULODORUS; Excuſſa enim eſt clava. Nihil juvat leonis pellis: Potius cum Fulgentio exclamaverim: Parcite, judices, humanis ardoribus; Quid enim puerilis, aut muliebris ſenſus in amore efficiat, ex quo in libidinis pugnâ Herculea deſudat virtus? Muliebris illecebra major eſt mundo, quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compreſſit. Cæterùm non Herculem tantum ſubegiſſe Cupido fingitur: Imò, ſi Nonnum audias

dias in Dionysiacis, etiam Bacchum & Neptunum percussit, Deos omnes domuit, Jovem Deorum summum flagellavit. Jure Oppianus κυνεγετικῶν lib. II. ℣. 410.

Ὦμβριμ' ἔρως πόσος, ἐσσὶ, πόση σέθεν, ἄπλετος ἀλκὴ.
Πόσσα νοεῖς, πόσα κοιρανέεις, πόσα δαῖμον ἀϋτεῖς.
Γαῖα πέλει σταθερὴ βελέεσσι δὲ σοῖσι δονεῖται.
Ἄστατος ἔπλετο πόντος ἀταρ σύγε καὶ τὸν ἔπηξας.
Ἦλυθες εἰς αἰθῆρ, ὄιδεν δέ σε μακρὸς Ὄλυμπος.
Δειμαίνει δέ σε πάντα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε,
Γαίης ὅσσα τ' ἐνερθε, καὶ ἔθνεα λυγρὰ καμόντων,
Οἱ λήθης μὲν ἄφυσσαν ὑπὸ στόμα νηπαλίης ὕδωρ,
Καὶ φύγον, ἄλγεα πάντα. σὲ δ' εἰσέτι πεφρίκασι,
Σῷ δὲ μένει καὶ τῆλε περᾶς, ὅσον οὔποτε λέυσει
Ἥλιος φαέθων· σῷ δέ ἂυ πυρὶ καὶ φάος ἔικει,
Δειμαῖνον, καὶ Ζηνὸς ὅμως ἔικουσι κραυνοί
Τοίους ἄγριε δαῖμον ἔχεις πυρόεντας ἰστοὺς
Πευκεδάνους, μαλέρους φθισίφρονας οἰστρήεντας,
Τηκεδόνα πνείοντας, ἀναλθέας.

Valide Amor, quantus es! quanta est tua infinita potestas!
Quanta cogitat, quantum imperitas, quanta, Dive, ludis!
Terra est stabilis, Tuis autem telis concutitur.
Inquies est mare, at Tu etiam illud fixisti:
Penetrâsti Te usque in cælum, novitque Te magnus Olympus.
Pertimescunt autem Te omnia, & cælum spatiosum supernè,
Et quæcunque infra Terram sunt, & sæcula tristia defunctorum,
Qui Lethes quidem hauserunt ore miseriæ abolentem aquam,
Et evaserunt dolores omnes: Te autem etiam formidant.
Tuâ autem potentiâ etiam procul penetras, quantum nunquam aspicit
Sol lucidus. Tuo denique igni etiam lumen solare concedit
Metueus, & Jovis una cedunt fulmina.
Tales, ô crudelis Dive, tenes ignitas sagittas,
Funestas, ardidas, rationis corruptrices, furibundas,
Tabem spirantes, immedicabiles.

Hæc de Amore Oppianus, ad quem, cùm nos Herculis imbecillitas deduxerit, ut paulò plura dicamus, ipsæ Gemmæ nos monent. In sequenti Cupidines video, inquit ARCHÆOPHILUS, sed cùm in his singulare nihil occurrat, prætereundos censeo. Adeò, inquit DULODORUS, Tibi vulgaris est

ANTEROTOS
CUM EROTE CONTENTIO?

Mihi contemplatione non indigna videtur.

Non obſervâram contendentes, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Verum eſt, aliquid in medio tenent, bacillo ſimile. Id quale ſit, ex Te audire geſtio. Bacillum & Ego credideram, reſpondit DULODORUS, ſed penitius inſpiciens, ramum Palmæ deprehendi. Palmam ſcilicet Eroti extorquere nititur Anteros, côque apertè demonſtrat, etiam ſe amorem eſſe, ſed amorem reciprocum, aut mutuum.

Amori Contrarium, volebas dicere, inquit ARCHÆOPHILUS, ita enim Anterota communiter interpretantur. Scio, reſpondit DULODORUS, ſed minus ex vero. Pro amore reciproco ſentit Suidas, firmatque rem exemplo Charitonis & Melanippi. Καὶ τοῦτο δὴ τὸ ὠνομένον ὄνομα ἀντέρως, ἐν τοῖς δὲ τοῖς γενναίοις ἐσώζετο. ἀντὶ τῆς ἀλλήλους ἠγάπων. Χαρίτων γὰρ καὶ μελάνιππος εἰς ἔρωτα ἀλλήλοιν συνεπεσέτην. Καὶ ὁ μὲν χαρίτων, ἐραστὴς ἦν. μελάνιππος δὲ τὴν ψυχὴν ὁ ἐρώμενος, ἐς τὸν Φίλον τὸν ἔνθεον ἀναΦλεχθείς, ἰσότιμοι τὸ τοῦ πόθου κέντρον ἐνεδείκνυτο. *Quin etiam hoc celebratum nomen, ἀντέρως, in his generoſis ſcriptis ſervatum exſtat, quod ſignificat MUTUUM AMOREM, quô alter alterum amabat. Nam Chariton & Melanippus amore mutuo correpti fuêre, & Chariton quidem erat amator, Melanippus verò Amaſius, erga divinitùs afflatum amicum animo incenſus, parem deſiderii ſtimulum præ ſe ferebat.*

Ad amorem mutuum hæc appoſitè citâſti, inquit ARCHÆOPHILUS; At mihi aliquando in mentem venit, annon Anteros illum Dæmonem ſignificet, qui inter amantes, rixas interdum ciere ſolet, quarum operâ amor eò firmius coaleſcit, uti ignis, ſi modicum aquæ interſpergatur. Vulgatum illud: *Amantium rixæ, amoris redintegratio ſunt*, opinionem fulciebat, & præterea occurrit illud Naſonis:

Diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Ratio ita futilis non eſt, reſpondit DULODORUS, ſi ritè eam intelligas; Quanquam dubium ſit, an apud Antiquos ea inveniatur. Cæterùm pro Amore Reciproco, eſt etiam ſuffragium Pauſaniæ in Atticis, ubi aras memorat, non *Erotos* tantùm, ſed & *Anterotos*, ſimul cum occaſione, qua eas poſuerint Athenienſes. Cùm locus prolixior ſit, Romano idiomate proponendum cenſeo: *In primo*, inquit, *Academiæ aditu, Amoris eſt ara, cum inſcriptione: Charmum Athenienſem primum AMORI dedicâſſe; Eam enim aram, quæ intra urbem eſt, quam appellant ANTEROTIS, inquilinorum donum fuiſſe dicunt, ac dedicationis hujusmodi cauſam exſtitiſſe: Meles Athenienſis Amatorem Timagoram, inquilinum hominem faſtidiens, ut de ſummo ſaxo ſe abjiceret, juſſit. Timagoras, qui ſemper quæ Puer imperaverat, facienda putâſſet, animam etiam ipſam facilè profudit: Unde enim juſſus erat, ſe præcipitem dedit. Meletem verò re cognitâ, adeò pœnituit, ut ex eodem ſe ipſum etiam ſaxo dejecerit. Ex eo ab Inquilinis inſtitutum, ut Anteros, genius Ἀλάστωρ Timagoræ, coleretur.*

Hæccine pro amore reciproco? inquit ARCHÆOPHILUS. Atqui Ἀλάστωρ is eſt, qui ἄλαστα perpetravit, id quod Anteros, ſive Dæmon Timagoræ contrarius fecit, amori palmam, amantique ſimul vitam eripiens. Ut etiam Meles ſe præcipitaret, adeòque vindictam Timagoræ ſolveret, non Ἀντέρως in cauſa fuit, ſed omninò Ἔρως, cujus memoria pœnitentiam attraxit.

Acutè philoſopharis, inquit DULODORUS, non tamen à me impetrare poſſum, ut Tibi faſces ſubmittam. Ἀλάστωρ licet propriè is ſit, qui ἄλαστα perpetravit, tamen etiam eum Ἀλάστωρα dici, qui vindex fuit ἀλάστα perpeſſis, vel unico Jovis ἀλάστωρος exemplo patet. Id probe noverat Amaſæus, ideòque hoc ipſo Pauſaniæ in loco Ἀλάστωρα *Timagoræ vindicem* interpretatur. Videlicet, uti Venerem omittentes, Venerem inimicam habituri credebantur, uti ex

Theo-

Theocriti Idyllio XXVII. conſtat, ubi Daphnis, puellæ amorem ſibi neganti, Veneris iram minatur; Ita & amorem reciprocum, qui amanti non præſtat, inimicum & vindicem credebatur expèrturus Ἀντέρωτα, ſive Deum Amoris mutui, quem amanti præſtare debuerat. Vides ARCHÆOPHILE, Ἀντέρωτα nihil aliud eſſe, quàm Deum Amoris, quò amantem redamamus, idque clarius adhuc patet, ex ipsâ noſtrâ Gemmâ, in qua Ἀντέρως Ἔρωτα non fugit, ſed ei tantùm palmam id eſt victoriæ præmium aufferre nititur; Quisque enim amantum, amore ſuo redamantem vincere conatur. Rem Apologò illuſtrat Porphyrius; *Cùm Cupido Infans*, inquit, *parum coaleſceret, Venus Deam Themin conſuluit, eaque reſponſum dedit, Cupidini* Ἀντέρωτα *neceſſarium eſſe, qui rependat vices, ut mutuam viciſſim dent operam. Venus reſponsò acceptò* Ἀντέρωτα, *quaſi Anti Cupidinem dicas, genuit, eoque vix dum nato, Cupido adoleſcere cæpit, & alas pennasque explicavit: Quin quoties præſens* Ἀντέρως *adeſſet, Cupido formoſior & procerior viſus eſt, abſente illo contra accidit.* Sed quid in re apricâ diutius ſubſisto? Quidni Pauſaniam adeo? Cujus verba primo loco meritò proponi debuiſſent, cùm non tantùm ſententiam de amicâ Ἀντέρωτος cum Ἔρωτε contentione firment, ſed etiam Gemmam noſtram clariſſimè explicent. Ita ille, in Eliacis de tertio Gymnaſii ambitu. Ἔρωτα ἔχον ἀπειργασμένον, καὶ τὸν καλούμενον Ἀντέρωτα. ἔχει δὲ ὁ μὲν Φοίνικος ὅ Ἔρως κλάδον· ὁ δὲ ἀφελέσθαι πειρᾶται τὸν Φοίνικα ὁ Ἀντέρως. *Cupido in eâ, & Anteros cælati ſunt: Cupido palmæ terminem manibus tenet: Eum illi Anteros de manibus extorquere conatur.*

Locus egregiè quadrat, inſit ARCHÆOPHILUS, ſimulque oſtendit, non novitium hujus Cælaturæ inventum eſſe, ſed ex imâ Antiquitate depromptum. Talia ſunt, regeſſit DULODORUS, quæcunque hactenus exhibui, & pleraque etiam præter hæc, in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico aſſervata, quorum Pars, licet jam ab aliis vulgata, elegantiâ tamen, & inventionis raritate denuò proponi merentur. Talis eſt

AMOR BELLICUS,

CUjus ſimulacrum à noſtro haud ita diſſimile, & protulit, & latè, ut ſolet, interpretatus eſt, Fortunius Licetus, in Gemmis Annularibus pag. 95. & ſequentibus. Amorem Fortitudinis & Victoriæ hunc putat, Corpore nudo & robuſto præditum, quòd antiqui bellatores non aſtu, ſed apertâ vi pugnaverint: Vultu ſevero & minaci ſe ſe efferentem, quòd prælia ferociam deſiderent: Alis ornatum & ſtantem, quòd celeritas & cunctatio maximum in bellis momentum obtineant; Galeâ tectum & ſcutum præferentem, quòd propria defenſio neceſ-

faria ſit: Imò & jaculis armatum & pharetrâ, ut & hoſtes, vel è longinquo, feriendos ſignificetur.

Eleganter, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc à Liceto dicuntur, mihi tamen magis placeret, ſi ad ſpolia Martis hæc figura referretur, decantatumque cum Venere concubitum. Eo ſane ſenſu Philippus in Anthologia lib. IV. cap. 12.

Σκυλοχαρεῖς ἰδ' ἔρωτας, ἰδ' ὡς βριαροῖσιν ἐπ' ὤμοις
Ὅπλα φέρουσι θεῶν νήπι ἀγαλλόμενα,
Τύμπανα καὶ θύρσον Βρομίου, Ζηνὸς δὲ κεραυνόν,
Ασπίδ' Ενυαλίου καὶ κόρυν ἠύκομον.

Id eſt, interprete Sleidano:

Aſpice, ut exuviis Divûm lætentur amores,
Utque ferant humeris, rapta tropæa ſuis.
Tympana cum Thyrſo Bacchi, tum fulmina Summi, ac
Splendentem galeam, ſcutaque Martis habent.

Poterit & hæc opinio locum habere, reſpondit DULODORUS, quamvis Liceti placitum non parum juverint Sacra, tàm apud Lacedæmonios, quàm apud Cretenſes, Amori facta, antequam prælium inirent: Imò & Sacra Thebanorum Cohors, ex iis conflata, qui vel amabant, vel amabantur.

Quis rei Author? infit ARCHÆOPHILUS;

Athenæus, reſpondit DULODORUS, ſi verba deſideres, expende; Ita habent pag. 561. lib. XIII. Λακεδαιμόνιοι πρὸ τῶν παρατάξεων Ἔρωτι προθύονται, ὡς ἐν τῇ τῶν παρατατομένων φιλίᾳ κειμένης τῆς σωτηρίας τὲ καὶ νίκης· καὶ Κρῆτες δ' ἐν ταῖς παρατάξεσι τοὺς καλλίστους τῶν πολιτῶν κοσμήσαντες, διὰ τούτων θύουσι τῷ Ἔρωτι, ὡς Σωσικράτης ἱστορεῖ. Ὁ δὲ παρὰ θηβαίοις ἱερὸς λόχος καλούμενος, συνέστηκεν ἐξ ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων τὴν τοῦ Θεοῦ σεμνότητα ἐμφαίνων ἀσπαζομένων θάνατον ἔνδοξον ἀντ' αἰσχροῦ καὶ ἐπονειδίστου βίου. *Lacedæmonii* inquit, *ante inſtructas acies Amori rem divinam faciunt, quòd in militarium ordinum amicitiâ ſita victoria ſit & ſalus. Cretenſes, ad conflictum jam expedito milite, ex civibus formoſiſſimos deligunt, qui amorem invocantes ſacris operentur, ut ſcribit Soſicrates. Quam apud Thebanos Sacram Cohortem aut Turmam vocant, ex iis conſtat, qui amant & amantur. In eorum virtute & fortitudine, Dei profectò Majeſtas eluceſcit, cùm decoram ii mortem turpi ac probroſæ vitæ anteponant.* Ex his utique abundè conſtat, etiam Cupidinem, Bellicum Numen fuiſſe.

Fuerit, inquit ARCHÆOPHILUS, inde tamen non ſequitur, caſſide clypeo & haſtis armatum fuiſſe, niſi fortè permutatione quadam ea recepiſſe credas, qualiter & apud Martialem lib. IX. Ep. 57. ubi Cupidinem allocutus, cùm tela Splendophoro, Libycas urbes petenti, donare juſſiſſet.

Loricam, ait, *Clypeumque Tibi Galeamque remitto.*

Non hoc, inquit DULODORUS, imò aliud forſan ſubeſt. Armatam Venerem Lacedæmoniis cultam eſſe, ex Authoribus conſtat; Cùm igitur Lacedæmonii ante prælium etiam Cupidini ſacra fecerint, ut modo audivimus, quidni & hunc eos armatum ſtatuiſſe, credibile ſit? præſertim cùm arma hæc Lacedæmoniis conveniant? Sed ecce etiam

AMOR

AMOR VIRTUTIS ET ELOQVENTIÆ



Sub Cupidine latet. Corpore eſt pulchrô, facieque honeſtâ: Greſſu incedit ſublimi: Manibus flores & corollas præfert, adeòque diverſus planè eſt ab eo, qui armis inſtructus, arcuque & pharetrâ conſpicuus paſſim cernitur.

De Formâ Cupidinis nihil dubitaverim, inquit ARCHÆOPHILUS; De Floribus autem & Corollis, quî probare velis, non video. De Corollis, reſpondit DULOIDORUS, Marianus Scholaſticus docet Anthol. L. IV. c. 12. Verba eò libentius adjicio, quò aptius pleraque ad propoſitum Cupidinis ſimulacrum quadrare videntur. Ita ille.

Πῦ σοι τόξον ἐκεῖνο παλίντονον, ὅι τ' ἀπὸ σεῖο
Πηγνύμενοι μεσάτην ἐς κραδίην δόνακες;
Πῦ πτερά; ποῦ λαμπὰς πολυώδυνος; ἐς τί δὲ τρισσὰ
Στέμματα χερσὶν ἔχεις, κρατὶ δ' ἐπ' ἄλλο φέρεις;
Οὐκ ἀπὸ παυδήμου ξένε κύπριδος οὐκ ἀπὸ γαίης
Ἐμοὶ, καὶ ὑλαίης ἔκγονος εὐφροσύνης.
Αλλ' ἐγὼ ἐς καθαρὴν μερόπων φρένα πυρσὸν ἀνάπτω
Ἐυμαθίης, ψυχὴν δ' οὐρανὸν εἰσανάγω.
Ἐκ δ' ἀρετῶν στεφάνους πισύρων πλέκω ὧν ἀφ' ἑκάστης
Τοὺς δὲ φέρων, πρώτῳ τῷ σοφίης στέφομαι.

Dic ubi ſunt incurvi arcus? ubi tela Cupido?
Mollia queſs juvenum figere corda ſoles.
Fax ubi triſtis? ubi pennæ? tres unde COROLLAS
Fert manus? unde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi vulgari eſt, Hoſpes, cum Cypride quicquam
Ulla voluptatis nos neque forma tulit.
Sed puris hominum ſuccendo mentibus ignes,
Diſciplinæ animos aſtraque ad alta trabo.
Quatuor eque ipsâ texo virtute corollas,
Quarum quæ Sophiæ eſt, tempora prima tegit.

At in Gemmâ hâc, infit ARCHÆOPHILUS, tempora nulla tegit, imò nec tres, ſed duas tantùm Corollas in manu video. Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS; Uti enim ſub quatuor corollis quatuor virtutes, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia & Prudentia intelliguntur, ita & ſub duabus Corollis, duæ tantùm latere poſſunt. Cupido certè non tantùm corporearum congreſſuum fuit, ſed etiam virtutum, eodem modô, quô & Venus, quæ non tantùm πάνδημος ſeu popularis audit, ſed etiam οὐράνιος ἐπὶ ἔρωτι καθαρῷ καὶ ἀπηλλαγμένῳ πόθου σωμάτων, ut Pauſanias in Bœoticis loquitur, cœleſtem amorem, purum, & corporum cupiditate vacantem ſignificans.

De

De Corollis hæc eleganter, inquit ARCHÆOPHILUS, nunc si placet, etiam de Floribus deprome. Flores, respondit DULODORUS, Eloquentiæ symbolum esse, nihil dubitem asserere. Quis enim nescit *Eloquentiæ florem, florem Orationis, Oratorem floridum*, apud Ciceronem aliosque vocari?

Mihi, respondit ARCHÆOPHILUS, aliud suggerit Epigramma Palladæ in Anthol. lib. IV. c. 12.

Γυμνὸς Ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ καὶ μείλιχός ἐστιν,
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος,
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δὲ θάλατταν ἔχει.
Nudus amor, viden', ut ridet, placitumque tuetur,
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet?
Altera sed manuum FLOREM gerit, altera PISCEM
Scilicet ut TERRÆ jura det atque MARI.

Quibus ex verbis utique patet, Terræ symbolum flores esse.

Si etiam hîc Delphinum Cupido præferret, regessit DULODORUS, suffragarer & ipse; Delphinus enim, uti indubiè imperium Maris denotat, id quod infra videbimus, ita & apertè docet, nec Flores aliud significare, quàm Terram, cujus partus sunt, non minus ac Delphinus Maris; At in nostrâ Gemmâ res planè aliter se habet. Virtutes sub Corollis latere, modo demonstravimus, quidni igitur sub Floribus lateat eloquentia, quæ amico nexu virtutibus cohæret? Neque enim Virtutes mutæ placent, sed si convenienti orationis genere se juxta commendent, eodem modô, quô & sequenti in Gemmâ

AMOR SAPIENTIÆ,

NOn tantùm arborem annosam, quæ Sapientiæ Symbolum est, sed & Lusciniam arbori insidentem attrahit, non aliam ob rationem, quàm ut significetur, sapientiam non mutam expetendam, sed eam, quæ dotes suas sermone aliis communicat.

Gemmam hanc jam apud Licetum vidi, inquit ARCHÆOPHILUS. Diffiteri non possum, respondit DULODORUS, quanquam aliqua utriusque differentia sit; Neque enim in propositâ caveam videas, quæ apud Licetum ab arbore dependet, eaque causa fuit, cur denuò proponendam censuerim, commentariô autem, quòd idem Author id latè præstiterit, gravis non ero. Unicum adscribo Phocylidis effatum, idq; ad omnia, quæ hactenus de Cupidine dicta sunt:

Σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς, ὁ δὲ κύπριδος αἴσχος ὀφέλλει.
Virtutis amor honestus est, at Veneris auget dedecus.

Veneris

Veneris appositè mentionem facis, subjecit ARCHÆOPHILUS, occurrit enim, quam & hìc contemplor, quamque opinioni de spoliatis à Cupidine Diis, non parvum momentum conciliaturam confido,

VENUS VICTRIX,

EOdem ferè modo sculpta, quo etiam in Numismatibus, tam sub Cæsare, quam à Tito percussis prostat. Galeam prætendit. Sinistra jaculum gestat. Ad pedes clypeum habet: Non aliam ob causam, quam ob eundem cum Marte concubitum. Audiatur Leonidas ibidem:

Ἄρεος ἔντεα ταῦτα, τίνος χάριν ὦ Κυθέρεια
Ἐνδέδυσαι, κενεὸν τοῦτο φέρουσα βάρος;
Αὐτὸν Ἄρη γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας. εἰ δὲ λέλειπται
Καὶ Θεὸς, ἀνθρώποις ὅπλα μάτην ἐπάγεις.

Hoc est vertente Natali Comite:

Hæc Martis sunt arma, Venus cur cingeris istis?
Cur Cytherea geris, tam grave pondus iners?
Mars est à nuda victus. Cum cesserit ipse
Vel Deus. Hæc frustra nunc geris arma Viris?

Non de Venere Victrice, subjecit DULODORUS, sed de Armatâ Lacedæmoniorum, hæc cecinit Leonidas. Nihil agis, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ enim inter utramque differentia est? Nonne etiam ad Victricem Leonidæ effatum quadrat?

Posterius equidem non negabo, respondit DULODORUS; Inter Victricem autem & Laconicam id interest, quòd illa nuda præfiguretur, hæc autem armata fuerit, sicut & Cupido. Quæ Leonidas cecinit, non minus ingenii lusus sunt, quàm illud Ausonii, quod & ipsum ex Græco desumtum est:

Armatam Pallas Venerem Lacedæmone visens,
Visne, ut judicium sic ineamus, ait.
Cui Venus arridens: Quid me galeata lacessis?
Vincere si possum nuda, quid arma tenens?

Sed veram Veneris Armatæ originem Lactantius docet. *Cùm Messenii* inquit, *à Lacedæmoniis obsessi, furtimque deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, à Spartanis mulieribus fusi fugatique sunt. Cognitis autem hostium dolis, Lacedæmonii sequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt, quæ cùm viros suos cernerent parare se ad pugnam, quòd putarent Messenios esse, corpora sua nudaverunt. At illi uxoribus cognitis, & adspectu in libidinem concitati, sicut erant, armati permissi sunt, utique promiscuè, nec enim vacabat discernere. Sic juvenes, ab iisdem ante missi, cum virginibus, ex quibus sunt*

Partbenii nati. Propter hujus facti memoriam, ædem VENERI ARMATÆ, simulacramque posuerunt.

Turpis hæc occasio fuit, sed Veneris Victricis honesta; non enim ob victum Martem, sed ob traditas Romanis victorias, Spolia Hostium præfert. Nosti ARCHÆOPHILE, Venerem Victricem Cæsari tesseram militarem fuisse, in præliis, & Pharsalico & Cordubensi. Nosti Venerem & Tito Imperii auspicem fuisse; Id quidem Suetonius docet, infit ARCHÆOPHILUS, sed cum idem etiam de amoribus Berenices suggerat, quidni etiam opinioni meæ inhæream? ita ut hæc, tanquam altera Venus, Titum, cujus Martios spiritus Judæa experta est, exarmâsse videatur? Favet Numisma ejusdem, in quo Marti sedenti Venus nuda cum equo adstat.

De hoc Numismate assensum præbere possem, inquit DULODORUS; Neque enim Martem adhuc exarmavit, sed sedenti adstat: Non aliter ac ipsa etiam Berenice, quæ Tito quidem amoribus blandita, votorum autem compos facta non est; Sed cogitans, credibile non esse, Imperatorem famæ suæ tenacissimum, inhonesto schemate amores propalare voluisse, quos publico rumori postposuit, eo adducor, ut aliter id Numisma explicandum censeam. Venerem certe spolia præferentem, ad victoriam bellicam reducit Somnium Pompeji, apud Plutarchum, quo ante prælium Pharsalicum *Veneris Victricis* templum multis spoliis se exornâsse, sibi visus est: Reducit votum Cæsaris, qui Veneri Ædem in urbe sacrandam promisit, si victoriam propitia juvaret. Dum de Venere loquimur subeunt

VENERIS MERETRICIÆ ET CONJUGALIS præmia.

ESt apud Licetum Gemma, in qua Venus conchæ insistens, jacentibus humi & arcu & pharetrâ, sagittam dextra supra caput elevat, sinistram autem Cupidini porrigit, eodem modo sese attollenti, quo in propositarum priore visitur. Expendit Eruditus Author, opinionem de Cupidine indignè ferente, sibi spicula à Venere negari. Firmat inde suam de Amore Conjugali, exarmato spiculis offensionis, per pudicitiam Matris familias. Princeps Liceti argumentum est Concha, quam de domo interpretatur Micyllus ad Bocatium de Geneal. Deorum lib. III. c. 23. Concha in proposita abest, ideoque licebit arbitror, in fabula consistere. Venerem Cupidini tela dedisse, ex Silio constat; Iis autem vel contra matrem usum, queritur ipsa apud Moschum, in Amore Fugitivo:

Χρύσεον

Χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον. ἔνδοθι δ' ἐντὶ
Τοὶ πικροὶ κάλαμοι τοῖς πολλάκι κἀμὲ τετρώσκει.
Parva pharetra olli dependet & aurea tergo,
Sunt & amari intus calami, quibus ille protervus
Me quoque ſæpè ferit.

Hæc cum ita ſint, quid mirum, ſi pharetram & ſagittam Venus hîc recipere credatur, nequicquam obluctante filio? Si arbitreris, inquit ARCHÆOPHILUS, non refragabor, quanquam nec Liceti ſententia omninò videatur rejicienda: præſertim, cùm utrinque Venus, dependente à tergo lacinia tegatur, reliquo corpore nuda ſit, quod caſti amoris ſymbolum videri poteſt.

At uxorem, inquit DULODORUS, ſimul cum tunica etiam pudicitiam exuere, jam Antiquorum ſententia fuit. Adde quod Venerem Genetricem in Nummis non nudam cernamus, ſed velatam, qualiter & ea eſt, quæ in ſecunda Gemmâ, Coronam Myrteam Cupidini protendit. Si ſenſum in his myſticum deſideres, potius ut in hac amoris puri gloria celebratur, ita in illa impuri dolor videbitur adumbrari. Dolet Venus, quòd ab Amore in turpitudinem conjecta ſit, & in vindictam tela puero eripere nititur. Dolet Amor, quòd Matrem non amplius obſequentem habiturus ſit, ſed armis ab ea ſpolietur, ideòque contra nititur, & ut plurimùm etiam obtinet. Si in amoris palæſtra juventutem exercuiſti, ARCHÆOPHILE, de ſenſu hoc nihil dubitabis. Venus certè ipſa, apud Lucianum in Dial. ſe minatam Cupidini, ait, *ni deſinat ſe ferire, fracturam eſſe & arcus ipſius & pharetram: amputaturam etiam alas, imò & plagas jamdudum ipſi in nates incuſſiſſe ſandaliô:* Ad quæ ille ſtatim metuens & ſupplicans, omnium tamen paulò poſt obliviſcatur.

At Tela & Pharetra, inquit ARCHÆOPHILUS, propria amoris inſtrumenta ſunt? Id non nego, reſpondit DULODORUS, quanquam non ſemper iis inſtructus incedat, id quod jam ſuprà vidimus, & latius etiam hîc demonſtrari poſſet, niſi rariſſima in Gemma nos averteret

JUDICIUM PARIDIS.

FAbula de Judicio Paridis notior eſt, quàm ut pluribus recenſeri, aut ex Authoribus doceri, operæ pretium ſit. Cum in Nuptiis Pelei Malum Diſcordia

dia misisset, inscriptum: *DETUR PULCHERRIMÆ!* ejusque potiundi gratiâ Juno, Minerva & Venus de formæ præstantiâ contenderent, arbitrium, ajunt, jussu Jovis ad Paridem Pastorem, Priami Trojani Regis filium, in Ida Monte pecora pascentem, esse remissum, jussumque Mercurium, & pomum perferre, & Deas Judicium subituras, deducere: Eoque facto Paridem, cum unius cujusque & merita & promissa audisset, spretâ Junonis potentiâ, neglectaque Palladis sapientiâ, Veneri, mulierum in Græcia pulcherrimam amplexibus ejus pollicitæ, Pomum porrexisse. Res optime in Gemma nostra exprimitur. Vides tres Deas, Minervam, Junonem & Venerem. Minerva galeata est, dextraque hastam, sinistra clypeum tenet, familiaria bellicosi Numinis insignia. Juno caput velo ornata est, tanquam Matrona Tonantis: Dextra Sceptrum tenet, tanquam Regina Deorum. Venus sinistrum humerum nuda visitur, ut amorum conciliatrix, dextra autem pomum elevat, venustatis & victoriæ præmium. Supervolat, & ad matrem gratulabundus respicit Cupido. Adstat, & cum assidente inter pecora Paride, de Pomo, Veneri ob pulchritudinem dato, colloquitur Mercurius. Sunt rupes circum, repræsentantque colles Idæos, in quibus, ut dictum, judicium illud latum est: Sed non hoc tantùm Artificis genium commendat, imò & in coloribus vestium est, quod mireris. Eas ex nativis lapidis venis elegantissimè expressas vides. Venus & Juno pubetenus cæruleæ sunt, nisi quòd velum in Junone rubicundum appareat. Pallas ad collum usque colore fusco nitet, Brachium & Vultus, cum Collo & Hasta, & ipsa cœrulea sunt. Cassis nigricans visitur. Pomum Venus rutilum præfert. Cæruleus est Cupido, imò & Mercurius, nisi quòd alæ capiti affixæ & ipsæ in ruborem vergant. Appositè omnia! Cæruleus enim color divinitati propior est: Rubicundus ad exprimendum Pomi, Veli, & Alarum aurum, non absurde videtur allectus: Nigricans in Palladis Casside, ferrum concinne refert: Adeò non tantùm magnitudo Gemmæ, quam vides haud vulgarem; Sed & insignis artificii præstantia, & doctissimum sculptoris ingenium Gemmam hanc egregie commendant.

Quod ad Magnitudinem & Artificium attinet, excepit ARCHÆOPHILUS, haud invitus assentior, rarum sanè χειμήλιον est, & sua laude non fraudandum; An autem tanta Opificis doctrina fuerit, ignosce DULODORE, si ulterius examinem, antequam decernam. Deas vestitas facit, cùm tamen communis veterum Authorum sententia sit, Paridem Deas non vestitas, sed nudas judicâsse. Helenam testem sisto, apud Ovidium in Epistola:

— — *In altæ Vallibus Idæ*
Tres Tibi se NUDAS exhibuêre Deæ!

Ita & Propertius:

Cedite jam Divæ, quas Pastor viderat olim,
Idæis TUNICAM PONERE verticibus.

An hoc non observare debuerat Artifex, si tantæ doctrinæ fuit? Annon ad minimum in Venere, de quâ Ausonius in Ep. ad Paul. *Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata judicio, pudenter enim, ut apud Patrem Velata certaverat, neque deterrebat ornatus æqualis; At postquam in Pastoris examen deducta est lis Dearum, qualis emersérat è mari, aut cum Marte convenerat, & consternavit Arbitrum, & contendentium certamen oppressit.* Ita etiam Coluthus in Raptu Helenæ, licet nihil tale de Junone & Minerva, tamen de Venere:

Κόλπον ἀνηώρησε, καὶ οὐκ ἠδέσσατο κύπρις,
Χειρὶ δ' ἑλαφρείζουσα μελίφρονα θεσμὸν ἐρώτων,
Στῆθος ἅπαν γύμνωσε, καὶ οὐκ ἐμνήσατο μαζῶν,
Τοῖα δὲ μειδιόωσα προσέννεπε μηλοβοτῆρα.

Ipsa

Ipsa verò, postquam peplum profundi sinûs in aëra nudâsset,
Venus suum sustulit, & non est verecundata,
Manu etiam elevans mellitum amorum vinculum,
Pectus omne nudavit, & non fuit memor mamillarum tegendarum.

Adeò ut de Nuditate, ad minimum Veneris, dubitari non possit. Sed adhuc alia se sistunt, & ipsa à Gemma haud parum aliena. Homerus memorat, Deas ad *Tugurium Paridis* venisse, lib. XXIV. Il. ℣. 29. At in Gemmâ hac rupibus videntur insidere, & Paris, & Deæ. Paternas *Oves* Paridem pavisse, allegatus modò Coluthus Author est, at in Gemmâ Ovium nulla est mentio. In fabula Paris *Pastor* vocatur, at in Gemmâ habitu pastorio destituitur: Et quale est, quod in Clypeo Palladis visitur? Mihi sanè id obscurum est; Memini autem caput Medusæ Clypeum ejus insignire solere?

Multa coacervas, nec levi brachiô, respondit DULODORUS; Nihil tamen acrius mihi videris urgere, quàm Nuditatem. Ego non de hac tantùm, sed etiam de reliquis Artificem & excuso & laudo. Deas nudas Paridem vidisse, etiam apud Lucianum docetur. Cùm Mercurius ei mandatum Jovis pertulisset, antequam sententiam pronunciaret, γυμνὰς ἰδεῖν βούλομαι, *nudas*, inquit, *videre cupio!* Quod & factum, uti sequentibus apud eundem deducitur; Sed hoc non obstat, quò minus vestitas exprimere potuerit Artifex; Non enim eum habitum proposuit, quô nudas Paris inspexit, sed eum, quô vestibus resumtis, judicioque peractò, Venus de Victoria exultabat. Id ex pomo colligitur, quod Venus utique jam tenet, & ex facie, quâ ad reliquas Deas conversa, Victis insultare videtur. Vestes sanè post inspectionem resumtas, ex eodem Luciano discas, ubi Paris ad Palladem, ἔνδυθι ἤδη, καὶ ἐπίθου τὴν κόρυν, ἱκανῶς γὰρ εἶδον. *Indue Te jam, Galeamque impone, satis enim Te inspexi:* Si eum habitum intueri cupis, quô nudas spectavit Paris, Marmor Pighianum adire poteris, inf. fasciculis meis propositum. Utrumque habitum id exprimit, eòque sententiam nostram egregiè firmat, & omninò Artificem ab imperitiæ notâ liberat. Quod de Ovibus attulisti, levius est. Artificibus evenire solet, quod etiam evenit Scriptoribus. Non omnes omnia. Coluthus non Oves tantùm, sed & Tauros memorat, sed Lucianus Capellas & Juvencas habet. Ita enim Paris ipse; Τὸ δ' ἐμὸν αἴγα μὲν αἰγὸς ὁποτέρα ἢ καλλίων, καὶ δαμάλις ἄλλης δαμάλεως, τάχ' ἂν δικάσαιμι κατὰ τὴν τέχνην. *Quod ad me,* inquit, *attinet, utra Capella alterâ sit formosior, & Juvenca aliâ juvencâ, forsitan ex arte judicare possim.* Audi! de *Capellâ* & *Juvencâ* loquitur, quæ duo genera, in Gemma nostra cernis, adeò ut hæc Lucianum videantur sequi, prout Coluthum sequitur Marmor Pighianum, & Oves & Tauros exhibens, licet vetustatis injuriâ insigniter truncatos. De Tugurio rem æquè infirmam arbitror; Textus Græcus μεσαύλου habet, qua voce propriè non *tugurium* significatur, sed *media aula* sive *atrium cujusvis habitationis.* De pecorum stabulis sumitur Homero Il. Λ. ℣. 547. & quænam Pastori, licet Regio, in monte habitatio convenientior, quàm *nativis rupibus undiquè concluſa*, qualem in Gemma nostra Artifex utique ad oculum expressit? Lucianus appositè non ad summum montem, sed *in latere sinistro ad antrum* eum posuit; Non *intra*, sed *ad antrum*, in ipso aditu, planè qualiter hîc cernimus; Nam secundum Ovidium:

Luce Deas cœloque Paris spectavit aperto.

Ad habitum pastoreum transeo, quem procul dubiô arbitraberis alium esse non debere, quàm eum, qui visitur in Dactyliotheca Gorlæi n. 166. 138. aut apud Leonhardum Agostinum pag. 189. aut etiam in adferenda paulò post Gemma sigillari, qualem & in Thesauro Palatinò dedimus: Pellem videlicet à tergo dependentem, idque secundum Tuum Coluthum, qui cùm Paridem describeret, addit.

Καὶ τὶς ὀρεσσαύλοιο δορὴ μετόπισθε χιμαίρης,
Ἐκκρεμὲς ἡώρητο καὶ ἀυτῶν ἅπτετο μηρῶν.
Et pone aliqua pellis, chimeræ in montibus ſtabulantis,
Dependens ſuſpenſa fuerat, ipſaque tangebat femora.

Sed ſunt etiam alia Paſtorum veſtimenta, & nominatim fluxa illa palla, quâ Paridem noſtrum indutum cernimus. Non memorabo, Paſtorem noſtrum non ex plebe, ſed Regis filium fuiſſe. Non ætatem formæque venuſtatem in medium producam, nec rerum amatoriarum ſtudium, quamvis hæc omnia in eo vel à Diis laudentur, & pellibus non offuſcari, imò potiùs molliore veſtitu mereantur commendari. Non veſtem Phrygiam urgebo, quam braccis ad pedes usq; deſcendentibus probe obſervavit Artifex; Sed eam ipſam, quæ maximè in dubium venit, laxam ab humeris Pallam. Eam non in propoſito tantùm Cimelio videas, ſed & in Paſtore, capram mulgente, apud eundem Gorlæum in Gemmis, n. 116. imò & in dormiente Endymione in Marmore Juſtinianeo, apud Nobiliſſimum à Sandrart in Academia Tedeſca. De Minervæ clypeo dicendum reſtat, in eo nihil aliud mihi videtur exprimi, quàm Ægis, ſive pellis illa caprina, quâ Jupiter clypeum ſuum induxit; Clypeum enim ipſum cum Ægide poſtea Minervæ legitur donâſſe, Minerva autem caput Meduſæ ejus in medio repoſuiſſe, imò & Ægidem ſimul cum capite Meduſæ pectori ſuo addidiſſe. Ifacius, pellem non Capræ, ſed Patris Pallantis, quem quod virginitati ejus vim intentaſſet, occiderat, ut Ægidem geſtaſſe, memorat. Quicquid ſit, in Gemma noſtra Caput Meduſæ abeſt: Non temerè, ſed ne judici ejus conſpectus noceret. Ægis Clypeo imminet non Pectori: Nec hoc temerè: Poterat ægis in pectore & ipſa formoſitati obeſſe. Ægis non expanſa eſt, ſed in rugas concidit; Nec hoc abs ratione. Minervæ iram indicat, quod ob indignitatem Judicii Ægidem concuſſiſſet, eodem modo, quo Jupiter ſolet, dum iraſcitur & tempeſtates ciet.

Ringente ſic Minerva, Junone indignante, Venus Victoriam obtinuit. Quid mirum? In conſortio Veneris memorantur etiam

GRATIÆ

Concordes, hæ Jovis & Eunomies filiæ, decenti nexu ſe ſe invicem amplexantur, planè, qualiter & in Numiſmatibus Deultanorum & Adrianopolitarum, apud Per-Ill. SPANHEMIUM in Cæſ. proſtant.

An igitur, inſit ARCHÆOPHILUS, aliter adhuc fingebantur? Omninò, inquit DULODORUS, Antiquiſſimi enim non nudas, uti hîc cernimus, ſed veſtitas ponebant. Tales fuerunt apud Eleos, Veſte ſc. inaurata, Facie, Manibus & Pedibus è candido marmore elaboratis, quarum una Roſam, altera Talos, tertia Myrti

Myrti ramum præferebat: Tales apud Smyrnæos, quas Bupalus fecit: Tales in Odeo, ſive Cantorum ſtatione, Apellis opus: Tales Pergami, pingente Pythagora Samio: Tales Athenis, à Socrate Sophroniſci filio ſculptæ: Omnes ſcil. *ἐν ἐσθῆτι in veſte*, uti Pauſanias Author eſt.

Res inſolita eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Et quis primus veſtibus eas orbârit? Idem Pauſanias id ſe neſcire fatetur, reſpondit DULODORUS, indeque conſtat, licet antiquiſſimis temporibus veſtitæ fuerint Gratiæ, tamen etiam nudarum ſimulacra non exiguam vetuſtatem præferre. Nuditatis ſanè ratio abſurda non eſt; Convenit enim Gratias apertas eſſe, non fucato, ſed ingenuo ex corde profluentes: Convenit non diminutas, ſed duplicatas reverti, quæ cauſa creditur, quòd una averſa, duæ autem directis faciebus fingantur.

Atqui Gratiæ, inquit ARCHÆOPHILUS, non ubique *tres*, ſed *duæ* tantùm fuêre, ut apud Lacedæmonios, teſte Pauſania, quarum alteram *Clitan*, alteram *Phaënnam* nominabant. Imò, eodem teſte, etiam apud Athenienſes, qui & ipſi Gratias venerati ſunt, *Auxo* & *Hegemonea* nominantes.

Hæc de antiquiſſimis temporibus facile ceſſerim, reſpondit DULODORUS, de antiquis non item. De his enim Muſæus:

— — Οἱ δὲ παλαιοὶ,
Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι.
— — *Antiqui*
TRES GRATIAS mentiti ſunt eſſe.

Ita in Apollinis Delii manu *tres Gratias* numerat Pauſanias: Et etiam apud Athenienſes *tres* fuiſſe, idem Author in ſequentibus memorat.

Fortaſſis, inſit ARCHÆOPHILUS, fontem unde tertia provenerit, aperire potero. Pauſanias cum duas Athenienſium Gratias memoraſſet, addit rationem, quòd *Carpûs* nomen, non Gratiæ, ſed Horæ ſit. Quis inde non colligat, Gratiarum tertiam ab Horis aſſumtam? Præſertim cùm in citatis Deultanorum & Adrianopolitarum nummis, una earum pomum præferat, aperto teſtimonio, eam eſſe, quam Græci *Carpûs* nomine appellarunt.

Si ratio valeat, inquit DULODORUS, etiam in appellationibus Gratiarum, quas Orpheus profert:

Ἀγλαΐην θαλίην καὶ Εὐφροσύνην πολύολβε.
Aglaëque, Thalia, & Euphroſyne dives.

Etymon Thaliæ docebimur. Θαλεία utique à *germine* dicitur, à quo fructus proveniunt, indeque ſimul conſtare poſſet, qua ratione apud Eundem Gratiæ ἀειθαλέες *ſemper virentes*, & in Epigr. Græco ἐυθαλεῖς *benè virentes* dicantur. Id quod & ipſis noſtris Gemmis adſtrui videtur, in iis enim Gratiæ & flores & fructus præferunt, ſed ad pulchritudinem adhuc memorandum Apud Homerum, Καλλιπλοκάμους, *pulchras comarum nexus habentes:* Apud Heſiodum καλλιπαρήους, *pulchras genas habentes:* Apud eundem Heſychium Τριζύγους *Trijuges* appellari. Omnia hæc in Gemmâ ad oculum patent, oſtenduntque, animorum, qui Gratiis litant & venuſtatem & hilaritatem. Philoſtratus in Heroicis Agamemnonem ait fuiſſe, σεμνὸν καὶ μεγαλοπρεπῆ καὶ ὅιον ταῖς χάρισι θύοντα, *Venerabilem & Magnificum, ut qui Gratiis ſacrificaret.* Et ego licet χαρίσια, de quibus Meurſius de Feſtis Græcorum videri poteſt, non amplius celebrem, jure meritòque tamen cum Theocrito in fine Gratiarum exclamo:

— — Τί χαρίτων ἀγαπατὸν
Ἀνθρώποις ἀπάνευθεν; ἀεὶ χαρίτεσσιν ἄμ' εἴην.
— — *Quid amabile hominibus*
Sine Gratiis eſſe poteſt? Utinam ſemper ſim cum Gratiis!

Non

Non addicunt omina! Gratias mihi voveo, & voventem occupat

MARS,

Idque Duabus in Gemmis. In utrâque Galeatus eſt. In utrâque Haſtam & Clypeum oſtentat; Sed in poſteriore, Thorace indutus, in priore autem nudus, & cum Gladio viſitur. In Galea, Haſta & Clypeo novi nihil occurrit. Epitheta Poëtarum de iis varia proſtant, de Galea Homero dicitur χρυσοπήληξ & χαλκοκορυστὴς *auream, & æream galeam geſtans*; à Scuto χαλκάσπις Pindaro, quòd *æreum ſcutum habeat*, & φερασπὶς Homero, quaſi *Scutiſer*.

Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & eodem niſi fallor etiam facit Epitheton Ῥοήτορος, quod ei tribuit Heſiodus; Lilius Gyraldus enim *pellibus indutum* interpretatur, & aliundè conſtat, Clypeos Antiquorum pellibus inductos fuiſſe.

Lilius Gyraldus, reſpondit DULODORUS, verius *pelles perforantem* vertiſſet, componitur enim ex Ῥινὸς *pellis* & τερέω *perforo*, referturque non ad Clypeum Martis, ſed ad Clypeos eorum, contra quos Mars depugnat. De Clypeo Haſtâ & Galeâ non aliundè concinnius doceberis, quàm ex eodem Homero, qui Il. O. ℣. 120. & ſeqq. cum de Marte dixiſſet.

Ἔντε᾽ ἐδύσετο παμφανόωντα.
Arma induebat præfulgentia.

Subjicit: Minervam ei Galeam à capite depoſuiſſe, Scutum humeris ademiſſe, Haſtam è manu rapuiſſe.

Τοῦ δ᾽ ἀπὸ μὲν κεφαλῆς κόρυθ᾽ εἵλετο καὶ σάκος ὤμων
Ἔγχος δ᾽ ἔστησε στιβαρῆς ἐκ χειρὸς ἑλοῦσα.
Χάλκεον. — —

Quibus ex verbis utique de terna Martis armatura abundè conſtat.

At non conſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, de Gladio, quem licet Martii furoris apertiſſimum inſtrumentum, in Antiquitatis tamen reliquiis Marti datum, ingenuè fateor, me nondum obſervâſſe. Haſtam & Clypeum ubique ferè video; ſed ubi Gladius?

Gladium, reſpondit DULODORUS, in Mamertinorum Numiſmate apud Goltzium videas, licet non ſtrictum, ſed vaginæ incluſum: Videas in inſignibus aliquot Romanorum Nummis, cujus exemplum eſſe in præclaro Severi inter Regios Gallorum, Per-Ill. SPANHEMIUS mihi Author eſt. Suffragantur Poëtæ. Apud Heſiodum in ſcuto Herc. ℣. 193. Mars

Αἰχμὴν ἐν χείρεσσιν ἔχων,
Mucronem in manibus habens.

memoratur, & ℣. 456.

Ἐρυσσάμενος ἄορ ὀξὺ
Ἔσσυτ᾽ ἐφ᾽ ἡρακλῆι κρατερόφρονι. *Extra-*

Extrahens GLADIUM acutum
Irruit contra Herculem magnanimum.

Non jam Orphei teſtimonium adducam, qui Martem allocutus, *ποθέεις ξίφεσίν τε καὶ ἔγχεσι δῆριν ἄμουσον, deſideras* inquit, *ENSIBUSQVE & haſtis contentionem concinnam*; Sed Gladii formâ, id quod Herodotus refert, Martem apud Scythas cultum, neutiquam eſt prætereundum.

Nuditas adhuc dubium movet, inquit ARCHÆOPHILUS; Nam qui nudus eſt, potius gladiator videtur, qualis in Locrorum Numiſmatibus: Qui thorace veſtitus, potius miles quidam, nam humano more effictis, quid opus eſt cœlum attribuere?

Id agere, ſanè opus non eſt, reſpondit DULODORUS, ſed memineris, id egiſſe Gentiles. Mars in Antiquitatis reliquiis, ut & cæteri Dii, humano more ſimulatur, in aliis nudus, in aliis thorace indutus, planè qualiter in noſtris Gemmis.

Sed quid nuditas? inquit ARCHÆOPHILUS, quid veſtitus? Neque enim fruſtrà hæc Antiquitati placuiſſe crediderim. Veſtitûs rationem, non minus ac armorum, reſpondit DULODORUS, non in veſtitu militum tantùm, ſed etiam in Martis meritis inveneris. Diodoro enim teſte, Mars *πανοπλίαν univerſam armaturam* invenit. Rationem nuditatis aperit Iſidorus, qui Martem nudo pectore fingi arbitratur, quòd quisque in bello ſine cordis formidine ſe hoſti objicere debeat. Sed Martem à Minerva exarmatum, Homerus: proſtratum, Heſiodus cecinêre, & commodè poſt eum prodit eadem, neſcio an invidiæ ſtimulis agitata

MINERVA

Chalced.

AT mihi, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non Minervam hæc Gemma, ſed Alexandrum Magnum, invictam illam Herculis Progeniem, & inclytum Orientis Domitorem, videtur adumbrare. Alexandrum Herculis Progeniem,

Leonis rictus indicare poteſt, humero dextro affixus, quæ ratio communiter & dari ſolet ad Numiſmata, in quibus leonis pelle, caſſidis loco, Alexander tegitur; quanquam & leonina animi ſublimitas eà adumbrata videri poſſit, quâ Alexander, tantùm abeſt, ut periculis ceſſerit, ut potius ſe ipſum quibusvis audaciſſimè obtulerit. Teſtis prima cum Perſis pugna, quâ, Diodoro lib. XVII. c. 19. teſte, *primus concitatum in Perſas equum immiſit, cumque hoſte conſertus, cædem ingentem fecit, indeque jugulari cum Spithrobate, Perſa, Darii genero, certamine congreſſus, licet Loricâ hoſtili Saunio trajectâ, in Dextri Humeri ſummitate vulneratus eſſet, tamen hoſtem interfecit, quanquam & ipſe ab interfecti fratre, caſſide perfractâ, caput leviter ſauciaretur.* Hunc Nobiliſſimi Scriptoris locum, licet innumera leoninæ fortitudinis exempla, totâ militiâ ediderit Alexander, tamen eò juſtius addidi, quò apertius, non tantum de *humero dextro* loquitur, quo licet ſaucio, tamen leoninum robur exercuit; Sed etiam de *thorace* & *caſſide*, cui poſteriori cum Ala affixa ſit, meritò reſpicimus, vel ad Perſeum, à quo non minus ac Hercule, originem deducebat, teſte Plinio lib. XV. c. 28. Imò etiam, quem juxta Herculem æmulabatur, ut Author eſt Arrianus lib. III. Vel ad hiſtoriam ad Petram Sogdianam, ubi Curtio lib. VII. memorante, Arimazes, loci præfectus, Cophan Alexandri legatum interrogavit, *an Alexander volare poſſit?* Eludentibus eum Barbaris, quia Macedones pennas non haberent, quâ contumeliâ irritatus Alexander, ſe proxima nocte effecturum juravit, ut crederent Barbari, Macedones etiam *volare*. Juravit & perfecit; Submiſſos enim à tergo Petræ, militum audaciores, cùm in ſummitate oſtenderet, Cophan Arimazis ſuperbiæ denuò illudens, *pennas*, ait, *habere Alexandri milites*, reique novitate ita perterruit Barbaros, ut licet veniam deſperarent, offenſi tamen hoſtis ultioni ultrò ſe ſe tradiderint. Hæc ratio ſi diſpliceat, poteris in genere ad celeritatem victoriarum reſpicere, quæ & caſſidi Romæ alarum remigium appoſuit. Si quisquam Heroum, certe Alexander Magnus victoriarum celeritate uſus eſt: Tribus enim prœliis, univerſum Perſarum imperium rapuit, & cùm Juvenis adhuc vitam relinqueret, Orientem tamen à ſe ſubactum, verè jactare potuit. Quæ & cauſa procul dubio eſt, cur apud Danielem Prophetam c. 7. tertio animali, quo Alexandri Monarchia præfigurata eſt, alas affictas legimus.

DULODORUS, hæc inquit, ad Alexandrum appoſitè: Sed quis dijudicet, an effigies, quam contemplamur, Alexandri ſit? Ego potius Minervam crediderim, idque non meo, ſed doctiſſimi Cauſæi judicio, qui ſimili Caſſide inſigne caput, Minervæ tribuit, in Muſéo Romano. n. 6. Taceo Minervam, ſi alas excipias, eodem planè modo armatam, in Theſauro Palatino pag. 42. Sardæ inciſam; Taceo Romam alis, galeæ affixis, inſignem, quæ *Minervæ ritus imitata* fertur. Sed Alexandrum tantâ comarum longitudine non effulſiſſe, quantâ hic ſub caſſide deſcendit: ſed eam lineamentorum acerbitatem non fuiſſe, omninò eſt dicendum. Alæ Minervam non excludunt, memini enim eodem modo Minervæ caſſidi affixas, etiam in Nummis Thuriorum occurrere. Cauſam adjecit Cauſæus, vel quod Dea hæc cenſeatur Aër, vel propter acrem minimèque retrahendum ad res impetum.

ARCHÆOPHILUS, auditâ DULODORI ſententiâ, Mihi, inquit, ut Gemmâ hâc Alexandrum Magnum exhiberi ſtatuerem, non tam ornatus fecit, quam virilis & maſcula facies, quæ non fœminam mihi, ſed omninò Heroëm aliquem deſignare videbatur.

Maſcula facies, reſpondit DULODORUS, ad rem nihil facit; Conſtat enim Minervam Martiali *tetricam* & *ferocem* vocari: Conſtat Catamundo Regulo, Maſſiliam obſidenti, *ſpecie torvæ mulieris* apparuiſſe, planè qualiter etiam in noſtra Gemma viſitur. Suum

Suum ſit in his cuilibet judicium! regeſſit ARCHÆOPHILUS. Mihi fortunam hîc admirari liceat, quæ conſtanti favore Alexandri virtutem comitata fertur. Rarum conjugium! exclamat DULODORUS, cùm hæc non rarò etiam maximos Virtutis cultores everterit. Dubia ſolet eſſe bellorum alea, & rariſſima eſt, quam ſequenti in Gemma Tibi exhibeo,

VICTORIA
ΑΠΤΕΡΟΣ.

Duo hîc veniunt dilucidanda: Figuræ Determinatio, & Determinatæ Illuſtratio. Victoriam eâ exhiberi, ex habitu Clypeo inſcribentis, colligimus, qui Centenis in Romanorum Numiſmatibus proſtat. Victoriam ἄπτερον exhiberi, colligimus ex abſentia alarum; Audiamus Pauſaniam in Eliac. priore: Παρὰ τὴν Ἀθηνᾶν πεποίηται Νίκη. Ταύτην Μαντινεῖς ἀνέθεσαν, τὸν πόλεμον δὲ οὐ δηλοῦσιν ἐν τῷ ἐπιγράμματι. Κάλαμις δὲ οὐκ ἔχουσαν πτερὰ ποιῆσαι λέγεται, ἀπομιμούμενος τὸ Ἀθήνησι τῆς Ἀπτέρου καλουμένης ξόανον. *Aſſiſtit Minervæ VICTORIA, quam Mantinenſes, incertum quo bello confecto, dedicârunt. Id enim non indicat inſcriptio. Calamis feciſſe dicitur. ALAS verò NON ADDIDIT, exemplar ſecutus ſigni ejus, quod Athenis eſt, & INVOLUCRE nominatur.* Ex his Pauſaniæ verbis, non tantùm abſentiam Alarum docemur, ſed & locum, ubi ſimulacra Deæ fuerint, *Athenis* ſcilicet, & *in Elide*. De Athenis teſtatur idem in Atticis: Τῶν προπυλαίων (τῆς Ακροπόλεως) ἐν Δεξιᾷ, Νίκης ἐστιν Ἀπτέρου Ναός. *Ad veſtibuli dextram, INVOLUCRIS VICTORIÆ Sacellum eſt:* Adeò ut de Victoria involucri dubitari non debeat; Cur autem involucrem finxerint, adhuc indicandum: Idem Pauſanias rem edocet, in Laconicis: Τοῦ ναοῦ δὲ ἀπαντικρύ πέδας ἔστιν Ἐνυάλιος, ἄγαλμα ἀρχαῖον, γνώμῃ δὲ τῇ αὐτῇ λακεδαιμονίων τὲ ἐς τόυτο ἐστὶν ἄγαλμα, καὶ Αθναίων ἐς τὴν Ἄπτερον καλουμένην Νίκην. Τῶν μὲν ὄυποτε τὸν Ἐνυάλιον φεύγοντα ὀιχήσεσθαι σφίσιν ἐνεχόμενον ταῖς πέδαις. Αθηναίων δὲ τὴν Νίκην αὐτόθι ἀεὶ μένειν ὁυκ ὄντων πτερῶν. Τὸν δὲ μὲν ἐισιν ἅι πόλαις ἄυται τὰ ξόανα τὸν τρόπον ἱδρυμέναι, καὶ ἐπὶ δόξῃ τυιαύτῃ. *Ex adverſo hujus templi, viſitur priſci operis ſignum Enyalii in Compedibus. Eadem ratio in hoc Simulacro, Lacedæmoniis, quæ Athenienſibus in ea VICTORIA, quam INVOLUCREM appellant. Hi enim vinculis impeditum à ſe nunquam Martem auffugiturum: Illi ſemper manſuram ſecum, quæ pennis careat, Victoriam, interpretantur. Has ſecuta rationes Urbs utraque, quo diximus, habitu ſigna ſtatuit.*

Hæc benè ſe habent, inquit, ARCHÆOPHILUS, licet non omninò ſatisfaciant; Primò enim, niſi fallor, habitus Victoriæ Ἀπτέρου, teſte Gyraldo, multò aliter deſcribitur, quam in propoſita Gemma viſitur. Dextrâ eo Authore, Malum Punicum tenuit, Siniſtrâ Galeam; At in Cimelio noſtro, Malum Punicum abeſt: Et Victoria, ſi ita vis, Clypeo inſcribit, Galeam pede premit, quæ utique non conveniunt. Secundò, vox Ἄπτερος, non tantùm *implumem* aut *involucrem*

 denotat,

denotat, sed etiam *præpetem* & *celerem*, ex Homero & Æschylo. Audiamus Hesychium: Ἄπτερος Ἀιφνίδιος παρὰ ὁμήρῳ, ὀπροσυνὴς ἢ ταχὺς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι αἰφνίδιον. Quid clarius dici potest? Et proinde, quidni justè dubitem, an Νίκη Ἄπτερος *Victoria alis carens* intelligatur? Annon potius *præpes* illa, quæ alarum remigio celeritatem suam exequitur? Tertiò, si de Victoria Involucri concedam, aliud adhuc dilucidandum videtur, an scil. Victoria hæc involucris ipsa Victoria sit? Annon potius Minerva, Tutelaris Athenarum Dea? Id ut arbitreris, suadere poterit Ἀθηνᾶ Νίκη, Minerva Victoria, Athenis culta, cujus meminit Lycurgus Orator, in Oratione περὶ Ἱερείας, notante Lil. Gyraldo, cujusque in arce Megarensi sacellum fuisse, Pausanias in Atticis asserit; Sed hæc profero, Honorande DULODORE, non ut Tua evertam, sed ut, quæ sequenda sint, à Te rerum harum callentissimo edocear.

Laudes, regessit DULODORUS, modestè retorqueo, gratias agens, quòd eruditis Tuis objectionibus, ulteriori discursui fomitem ministrare fueris dignatus. Id uti nunc licuit, ita & licebit imposterum, neque enim veritas facilius educi potest, quàm amicis ejusmodi confabulationibus: Quod ad rem attinet, ad *primum* distinguere possem, inter Victoriam Ἄπτερον Romanorum & Græcorum. Possem dicere, apud hos eam dextrâ Malum Punicum, & sinistrà Galeam prætulisse, illos autem procul dubio eô habitu finxisse, quô & alatam: Conferri posse Numisma Vitelii ex Thesauro nuper Palatino, nunc Brandenburgico, aliaque plura, in quibus, si alas excipias, eadem planè Corporis inclinatio, eadem Clypeo inscribentis, Galeamque calcantis figura visitur, quæ in nostra Gemma. Possem in rei fidem adducere Epigramma Pompeji, in simulacrum Victoriæ, cujus alæ fulmine fuerant combustæ, ex Anthol. lib. IV. c. 21.

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος ὔποτ' ὀλεῖται,
Νίκη γὰρ σε φυγεῖν ΑΠΤΕΡΟΣ οὐ δύναται.
Roma omnium Regina, Tuum decus nunquam peribit,
Victoria enim Te effugere sine alis non potest.

Hæc ita, si primum dubium firmâ basi niteretur; Sed fragili insistere, videbis, ubi *Tertium* monitum illustravero. Eandem esse Minervam Victoriam & Victoriam involucrem, Gyraldus, quem allegas, credidit. Hausit autem opinionem ex malè intellecto Harpocratione, cùm tamen is non Victoriam involucrem, sed Minervam Victoriam dextrâ malum punicum, sinistrâ Galeam prætulisse scribat. En verba! Νίκη Ἀθηνᾶ, Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἱερείας, ὅτι Νίκης Ἀθηνᾶς ξόανον ἄπτερον ἔχον ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ Ῥοιὰν, ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ Κράνος, ἐτιμᾶτο, ὅτι δὲ ἐτιμᾶτο παρὰ Ἀθηναίοις δεδήλωκεν Ἡλιόδωρος περιηγήτης ἐν τῇ πρώτῃ περὶ Ακροπόλεως. Ex his, Minervam Victoriam alis caruisse, dextrâque malum punicum, sinistrâ Galeam prætulisse, facilè concedo; Sed ut eandem fuisse cum Victoria ἀπτέρῳ concedam, adduci non possum. Obstat Galea, quam Victoria, ut modo vidimus, pede premit, adeoq; contemnit: Minerva autem, tanquam proprium suum decus, si non capite, tamen manu præfert.

Alius subjecit ARCHÆOPHILUS, & quidem in rem tuam, Harpocrationis locus, mihi in mentem venit: Νίκην Minervæ Epitheton fuisse non minus ac ὑγείαν & Ἵππίαν & Ἐργάνην asserit, sub voce ὑγεία Ἀθηνᾶ, quam non minus ex dicta Lycurgi Oratione περὶ τῆς ἱερείας citat. Audi verba! Ὑγεία Ἀθηνᾶ, λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας ἐστὶ δὲ ἐπώνυμον Ἀθηνᾶς, καὶ γὰρ ὑγεία καλεῖται, καὶ Νίκη, καὶ Ἵππία, καὶ Ἐργάνη. Si his fidem habeas, inquit DULODORUS, Minervam Victoriam arbitraberis, non aliam esse, quam eam, quæ in Nummis Romanis *Victrix* dicitur, de qua videri potest Illmus Mediobarbus, sub Pescennio, Caracalla & Commodo, & Ea, cum non alio habitu formetur, quàm quô Minerva vulgò solet, nec quicquam

quam præter nomen cum Victoria commune habeat, eò minus clarum erit, qua ratione viris doctis eadem cum Victoria involucri fuerit credita? At ego Ἀθηνᾶν, non ἐπονύμως, sed ὁμονύμως Νίκην dici, mihi persvaderi facile patior, aliunde enim argumenta sufficiunt, quibus Ἀθηνᾶν Νίκην & Νίκην ἄπτερον diversas fuisse demonstrare possim. Pausanias & Pompejus, locis supra allatis, non Νίκην Minervæ Epitheton faciunt: Non de Minerva Victoria loquuntur, sed ipsam Victoriam dicunt Ἄπτερον, *involucrem.* Et quale est, quod idem ait, Victoriam Ἄπτερον, quam Mantinenses dedicârunt, Minervæ adstitisse? Si eadem fuit, cur diversa signa? Si eadem signa, cur diversa nomina? Hæc de primo & tertio dubio sufficiant. *Secundum* levius est: Licet ἄπτερος apud Homerum & Æschylum *Præpetem* & *Celerem* significet, negari tamen non potest, etiam *Involucrem* significare, & cùm ab allatis Pausania & Pompejo, aperte vox ea de Victoria, posteriore sensu efferatur, non sufficit ambiguum sensum vocis demonstrâsse, nisi & demonstretur, de Victoria eô sensu accipiendam, quod contra geminum Tantorum Authorum testimonium, procul dubio, perquam difficile erit. Sed in his satis superque lusimus. Jam dudum nos expectat

VICTORIA HERCULIS ET ORBIS TERRARUM.



Onyx. incis.

DUas has Gemmas conjungere visum est, eò quòd non obscurè conveniant. Victoria Orbi Terrarum insistit, & Orbem Terrarum Victoriis implevit, ideoque ab ea coronatur, Hercules.

Victoria Orbis Terrarum, respondit ARCHÆOPHILUS, si rectè memini, eôdem modò, quo hîc visitur, in Numismate Augusti prostat, indigitatque non Herculis Victorias, sed Victorias ipsius Imperatoris, eodem modò, quo alii Victoriam globo insistentem dextris præferre solent.

Rectè meministi, respondit DULODORUS, idemque asserere poteris etiam de Hercule, à Victoria coronato; Idem enim in Numismatibus Maximiani visitur, non tam ad Herculem referendus, quàm ad Imperatorem, quem Herculis facinora æquâsse, mendax adulatio finxit, sibique blandiens credidit arrogantia. Sed in Gemmis alia est ratio. Cùm ad Imperatorem aliquem eæ non restringantur, libera omninò facultas est, non tantum Herculis facinoribus Victoriam globo insistentem apponere, sed etiam aliter, si res ferat, interpretari.

Et quomodo? subjecit ARCHÆOPHILUS. Annon Globus Orbis typus est? & proinde Victoria globo insistens, Orbis subacti symbolum? Est, inquit DULODORUS, sed non tantùm; Globus enim etiam signum mobilitatis & inconstantiæ est, eaque ratione sub Victoria globo insistente, quidni Victoriarum inconstantiam Tibi imagineris? Si huc respexit, qui Gemmam hanc digito apposuit, non exiguæ Prudentiæ monumentum reliquit. Utinam hodieque Victores, non tam infinitos cupiditatum suarum limites jactarent, quàm incertos futurorum casus perpenderent! Eadem huc ratio est, quæ est & alarum. Victoria *præpes* di-

citur & *volucris*, ut modò audivimus, quòd ſtabilis eſſe non ſoleat. Homero ἐτεραλκὴς cognominatur, & ἀμφίριστος. quod dubia & incerta inter bellantes pendeat, & mox huic, mox illi faveat. Si felicitas ante obitum neganda eſt, Victoribus ea neganda, cùm breve momentum eos à culmine rerum detrudere poſſit. In Gemma priore Victoria Herculem coronat, non globo inſiſtens, ſed terræ, idque non fruſtrà; Invictus enim Hercules dictus eſt: Si Lucretium audis, quòd omnia monſtra animi devicerit: Vel ſi Varronem, quòd omne animalium genus. Idem etiam Victor appellatus eſt, eôque cognomine templa meruit, non aliam ob rationem, quàm, ut Artemidorus ait, quòd injuriam inferentes devicerit, injuriâ affectos defenderit. Non tantùm Callinicus audit, ſed etiam Muſagetes.

MUSÆ CAPUT ALATUM

Ejus memoriam ſuggerit. Muſæ? ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At quis unquam Muſas alatas finxit? Annon potius Orithyiæ hæc Gemma fuerit, Conjugis Boreæ, ex qua Zetum & Calaim ſuſtuliſſe memoratur, cùm ex Hygino fab. XIX. conſtet, etiam filios Boreæ Pennas in capite habuiſſe? Et quid ſi dicas, Orithyiam Amazonem ejus memoriam hôc ſchemate recoluiſſe? Amazonem forſitan innuit Coma in nodum collecta; Nam ita de iis, Seneca in Hippolyto:

Qualis relictis frigidi Ponti plagis
Egit catervas, Atticum pulſans ſolum
Tanaitis, aut Mæotis, & NODO COMAS
Coëgit.

Comæ, reſpondit DULODORUS, indubitatum de Amazone non ſuppeditant argumentum. Eas enim in nodum colligere, neque perpetuum fuit, neque ſolis Amazonibus uſitatum. Adde quòd ejus coma cultius religatà ſit, quam Amazonum. Si conferas Simulacrum ex Iconographia Johannis Angeli Caninii apud Petitum, nihil dubitabis. De Orithyia Uxore Boreæ libentius aſſentirer, ſi unicum idonei Authoris teſtimonium accederet. Argumentum à filiis deſumtum, quî ſtringat non video. Si ita procedendum foret, potius à filiis ad filias argumentarer. Boreæ filios, non tantùm ex Hygino conſtat, capite alatos fuiſſe, ſed etiam ex Numiſmate apud Jacobum de Wilde, ubi Calais caput alatum viſitur. Et non filios tantùm Boreæ fuiſſe, ſed etiam filias, utique Callimachus aſſerit in Delum ℣. 290.

Πρῶται τὸι τάδ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Αριμασπῶν
Ὄυπις τε λοξώτε καὶ ἐυαίων ἑκαέργη,
Θυγατέρες βορέαο.
Namque Arimaſporum primæ è regione tulerunt
Upisque Loxoque, Hecaerge annoſa, rigenti
De Borea natæ.

Sed infirmam in his, & incertam determinationem demonſtrant, & Authorum de alis ſilentium, & ſimilia in aliis Antiquitatibus ſchemata. Caput Meduſæ alatum

alatum videas non in Gemmis tantùm, ſed etiam in Numiſmate Coſſutiorum apud Urſinum à Patino reſtitutum. Genii Salutis Caput, pariter alatum, protulit Nobiliſſimus a Sandrat in Academia Todeſca; Sed illud Coma Serpentina removet, Genium Salutis removet & Coma infra alas diffluens, & Serpens vertici impoſitus. Taceo muliebrem habitum, qui in noſtro ad oculum patet: Quò argumentò planum eſt, nec Mercurium, qui in Numiſmate Metapontinorum apud Goltzium, alis nudo Capiti appoſitis, fulget: Nec Perſeum, alatum apud Licetum ex Gemmis ſigillaribus, hîc locum habere, de quo poſteriore omninò monendum, ex eadem Gemma videri expreſſum, ex qua & Genius Salutis Sandrartianus. Quod autem dubitas, an Muſæ alatæ fuerint, mirum videretur, ſi inter Antiquitatis reliquias hactenus alatæ prodiiſſent. Cum Pennis in vertice erectis, eas videas in Manuſcripto Pighiano; At cum Alis ad tempora annexis, nec me meminì obſervâſſe. An autem ideò aſſertum de Capite Muſæ alato corruat? Neutiquam! Gemmæ potius raritas inde demonſtrabitur: Neque enim vel rationibus vel Authoritate deſtituor. Phœnices & Ægyptios ſingulis Diis, ſingulas alas addidiſſe, Saturno verò quatuor, duas protenſas, duas verò remiſſas tribuiſſe, Alexander ab Alexandro obſervat. Et de Muſis nominatim, alatas fuiſſe, Porphyrius ſcribit III. de Sacrificiis. Et quid? Nonne apud Ovidium Met. 5. una ſororum ad Palladem:

— — *Claudit ſua tecta Pyreneus*
Vimque parat, quam nos SUMTIS effugimus ALIS?

Sed, inquis, non ſufficit alatas fuiſſe, aut alas tempore neceſſitatis ſumſiſſe, niſi probetur etiam, capiti alas appoſuiſſe! Certaminis memoria, quod Muſæ cum Sirenibus inierunt, etiam hoc in aprico ponit. Pauſanias in Bœoticis Author eſt, Sirenas, Junonis ſuaſu, in cantûs certamen Muſas provocare auſas: Muſas autem iis devictis, ex alis earum pinnas evulſiſſe, deque illis coronas ſibi feciſſe. Ita interpres Amaſæus. Græca ἀποτίλασαι τῶν Σειρήνων τὰ πτερὰ non pennas ex alis, ſed alas Sirenum ipſas, evulſas videntur innuere; Ex quibus utique de Ala Capitis Muſæ alligata argumentum deſumere poſſem, cùm Pauſanias apertè dicat, *Coronas ex iis factas eſſe.*

Pauſanias, regeſſit ARCHÆOPHILUS, equidem Coronas ex Alis factas aſſerit, ſed integras alas Capiti Muſarum appoſitas non aſſerit; Neque enim Græca lectio id videtur evincere, imò potius id abſurdum videtur, cùm, ſecundum Stephanum, omniaque in Antiquis ruderibus ſimulacra, Sirenum alæ humeris affixæ, adeoque longiores perhibeantur, quàm ut Capiti affigi potuerint. Quod ad Pauſaniam attinet, nec Amaſæi verſio mihi rejicienda videtur, nam vox ἀποτίλλεσθαι non tantùm *evelli*, ſed etiam *depilari* ſignificat. Ita apud Plutarchum in Apophth. de Artaxerxe Longimano ἀποτίλλεσθαι κεφαλὴν *Caput depilari*, quem in ſenſum & ἀποτίλλεσθαι πτερά, quidni *alas deplumari*, ſignificet? præſertim cùm pennæ in frontibus Muſarum, ut ipſe ex Pighii MSCto meminiſti, exſtantes, apertè demonſtrent, non integras alas, ſed ſingulas pennas Coronis innexas fuiſſe?

Hæc Tibi facilè ceſſerim, reſpondit DULODORUS, cùm ea Antiquitatis monumenta explicent, quæ ipſe ad rem ulterius declarandam modo protuli. Notandum autem, variare Authores, non tantùm circa evulſionem alarum, ſed etiam circa innexionem in Coronas. Vox ἀποτίλλεσθαι utrumque involvit, & *evelli* & *deplumari*: Nec Pauſanias abs ratione eâ voce uſus videtur, quòd diverſitatem opinionum probè noſſet. Poſterior ſenſus vel Te ſuffragante rationi conſentaneus eſt: Prior juvari poteſt, authoritate Stephani, à Te allegati: Quo Authore, non quidem Muſæ abſtulerunt, ſed ipſæ Sirenes, ſe victas ægrè feren-

ferentes, alas abjecerunt. Ut taceam Eustathium ad Homerum, quò Authore Musæ ἀνασπῶσι τὰ πτερὰ τῶν σειρήνων, *revulsêre alas Sirenarum.* Sed de his tantoperè non laboro. Id potissimum hìc agitur, an pennas singulas coronis innexuerint Musæ, an eas alarum in speciem rursus adornatas apposuerint? Utrumque Antiquitati creditum. Prius Te, in Musis Pighianis, agnoscente, patet: Posterius non tam nostro Cimelio firmatur, quàm Authoritate citati modo Eustathii. Verba subjicio, ut eò planior rei basis sit. Ita habent: Ὁ μῦθος, ἀγῶνα καθίζει, τῇ δὲ τῶν σειρήνων ᾠδικῇ τέχνῃ; καὶ τῇ τῶν Μουσῶν. Καὶ ὑποβιβάζει τὰς σειρήνας ταῖς Μούσαις, Αἱ δὲ κατὰ συνέδεξεν ἀνασπῶσι πτερὰ τῶν σειρήνων. ἦσαν γὰρ ὀρνιθοφυεῖς αἱ σειρῆνες. Καὶ μηρίνθῳ συνδέουσι. Καὶ στεφάνων συμμετρήσαντες κύκλοις περιτίθενται στέφανον ἑκάστη πτέρινον, καὶ οὐ τοῦτο μόνον πυιοῦσιν ἐπὶ τῇ τῶν σειρήνων ἀιχύνῃ ἀλλὰ καὶ τοὺς λόγους καλοῦσι πτεροέντας, στεφανοῦντες ὅιον καὶ αὐτοὺς ὡς νικητὰς τῇ τῶν πτερῶν ἐπιθέτῳ, κατὰ καὶ τὰς σφῶν κεφαλὰς αὐτοῖς τοῖς πτεροῖς. Rem Romano calamo delibamus. *Fabula*, inquit, *certamen ponit, Artis Cantatricis inter Sirenes & Musas. Eo Musæ post Victoriam Sirenibus, naturâ Volucribus, alas evellunt, & funiculo colligant & Coronarum dimetientes circulos, una quæque coronam alatam sibi imponit. Nec tantùm hoc faciunt in Sirenarum contumeliam, imò etiam verba alata vocant: Quasi coronantes etiam, utpote Victores alarum appositione, uti sua capita ipsis alis.* Quæso mi ARCHÆOPHILE, quid clarius ad opinionem meam dici potest? Coronam non *pennatam* memorat Eustathius, sed πτέρινον *alatam.* Coronam eam, alis funiculo colligatis, in circulum dimensas Musas sibi imposuisse, imò & Capita sua alis coronâsse, ait: Et Ala & Funiculus, adeoque tota Corona, qualiter Eustathio describitur, in Gemma nostra ad oculum patet, cùmque & Vestis, & collecta in nodum Coma Virginem demonstrent, quidni Musarum aliquam eâ adumbratam asseverem? Scio Alarum rationem apud eundem Eustathium, non tam ex fabula desumi, quàm ex sermonis natura, quòd is vel celeriter efferatur, vel harmonicè, vel aëra findat, vel denique se, tanquam alis innixus elevet; Quæcunque ratio sit, Alas Capiti Musarum affixas non negat, imò potius confirmat; Sermonum enim Magistræ Musæ sunt, id quod spectâsse videntur, & qui Musas alatas finxere, & qui Poëtas Musarum assecias: Titius inter Romana Numismata prostat, eodem modo alatus, quo in nostra Gemma Musa: Quo Musas alatas modo ex Eustathio audivimus. Ex hac convenientia, quidni & alterum opinioni meæ fulcrum surgat? Sed ecce! Post Musam Præses Musarum prodit

APOLLO,



Non qualis Mercurium cursu vicit, aut Martem pugillatu: Non qualis Admeti greges pavit, aut χρυσότοξος:

Innumeris tumidum Pythona sagittis

stravit; Sed Citharâ & Plectrò conspicuus: Sed Tripode & Lauru memorandus, quibus

quibus insignibus Musarum Patronus, & in aditis Vates agnoscitur. Sed hæc vulgaria arbitraberis, ideòque an pluribus illustranda, Tuum sit judicare.

Artificium, inquit ARCHÆOPHILUS, vulgare non est. Imò, subjecit DULODORUS, nec vulgaria sunt, quæ ad res expressas dici, & possunt & debent. Citharam Apollo sublimiter pulsâsse, Homero canitur, in Hymno ℣. 204.

— Ὁ Φοῖβος Απόλλων ἐγκιθαρίζει
Καλλὰ καὶ ὐλιβιβάς.

Et eum, qui in nostra Gemmâ exhibetur, non abs re cum Tibullo lib. IV. El. 2. alloqui posses:

Testudineâ Phœbe superbe lyrâ!

Quibus ex verbis & Lyræ origoe luceseit, ex testudine concinnatæ. Eustathius rei testis est, χέλυν asserens Citharam dictam, eò quòd testudinis testa, jugo addita, fidibusque tensa, Lyram deformaverit.

An Lyra cum Cithara eadem? subjecit ARCHÆOPHILUS. Est, & non est, respondit DULODORUS; Sunt enim, qui promiscuè his vocibus utantur, id quod ex allato patet, ubi Apollo κιθαρίζειν Homero dicitur, cùm tamen idem Orpheo λυροεργὸς, & in Epigr. λυρογηβὴς & ἐυφόρμιγξ cognominetur. Sunt qui Lyram a Cithara distinguant, differentiam ponentes vel in eo, quòd Chelys sive Cithara digitis & plectro pulsaretur, Lyra autem pelleretur: vel in numero fidium, eò quòd Diodorus Lyræ *tres* tantum, Citharæ autem sive Testudini Horatius *septem* tribuat; an recte an perperam, jam non inquiro. Videri potest Martinius in Lexico Philologico, ubi latiùs rem persequitur.

Tacebat DULODORUS; At ARCHÆOPHILUS, Citharam, inquit, aut Lyram Apollini convenire video, sed rationem, cur conveniat? non video. Duplex potissimùm est, respondit DULODORUS, vel quòd Citharam Apollo invenerit, vel quòd cœlestis harmoniæ Cithara index sit. Hujus rationis Servius Author est, ad Ecl. Virg. V. Illud observat Cœl. Rhodiginus; Quanquam alii non Apollinem, sed Mercurium Citharæ inventorem faciant, à quo eam Apollo acceperit, uti Homerus in Hymno canit, in tantùm scil. Cithara Apollini dicata fuit, ut & Citharus piscis, ob solam nominis cum Cithara affinitatem, Apollini sacratus, apud Athenæum, ex Apollodoro, memoretur.

Ex Tripode mihi videris loqui, subjecit ARCHÆOPHILUS, & de Tripode, ut loquaris, ipsæ nos Gemmæ monent. In priore Columnæ insistentem video, at in posteriore insistentem Terræ, & Citharæ subjectam. Tripodem machinam quandam, hiatui terræ, ex quo fatidicus spiritus prodibat, superpositam fuisse, cui insidens Pythia Deum captabat, & vaticinia petentibus dabat, ex Diodoro Te memini docere; At Servius Tripodes, *mensas* fuisse asserit, ad illud Virgilii lib. III. Æn.

Trojugena interpres Divûm, qui Numina Phœbi,
Qui TRIPODAS, Clarii Lauros, qui sidera sentis.

Et præter hæc Lil. Gyraldus, alios *Vas*, plerosque autem *perforatum sedile* tradidisse Author est. Quid inter tam diversas sententias sequendum?

Omnes, respondit DULODORUS, aliquâ ex parte vera dixisse, ipse Lilius conjicit, rejectò Phurnutô, qui insulsè lauri speciem putaverit: Rem ad oculum demonstrat Celeberrimus Spon in Miscell. pag. 118. ubi Tripos numero V. & VII. mensæ vices subit: Num. IV. perforatum sedile: In reliquis machinam vel etiam vas imitatur, idque ad mentem Athenæi, quem laudatissimus Author citat: Ὁ δὲ ἕτερος ὁ κρατὴρ καλούμενος. Ὅμηρος, ἐπὶ ἀπύρους τρίποδας, &c. *Alterum*

Tripodis genus Poculum fuit, de quo Homerus: Septenos Tripodas, quos non admoverat igni. In his Tripodibus vinum miscebatur.

Quid hoc ad Apollinem? excepit ARCHÆOPHILUS. Multum, respondit DULODORUS; Ita enim pergit Athenæus: *Est TRIPOS hic VERITATIS congruus index, Apollini ob Oraculorum suorum certitudinem dicatus: Baccho verò, quia non mentiantur ebrii.* Cæterum Tripos non tantùm sumitur pro ea machina, quæ Delphis posita est, sed in genere pro loco vaticiniorum Apollinis, ut apud Philostratum in Vita Apollonii; Apollo enim non tantùm Delphis, sed & plurimis aliis in locis Tripodem habebat, imò nec unam tantùm illam specui impositam, sed plures, ad illius imaginem ei dedicatas, qualis & esse potest, qui columnæ insistit, quod vel inde colligas, quòd Pausanias memorat, inter opera illustria, quæ Amyclis visebantur, fuisse & Ænetum Quinquertionem, & Tripodes æneos: Instituisse autem Quinquertionem *Columnæ* Quicquid sit, Τρίποδα Apollinis μαντικὸν *divinatorium* appellat Himerius apud Photium: Et in Epigr. lib. V. Apollo ipse τριποδιλάλος dicitur, *ex tripode loquens.* Quòd formosus hîc & semper juvenis, & Deus & Vates, tripode positô vaticinia reddiderit, câque famâ, ut Himerius Author est, omnes Gentes, omnesque Urbes ad se attraxerit.

Adeòne Apollo futurorum præscius fuit? subjecit ARCHÆOPHILUS. Unde artem didicerit? Quâ ratione Tripodem construxerit? Ridiculæ hæ quæstiones, respondit DULODORUS, de Deo viderentur, nisi magis ridenda solutio foret, quam Antiqui suppeditant. Apud Homerum in Hymno Merc. ℣. 533. Apollo ipse, juravi inquit:

Μὴ τινὰ νόσφιν ἐμεῖο θεῶν ἀθανατευετάων
Ἄλλον γ' εἰσεσθαι Ζηνὸς πυκινόφρονα βουλήν.
Non aliquem, præter me, Deorum immortalium
Alium, scire Jovis sapiens consilium.

En solum se dicit Jovis consilium scire, & tamen hic idem apud Athenæum vaticinandi artem à Glauco memoratur didicisse. Quod ad constructionem Tripodis attinet, Alii ternarii numeri perfectionem, ejus causam exstitisse tradunt: Alii tres Cœli circulos, quos Sol annuô cursu vel secat, vel attingit: Alii notam Apollini temporum diversitatem, præteriti scil., præsentis, & futuri; Sed ad Tripodem satis diu hæsimus. Etiam in Lauri ramo est, quod cum voluptate recorderis; Præter enim, quòd Daphnes metamorphosis in vulgus innotuerit, Nicander in Alexipharm. ℣. 200. Apollinem primum Lauro coronatum ait. Diodorus Siculus eundem εὑρητὴν τοῦ φυτοῦ τῆς Δάφνης, *inventorem Lauri* appellat, additque, eam frondem huic Deo omnes consecrare. Exemplum exhibet Virgilius, in Ecl. III.

— — *Phœbo sua semper apud me*
Munera sunt LAURI.

Et procul dubio innotuêre Daphnephorica, quibus Lauros, nonô quoque annô, ad Apollinis sacra sacerdotes intulisse memorantur. Occasio ritûs est apud Photium ex Proclo.

Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, eòque lubentiùs subsisto, quò clariùs inde discimus, non tantùm factum, quò tam Pelasgi, quàm Thebani Lauros Phœbo intulerunt, sed insuper ipsius Dei mandatum morem invexisse, quanquam & juxtà exquirere libeat, annon & aliæ consecrationis causæ sint?

Sunt, inquit DULODORUS, & quidem præter hactenus allatas. Eusebius de Præparat. Evang. pag. 112. Author est, Laurum ideò Apollini sacram esse, partim, quòd igne abundet, eòque Dæmonibus infesta sit; partim, quòd dum uritur, vocalis

vocalis ſit, eôque futura prædicendi vim habere credatur. Vulgatum eſt, vaticinantes Laurum veſci ſuevisſe, vulgatum, Lauri motum propitium Deum, reſponſique facilitatem portendiſſe: Nec mos in obſcuro eſt, quò ſomniorum hilaritatem captantes, Laurum capiti ſubſtraviſſe leguntur.

At Plinius, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ideò Laurum Apollini gratam dixit, quòd ſpectatiſſima Parnaſſo fuerit, & quale eſt, quod in Numiſmatibus Galli & Valeriani, Apollo Lauri ramum præferens, vel *Salutaris* inſcribitur, vel *Conſervator*? An inde non conjiciam, Laurum non tam vaticinia indigitare, quam Artem medicam? de qua ipſe apud Naſonem:

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per Orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Non improbo aſſertum, inquit DULODORUS, quanquam ne vaticiniorum juxta oblivi ſcar, omninò me moneat

PHOEBAS.



ſculp. incid.

CAutè de hac Gemma ſentire videris, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; An autem clarè rem explicaturus ſis, neſcio. Apollinem ea exprimit, Aræ inſidentem, eique adſtantem fœminam, cum bacillo. Fœminam cum bacillo, quidni Muſam interpreteris? Quidni Delphuſam Nympham, cum quâ Apollo colloquitur, apud Homerum in Hymno? Quidni Cyrenen aut Daphnen, quas amâſſe legitur? Aut, ſi omninò Phœbadum aliquam arbitreris, quidni ipſam Pythiam dennias, quæ Delphico Oraculo præfuit?

Addere poſſes & Sibyllas, reſpondit DULODORUS, & quascunque Fatidicas Mulieres Antiquitas celebrat, quarumque Catalogum & Hiſtoriam dedit, de Deliciis noſtris meritiſſimus Boiſſardus, in Tractatu de Divinatione. Sed ut verum fatear, hæc ipſa copia me facit inopem. Quam ex tanto numero ſeligam, non habeo; Neque enim ullum alicujus Muſæ video, vel Nymphæ inſigne. Fœmina quieta Phœbo ſedenti, & neſcio quid meditanti, adſtat.

Hoc ipſum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, cur Muſam potiùs arbitrer. Cithara enim muſicum Phœbi inſtrumentum eſt, & adſtans fœmina inclinatò ad Phœbum corpore, quid agere videatur, ſi non meditationes ejus excipere? Idque ſecundum illud Virgilii:

Mentis Apollineæ vis hæc movet undiquè Muſas.

Si ita placet, reſpondit DULODORUS, non refragabor, quanquam, ut dixi, nullum omninò hìc Muſæ inſigne appareat; Cithara rem indubie ad Heliconem non deducit, conſtat enim ex Pauſania, Vaticinatrices Delphicas Oracula ſua verſibus decantâſſe, ad quam rem indicandam, ſimulacrum Apollinis, in Templo Delphico, non fatidicam Laurum, ſed Citharam prætulit, id quod

apud Licetum videre eſt, in Gemmis Annularibus pag. 185 Inclinatio fœminæ hujus ad Apollinem, & ipſius Apollinis meditabunda depreſſio, non tàm ad Muſas, quàm ad Phœbades aut Sibyllas pertinere videtur. Licet enim mentis Apollineæ vis, ut Poëta canit, Muſas moveat, non tamen id ſemper, ſed ubi Apollo Muſis præſidet: Non neceſſariò, cùm ex Gentilium hypotheſi, Muſæ Deæ utique non alienâ, ſed inditâ ſibi divinitate artes coluerint, mortalibusque in iis colendis ſuccurrerint. Hinc Muſas invocare ſolent Poëtæ, non Apollinem, niſi rarò. Secus in vaticiniis; Hîc non Phœbades invocantur, ſed Apollo. Non Phœbades aut Sibyllæ Oracula pandunt, niſi acceptô Phœbei Numinis afflatu:

Plena Phœbo Phœmonoë.

Apud Lucanum lib. V. memoratur: Et apud Virgilium Æn. VI.

— — *Pius Æneas arces, quibus altus Apollo*
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane petit, magnam cui mentem, animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.

Quid multa? Etiam baculum, quem manu profert, Phœbadem demonſtrat, modò verum ſit quod Celeb. Spon. Miſc. p. 120. aſſerit. *Magos BACULIS uſos, & hâc Tripodas percutere, moris fuiſſe.*

Ignoſce DULODORE, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſi nondum acquieſcam. De Pythia memini, eam Tripodi inſidentem Phœbæos Spiritus excepiſſe: Et de reliquis conſtat, eos furore correptos futura ceciniſſe. Neutrum autem in Gemma vel minimô ductu adumbratur.

Benè mones ARCHÆOPHILE, reſpondit DULODORUS, hæc enim eſt cauſa, cur Pythiam aſſerere non fuerim auſus. Lucanus locô allegatô:

— — *Conterritus Virgo*
Confugit ad Tripodas, vaſtisque adducta cavernis
Hæſit, & inſuetô concepit pectore Numen.

Sed hoc apud Phœbades aut Sibyllas perpetuum non fuit. Apud Virgilium vix adhuc

Ventum erat ad limen, cum Virgo poſcere fata
Tempus ait: Deus, ecce Deus!

In his Tripodis nulla eſt mentio. Nil niſi Deum Sibylla ſpirat, eumque jam ante templum ſentit. Quid inde?

— — — *Talia fanti*
Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,
Non comptæ manſêre comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine quando
Jam propiore Dei.

En! Vultus & Comæ mutantur, rabieque fera Corda tument; Sed tunc demum, quum Deum jam ſentiret! Quis ex his non colligat, antea comas comtas vultumque quietum fuiſſe, qualiter & in noſtra Gemmâ? Artificemque eum Phœbados habitum expreſſiſſe, quo Phœbum recens acceſſerat: Non eum, quo Phœbo jam plena furebat. Forſitan arbitraberis, furori proximam eſſe, quòd obtortô pectore Phœbum haurire videatur. Sed id mihi favebit, facillimè ceſſuro, ſi quis certiùs quid docere potuerit. Gemma ſanè elegantiſſima eſt, nec Phœbas tantùm in ea conſideranda, ſed etiam Apollinis ſimulacrum. Non aræ adſtat, ut alibi ſolet; ſed aræ inſidet. Ara non nuda eſt, ſed ornamentis viſitur cincta, id quod fieri antiquitùs ſolitum, diverſis Authorum ſuffragiis conſtat.

ſtat. Aras *coronatas*, docet Propertius lib. III. El. 9. *Florentibus coronis vinctas*, Ovidius III. faſt. *Floribus redimitas*, Apulejus in Floridis: *Frondentes*, Valerius Flaccus, lib. III. *Verbenis vinctas*, Horatius lib. IV. Od. u.

Molli cinge hæc altaria vittâ,

inquit Virgilius, Ecl. VIII. Et alibi:

Thure calent Aræ, ſertique recentibus halant.

De Aris, inquit ARCHÆOPHILUS, res nota eſt, ſed Aræ inſidentem Deum, nullibi me vidiſſe memini. Cl. Vaillantii Colonias adi, reſpondit DULODORUS. Offendes Apollinem in Trojanorum Numiſmatibus, Cippo inſiſtentem, quem veriùs Aram dixeris; Offendes Mercurium in Nummis Patrenſium & Corinthiorum, in Templo, ſimili Cippo inſidentem. Et quid? An Diis id inſolitum fuerit, cùm non fuerit hominibus? Equitem Aræ, frugibus, arietumq; capitibus ornatæ, inſiſtentem, ex ædibus Cardinalis Farneſii, protulit Stephanus du Perac. Et quale eſt, quod in priore ſequentium exhibet,

NEMESIS A JOVE COMPRESSA?



NOnne & hîc Ara viſitur? Viſitur, ait ARCHÆOPHILUS, & quidem & ipſa Coronata, adeò ut nunc dubitare deſinam. At Ego, ſubjecit DULODORUS, liberam Tibi poteſtatem relinquo, Aras in his velis agnoſcere, an Cippos? ſanè ſi formam reſpicias, Aras arbitraberis: ſi uſum, Cippos. Nihil enim aliud præſtant, quàm baſin Statuis: Et credibile eſt, tàm Apollinem, quàm Nemeſin, talibus Cippis inſidentes antiquitùs fuiſſe conſecratos.

De Nemeſi quod ais, interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS, non intelligo. Hactenus ſanè Ledam à Jove Cygno compreſſam arbitratus ſum, nec id futili Authore. Audi Helenam apud Euripidem:

— — Ἐστὶ δὲ δὴ
Λόγος τις, ὡς Ζεὺς μητρὶ ἔπτατ' ἐους ἐμὴν
Λήδαν κύκνου μορφώματ' ὄρνιθος λαβών
Ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' ἀετοῦ,
Δίωγμα φεύγων.

— — *Eſt*
Fama quædam, quòd Jupiter volaverit in meam matrem
LEDAM, aſſumtâ formâ Cygni avis,
Qui effecit doloſum concubitum, ab Aquilæ
Perſecutione fugiens.

Eundem in ſenſum etiam, apud Ovidium, Arachne:

Fecit olorinis LEDAM recubare ſub alis.

Adſtipulatur Hyginus Fab. 77. *Jupiter LEDAM*, inquit, *Theſtii filiam, in Cygnum*

gnum converſus, ad flumen Eurotam compreſſit. Et quid multa? Res adeò nota eſt, ut ne vulgus quidem lateat.

Fateor, inquit DULODORUS, ideò autem non eò certior. Ipſa Helena, cùm ſuperiora memoraſſet, Cautè:

— — Εἰ σαφὴς ὅυτος λόγος.

— — *Si vera eſt iſta fama.*

Inquit, adeòque jam tunc dubitavit. Mihi, ut Nemeſin potiùs definirem, quàm Ledam, Callimachus & Pauſanias ſuasêre: Ille in Hymno in Dian. ℣. 232. ubi Helena, Ῥαμνόυσις dicta eſt, ἀμφ' Ελένῃ Ῥαμνόυσιδι. Prout alibi *Helena Adraſtea*, id quod in Obſervationibus ad Callimachum, quæ ſub prælo ſunt, obſolutiſſimis, Per-Ill. SPANHEMIUS tangit: Pauſanias rem apertiùs in Atticis: Ἑλένη Νέμεσιν μητέρα εἶναι λέγουσιν Ἕλληνες, λήδαν δὲ μαστὸν ἐπισχεῖν αὐτῇ καὶ θρέψαι, πατέρα δὲ καὶ ὅυτοι καὶ πάντες κατὰ ταυτὰ Ἑλένης, Δία, καὶ ὀυ τυνδάρεων εἶναι νομίζουσι. Ταῦτα ἀκηκοὼς Φειδίας ποιῆται Ἑλένην ὑπὸ λήδας ἀγομένην παρὰ τὴν Νέμεσιν. *Helenæ Matrem fuiſſe NEMESIN, Græci dicunt, Ledam verò nutricem; Nam Patrem omnes Jovem, non Tyndarum perhibent. Quæ cum Phidias nôſſet, Ledam eâ ſpecie fecit, ut Helenam ad Nemeſin adducere videatur.*

Ex his verbis, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Helenam quidem, Nemeſis filiam eviceris, Jovem autem Cygni formâ cum Nemeſi concubuiſſe, non eviceris. Omnino, reſpondit DULODORUS, cùm conſtet, ex eo concubitu Helenam natam eſſe. Propiùs intuêre Hyginum, quem modò in contrarium attuliſti. Diſces opinionis meæ firmitatem. *Jupiter*, inquit lib. II. Poët. Aſtron. *cùm amore inductus, NEMESIN diligere cœpiſſet, neque ea, ut ſecum cubaret, impetrare potuiſſet, hâc cogitatione amore eſt liberatus. Jubet enim Venerem, aquilæ adſimilatam, ſe ſequi, ipſe in olorem converſus, ut aquilam fugiens, ad NEMESIN fugit, & in ejus gremio ſe collocavit. Quem NEMESIS non aſpernata, amplexum tenens, ſomnô eſt conſopita, quam dormientem Jupiter compreſſit; Ipſe autem avolavit.*

Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, tàm diverſas ſententias potuiſſe invaleſcere. Neutiquam, reſpondit DULODORUS, id enim, quomodo factum ſit, ex ſequentibus diſcas: *Nemeſis*, inquit, *Menſibus actis, ovum procreavit, quod Mercurius auferens, detulit Spartam, & Ledæ ſedenti projecit in grenium: Ex quo naſcitur Helena, cæteris corporis ſpecie præſtans, quam Leda ſuam filiam nominavit.*

At niſi fallor, iteravit ARCHÆOPHILUS, non unum ſed duo ova, ex iisque non tantùm Helenam, ſed & Clytemneſtram & Dioſcuros prognatos quidam tradidêre.

Adeò intricata ſunt Authorum de his Commenta, reſpondit DULODORUS, ut quid credendum ſit, vix invenias Idem Hyginus aliô locô Helenam nec Nemeſi, nec Ledâ, ſed Pyrrhe Pimeti filiâ natam aſſerit: Et Fab. 77. Ledam ex Jove Helenæ & Pollucis, ex Tyndaro Caſtoris & Clytemneſtræ matrem facit. Fab. ſequente rem iterum confundit: Non Clytemneſtram tantùm, ſed etiam Helenam ex Tyndareo conceptam aſſerens, uti Fab. 155. Caſtorem & Pollucem ex Jove. Sed hæc ad Gemmam noſtram nihil facientia, potiore jure ſibi vendicant

DIOSCU-

DIOSCURI.

Dioſcurorum ſimulacra, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, novi nihil ſunt. Cordius & Servius jugata eorum capita expreſſerunt: Eosdem Equeſtri impetu in hoſtem tendentes, centena Romanorum Numiſmata exhibent: Pedeſtri ſchemate juxta equos ſtantes, L. Memmius ſignavit, & absque equis, cum haſtis, idem Servius expreſſit.

Fateor, inquit DULODORUS, Servii Dioſcuros cum propoſitis in plurimis convenire, utrique enim Galeati, cœterà autem nudi ſunt: Utriq; ſtellis inſignes, quanquam Sculptor Illuſt. Patini Stellas omiſerit: utrique ſe invicem reſpiciunt, utrique haſtis armati viſuntur. Hæc autem raritati Gemmæ propoſitæ nihil detrahunt. Differunt enim non eô tantùm, quod haſtis innitantur Dioſcuri, cùm in Numiſmate Servii eas decuſſatim componant; Sed etiam Chlamyde ab humeris dependente, & quod rei caput eſt, Gladiolô, quem parazonii inſtar, uterque geſtat.

Chlamyde inſignes Dioſcuri, paſſim viſuntur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed de Gladio nihil me legiſſe memini, nihil de Galea; Gratum igitur feceris, ſi me rationes edoceas.

Habitum Dioſcurorum, inquit DULODORUS, ex antiquo Laconum agnoſces. Gladius, Haſta, & Galea, usque adeò eorum propria fuére, ut & Plinius Lacedæmoniorum inventa hæc eſſe, non dubitaverit affirmare. Haſtam juſtæ longitudinis fuiſſe, qualiter & hîc cernitur, ex reſponſis Ageſilai & Archidami intelligas, quorum ille interrogatus, quousque fines Laconicæ pertingerent? Haſtam vibrans, quousque hæc pervenerit, inquit: Hic rogatus, quantum Regionis Spartani poſſiderent, Quousque Haſtà, inquit, pertingimus. Plutarchus in Apophthegm. rei Author eſt. De Galea non alium citavero teſtem, ac Apulejum, qui lib. X. Metamorph. *Caſtor & Pollux*, inquit *quorum capita Caſſides æratæ, ſtellarum apicibus inſignes, contegebant.* Sed memini de Gladio præcipuum dubium eſſe. Gladium Laconicum ξυίνην λακωνικὴν, inter alia armorum genera, recenſet Julius Pollux, lib. I. cap. 10. n. 6. Xenophon ξυήλην appellat, uti videre eſt apud Suidam in voce ξυήλη.

De Gladio, inquit ARCHÆOPHILUS, neſcio an adhuc aſſentiri poſſim, brevior enim eſt, quàm ut talis credi poſſit, niſi fortè Parazonii inſtar fuiſſe arbitreris, eôdem enim modô viſitur, eôdem modô geſtatur, quô & Parazonium apud Romanos.

Non abs re hoc mones, reſpondit DULODORUS, breves enim fuiſſe Laconicos Gladios, ex Plutarcho diſcimus: In Lycurgo, cùm Athenienſis quidam Laconicorum Gladiorum brevitatem, (τὰς λακωνικὰς μάχαιρας εἰς τὰ μικρότητα) derideret, Rex Agis: *Atqui* inquit, *biſce nos gladiolis benè attingimus boſtes.* In Dione ξυφίδιον, *Gladius*, quo & Dio, & Dionis interfector Callipus periit, βραχὺ, *brevis* dicitur, ὥσπερ τὰ λακωνικὰ, *ſicut Laconici.* In Apophthegm. Laconicis.

Antal-

Antalcidas, quærenti, cur in bello ἐγχειριδίοις βραχέσι, *gladiis brevioribus* uterentur? Causam reddidit, quòd cominùs in hostes pugnarent. Et Agis junior, Demade dicente, præstigiatores Gladios Laconicos, τὰ λακωνικὰ ξύφη, ob *parvitatem*, διὰ μικρότητα, deglutire; Atqui, inquit, Gladiis nos potissimùm hostem impetimus. Ex quibus omnibus, utique clarum est, parvitatem non obstare, imò potius asserto suffragari.

DIANA ARICINA, SEU NEMORENSIS,

Nos vocat. Dianam non tantùm appositum nomen prodit, sed & habitus. Lunulam vides fronti præfixam: Vides Canem & Arcum, quorum illum dextrâ, hunc autem sinistrâ præfert: Vides & Pharetram sinistro humero eminentem.

Video hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque Dianam Venatricem potiùs appellarem; Sed non placet Dianam fidere. Inter Antiquitatis reliquias talem vix inveneris. Suidas in voce ἡ περγαία Ἄρτεμις, ἡ Θεὸς αὕτη νομίζεται ἀγορτεύειν ἀεὶ καὶ πλανᾶσθαι. *Hæc Dea putatur circuire semper, & vagari*; Hinc nota illa Epitheta ἐλαφοβόλος, *cervos persequens*, κυνηγέτις *Canum actrix*, θηρήτειρα *ferarum insectatrix*.

Quid inde? respondit DULODORUS. Nonne hoc ipsum raritatem Gemmæ nostræ insigniter auget? Venatricem Dianam non nego, Canis enim ex venaticorum genere, quales Dianæ jungi solere, ex Pausania constat; Imò & Arcus, & Pharetra, id abunde testantur. Id autem probè tenendum, non in ipso venationis actu, sed à venationibus quiescentem hîc præfigurari, id quod & ratio est, cur vestis fluxa dependeat, cùm alioquin, secundum Claudianum, *gemino cinctu* crispari soleret, qui habitus, ex communi nobiliorum Antiquitatum acervo, imò etiam ex Minutio Felice constat, cui in Octavio, Dea hæc *altè succincta venatrix* appellatur. Quiescit Diana, non in templo, sed sub arbore, id quod probe observandum; Eô enim non tantùm Studiorum locus, lustra, sylvæ, nemora, quibus Diana delectari solet: Non tantùm Lucorum consecratio, de qua Luctat. Placid. in illud Statii lib. IV. Theb. ℣. 425.

Nec caret umbra Deo. Nemori Latonia cultrix
Additur, —

Sed omninò singulare quid indigitatur.

Duplex mihi conjectura sedit, excepit ARCHÆOPHILUS, utrâque ex Pausania depromtâ, quarum si alterutram admittas, habebo quod mihi gratuler. In Arcadicis refert, apud Orchomenios in Suburbanis fuisse ξόανον Ἀρτέμιδος ἐν κέδρῳ

κέδρω μεγάλη, *effigiem Dianæ in Cedro magna*, indèque Deam *Cedreatin* appellatam esse. Quid ais DULODORE? annon locus ad Gemmam quadrat? Non videtur, respondit ille; Non enim hìc *in*, sed *sub* arbore Diana sedet: Ut taceam Cedrum, quæ alìô planè, & ramorum, & foliorum, luxuriat habitu, & non obscure à proposita arbore discrepat.

Alter locus fortassè convenientior erit, perrexit ARCHÆOPHILUS. In Laconicis memoratur: Bœum, unum de Herculis filius, e tribus Civitatibus, Etiade, Aphrodisiade, & Sida, coloniâ deductâ, cùm quæreret, ubi cum sociis consisteret, responsum accepisse: Dianam, quô locô Urbem conderet, monstraturam. Exscensione igitur factâ, Leporem se ostendisse, quem secutum, tanquam viæ ducem, cùm ille ad *Myrtum* se recepisset, oppidum ibi munivisse, stirpemque eam coluisse, & Dianam simul Servatricem celebrâsse. Hoc in exemplo *Diana* & *Myrtus* se nobis exhibent: Myrtus, quæ & foliorum tenuitate ab arbore proposita nihil differt.

Si probè examines, inquit DULODORUS, deprehendes, nec convenire; Sed quid inde rationem sumo? Utique Dianæ, sub Myrto sedentis, Pausanias non meminit, & quò minus ad Græciam respicias, subscriptum nomen facit, quod non Græcum, sed Latinum est. Mihi omninò ad *Dianam Aricinam*, aut *Nemorensem*, hæc pertinere persuasum est, nec opinor, si rationes audieris, conjecturæ calculum Te negaturum.

Aurem do, respondit ARCHÆOPHILUS, & si rem ritè deduxeris, dabo & assensum. Tria loca, perrexit DULODORUS, rem opinor in aprico ponent. Primum suggerit Joh. Brodæus in Anthologiam, ex Scholiaste Pindari: *Creditum ab antiquis*, inquit, *Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc cessante Dea licuisse, sed coronari consuetos canes, facesque accendi spicatas, juxtaque suspendi, quicquid erat venatoriorum instrumentorum.* De facibus & instrumentis etiam Gratianus, in Cynegetico suo, Sacro Nemorali id fieri asserens:

Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore,
Ipsaque per flores, medio in discrimine luci,
Stravêre arma sacris.

Et apertiùs Papinius. lib. III. Sylva. I. ℣. 54.

Jamque dies aderat profugis cum regibus aptum,
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ,
Conscius Hippolyti splendet lacus, ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas finit ire feras, omnisque pudicis
Itala terra focis, Hecateias excolit Idas.

Ex his utique indubiè docemur, Dianam Idibus Augusti, quod hîc facit, à Venationibus quievisse: Docemur, simulacrum in nemore fuisse, quod hîc sub arbore adumbratum est: Docemur, canes emeritos ab ipsa Diana coronatos, cujus rei blanditiæ testes esse possunt, quibus Diana Canem sedentem in Gemma demulcet: Ut taceam arma, quæ & ipsa sinistrâ deponit.

Sed faces non video, excepit ARCHÆOPHILUS. Facibus hîc opus non est, respondit DULODORUS, neque enim heic solenne sacrum, quo Diana colebatur, sed Dianæ quiescentis simulacrum exhibetur.

Nihil habeo, quod ultra opponam, subjecit ARCHÆOPHILUS; Gratum igitur feceris, si de Diana Nemorensi vel Aricina plenius me docere libeat. Id agam, inquit DULODORUS, & quidem paucis. Aricia oppidum Latii

fuit, ab Urbe CXX. ſi Dionyſium audis, ſecundum Strabonem autem CLX. ſtadia diſtans. Sita erat juxta Albam, ut Servius notat, ad *Æn.* lib. VII. ℣. 763. habebatque nemus tantæ jucunditatis, ut non tantùm Vitellius Imperator in eô libenter verſaretur, uti notat Tacitus Hiſt. lib. III. c. 36. ſed & ipſa Urbs Martiali lib. XIII. Epigr. 19. & Ovidio Faſtor. VI. *Nemoralis* ab eo vocaretur. Hoc nemus, Pauſania teſte, Dianæ fertur conſecrâſſe Hippolytus, ab Æſculapio vitæ reſtitutus, eratque mos, ut ſacerdotio ſervi tantùm fugitivi potirentur, & inter hos is, qui prior certamine ſuperâſſet, *Rex Nemorenſis* dictus, prout & *Templum Dianæ Nemorale*, Ovidio in Arte, quo, ut ſupra audivimus Idibus Auguſti, cùm Diana à Venationibus quieſceret, facibus accenſis fœminæ ab Urbe currebant. Graphicè Propertius:

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ Lumina ferre Deæ.

Sed ex nemore in hortos deſcendimus. Hîc pleno ſinu nobis obviam graditur

POMONA.



DEam vides, cujus procul dubio fabula Tibi innotuit. Hortos fingitur coluiſſe, maritalis thalami neſcia. Ambibant eam non pauca Ruris Numina, ſed Deorum nullus vel ardentiùs vel feliciùs amorem perſecutus eſt, quàm Vertumnus. Is varias cùm aſſumſiſſet formas, tandem in vetulam mutatus, pudicitiam, ſi non fregit, tamen concuſſit, indeque, quod vetula non potuit, in juvenem reformatus effecit, votisque ſuis potitus eſt, uti latius apud Ovidium Met. lib. XIV. decantatur.

De Pomona loqueris, inquit ARCHÆOPHILUS, ac ſi Pomonam hanc jam demonſtrâſſes. Si Tibi res fixa eſt, quidni rationem edis? Neque enim vel pulchritudo rem conficit, quam non vulgarem video, vel fluida veſtis, aut velum, quæ ventis ludibrio ſunt. Hæc Nympham quidem, non autem Pomonam arguunt.

Pomo-

Pomonam, inquit DULODORUS, arguunt Poma, quæ velum in ſinum collectum implent. Ad oculum ea patent, ſimulque aperiunt, & Nominis rationem, & Deæ ſtudium. Utrumque ex Ovidio firmatur dicto loco:

Rege ſub hoc POMONA fuit, quæ nulla Latinas
Inter Hamadriades, coluit ſolertius hortos,
Nec fuit Arborei ſtudioſior altera fœtûs,
Unde tenet nomen. Non ſylvas illa, nec amnes:
Rus amat, & ramos felicia POMA ferentes.

Rege ſub hoc, inquit, indigitatque *Procam*, quem præcedenti verſu nominaverat.

Ergo Latinum nomen *Pomona* fuit? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi Tuſcum credebatur, eademque cum Dea *Horchia*, quam in Etruria cultam, *Livius* narrat. *Norciam*, reſpondit DULODORUS, ita enim legendum eſſe, non *Horchiam*, ex Lil. Gyraldo conſtat, Arameè per interpretationem idem eſſe, quod *Pomona* latinè, Samuelis Talmudiſtæ authoritate, in Vertumnianum Propertii Annius docet, Alii autem Norciam, non Pomonam, ſed Fortunam arbitrantur.

Atqui, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi rectè memini, Interpretes Juvenalis nusquam ſe legiſſe dicunt, Norciam accipi pro Fortuna. Ita eſt, inquit DULODORUS, ſed Beroaldus contrarium oſtendit, producto Martiano Capella in libro de Nuptiis Philologiæ. En verba! *Omnium garrula puellarum, & contrario ſemper ſtuibunda luxu, levitate pernix deſultoriâ geſtiebat: Quam alii Sortem aſſerunt, Tychemque complures, aut Norciam.* Sed hæc utcunque ſe habeant, ad rem vel nihil faciunt, vel parum. *Pomonam* Romæ cultam ſufficit. *Pomonal* fuiſſe in agro Solonio, viâ Oſtienſi, ad duodecimum lapidem, diverticulo à Millenario octavo, Feſtus Author eſt. *Flaminis Pomonalis* meminit Varro, qui & obſcuram ejus originem teſtatur, Pomonamque *Pomorum Patronam* vocat

SALUS

Succedit. Salutis ſimulacrum in Numiſmatibus rarum non eſt, ſed eſt eô habitu, quô hîc, Onychi inciſum, ob oculos ponitur. Vix unum hactenus Numiſma ſerpentem ſtolæ circumvolutum, exhibuit, idq; ſub Marco Aurelio apud Triſtanum Tom. I. pag. 628. & Oiſelium Tab. LXXX. ubi tamen eô differt, quòd menſæ inſiſtat, & dextrâ haſtile teneat, quod in noſtro ſecus eſt. Salutis veneratio magna fuit, tàm apud Græcos quàm apud Romanos: Hinc crebræ illæ Inſcriptiones: SALUTI PERPETUÆ, SALUTI PUBLICÆ, SALUTI SANCTÆ, ÆSCULAPIO ET SALUTI, ÆSCULAPIO ET HYGIÆ, apud Gruterum & Reyneſium; Ut taceam JOVEM SALUTAREM, MATREM DEUM SALUTAREM, JUNONEM item SOSPITAM, MINERVAM PÆONIAM, VENEREM PANACEAM, qualiter vel in Inſcriptionibus, vel apud Authores dicuntur, aperto teſtimonio, Gentiles non tantùm Saluti Deæ ſalutem ſuam credidiſſe, ſed & aliis acceptam tuliſſe, unde &

ÆSCULAPIUS SOLI ET LUNÆ Sacrificans.



Quid narras? inquit ARCHÆOPHILUS. Æſculapium Apollinis ſive Solis filium, Soli & Lunæ ſacrificantem?

Ita eſt, reſpondit DULODORUS. Æſculapium prodit Serpens bacillo implexus, de quo modo audivimus: Sacrificantem & Patera evincit, quam dextrâ prætendit, & Ara, quæ ad pedes viſitur: Sacrificantem Soli & Lunæ, demonſtrant expreſſa hinc inde utriusque ſimulacra. Nihil mireris, ARCHÆOPHILE. Ut hic Patri ſacrificat, ita Jupiter ſacrificaverat Avo, cùm adverſus Titanas proficiſceretur, uti videre eſt apud Arnobium lib. I. c. II. de falſa religione: Et cui potius ſacrificaret Æſculapius Medicinæ Deus, quàm Soli & Lunæ, à quibus materiæ medicæ deſcendit & vigor & incrementum?

At non Solem hîc video, ſed ſtellam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Leve hoc eſt, reſpondit DULODORUS. Stellæ figurâ Sol innumeris in monumentis proſtat.

At quæſo, inquit ARCHÆOPHILUS, edoceas me, quid ſub Æſculapio Veteres intellexerint? Neque enim comprehendere poſſum, quî Senex barbatus, imberbis Apollinis, ſive Solis filius dicatur?

Rem accipe ex Pauſania, reſpondit DULODORUS, In Achaicis: Ἐν τούτῳ τῷ Ασκληπιοῦ τῷ ἱερῷ ἐς ἀντιλογίαν ἀφίκετο ἀνήρ μοι Σιδόνιος, ὃς ἐγνωκέναι τὰ ἐς τὸ θεῖον ἔφασκε Φοίνικας καὶ τὰ τὲ ἄλλα Ἑλλήνων βέλτιον, καὶ δὴ καὶ Ἀσκληπιῷ πατέρα μὲν σφᾶς Απόλλωνα σπιφημίζειν, θνητὴν δὲ γυναῖκα ὐδεμίαν μητέρα. Ασκληπιὸν μὲν γὰρ ἀέρα γένει τὲ ἀνθρώπων εἶναι καὶ πᾶσιν ὁμοίως ζώοις, ἐπιτήδειον, πρὸς ὑγίειαν. Ἀπόλλωνα δὲ ἥλιον, καὶ αὐτὸν ὀρθότατα Ἀσκληπιῷ πατέρα ἐπονομάζεσθαι, ὅτι ἐς τὸ ἁρμόζον ταῖς ὥραις ποιούμενος ὁ ἥλιος τὸν δρόμον, μεταδίδωσι τῷ ἀέρι ὑγιείας. Ἐγὼ δὲ ἀποδέχεσθαι μὲν τὰ εἰρημένα, ὐδὲν δὲ τι Φοινίκων μᾶλλον ἢ καὶ Ἑλλήνων εἶναι τὸν λόγον ἔφην. ἐπεὶ καὶ ἐν Τιτᾶνι τῆς Σικυωνίων τὸ αὐτὸ ἄγαλμα Ὑγείας τὲ ὀνομάζεσθαι. καὶ παιδὶ εἶναι δῆλα, ὡς τὸν ἡλιακὸν δρόμον ἐπὶ γῆς ὑγείαν ποιοῦντα ἀνθρώποις. *In hoc Æſculapii templo altercatio mihi fuit cum Sidonio homine, qui & rerum omnium divinarum peritiores eſſe Phœnicas, quàm Græcos, contendebat: Tum verò & inter ipſos, ajebat, Æſculapii Patrem Apollinem celebrari, matrem ei verò mortalem fuiſſe negabat. Æſculapium enim aliud nihil, quàm aërem eſſe, ex quo bona valetudo, (quam Græci ὑγίειαν appellant) tam homini quam cunctis aliis animalibus exiſteret. Apollinem, qui Sol ipſe eſt, jure patrem Æſculapii perhiberi, quòd anniverſarias viciſſitudines curſu conficiens ſuo, aëri ſalubritatem impertiat. Hæc ego illi facilè aſſentiebar, ſed non eſſe magis Phœnicum, quàm Græcorum, eam opinionem oſtendebam; cùm Titane etiam (quod eſt Sycioniorum oppidum) Æſculapii ſignum ſalubritatis dicatur. Eſſe verò vel Puero manifeſtum ajebam, corporum in terra ſalubritatem, Solis curſu efficiſ.* Ex his patet, quid de Æſculapio ſenſerit Antiquitas, adeòque non amplius

plius miraberis ARCHÆOPHILE, quòd filius barbatus, Pater imberbis ſit; Quanquam imberbem Æſculapium exhibeat Laur. Pignorius, & Æſculapii Pueri, imò & imberbis, idem Pauſanias, illius in Arcadicis, hujus in Corinthiacis meminerit. Facilè videlicet intelliges, diverſum aëris habitum diverſis ſimulacris adumbrari, juvenili ſc. ſerenum, barbato autem nubilum & pluviis impletum, à quibus terreſtrium vigor, vitæque ſalubritas.

Si ita ſe res habet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS: Quidni Lunam Æſculapii matrem ſtatuam, uti Apollinem patrem? nam & hæc aëri ſalubritatem impertit. Si Veterum ſuffragium accederet, regeſſit DULODORUS, facilè ſuffragarer. Sed altum eſt ſilentium. Imò potiùs contrarium ſurgit; Æſculapii enim matrem, vulgò Coronida Nympham ſtatuunt, id quod videre eſt apud Diodorum, indèq; *Phœbo Nymphaque Coronide natum*, cecinit Ovidius I. Faſtor. Meſſenii Arſinoë Leucippi filiâ natum aſſeruere, uti Pauſanias teſtatur, in Meſſeniacis & Laconicis, quæ diverſitas facilè excuſari poteſt, cùm Cicero tres Æſculapios memoret. Quicquid ſit, Lunæ cum Æſculapio neceſſitatem ex eodem Pauſania adſtruxeris qualemcunque. Dianæ, quæ cum Luna eadem eſt, ut vulgò patet, templum Epidauri fuiſſe memorat, imò & alibi in templo Dianæ fuiſſe ſimulacrum Epionis, Æſculapii uxoris. Et quidni Per-Ill. SPANHEMII, ad me gratioſiſſima ſubnecto verba? Ad Lunam, inquit, unâ cum Sole ſignatam in Gemma, quæ Æſculapium exhibet, eximiè facit Procli locus, in Timæum lib. I. p. 49. &c. quod Opus Græcè tantùm hactenus proſtat, *διότι ὁ Ασκλεπιακὸς νοῦς ἐστὶ Σεληνιακὸς, ὥσπερ ὁ Απόλλων Ἡλιακὸς νοῦς.*

NEPTUNUS ATLANTICUS

Sequitur, celeri Equorum alatorum Biga provectus. Neptunum ex Tridente agnoſcimus, vulgato tertiæ ſortis ſceptro, de quo Orpheus in Hymno:

Χαλκοτόρευτον ἔχων χείρεσσι τρίαιναν.
Ferro tornatum tenens manibus tridentem.

Eô triplicem undarum ſubſtantiam præfiguratam volunt, aëream, aqueam, & igneam. Curru Neptunum per æquora vehi, Antiquorum ſuperſtitio credidit. Apollonius Argon. lib. IV. ℣. 1325.

— — Ἕυτ' ἂν δέ τοι Ἀμφιτρίτη
Ἅρμα ποσειδάωνος ἐύτροχον ἀὐτίκα λύσῃ.
— — *Quam nobilis Amphitrite,*
Neptuni celerem currum apto tempore ſolvet.

At alii, inquit ARCHÆOPHILUS, Delphino eum inſidere perhibent. Id tum fieri reſpondit DULODORUS, cûm celeritate opus eſt, innuit ipſe apud Lucianum in Dial. Deorum Marin. ubi ad Tritonem ζεῦξον τὸ ἅρμα, ἢ τοῦτο μὲν πολλὴν ἔχει τὴν διατριβὴν ὑπάγειν τοὺς ἵππους τῇ ζεύγλῃ, καὶ τὸ ἅρμα ἐπισκευάζειν; σὺ δὲ

Tripodis genus Poculum fuit, de quo Homerus: Septenos Tripodas, quos non admoverat igni. In his Tripodibus vinum miscebatur.

Quid hoc ad Apollinem? excepit ARCHÆOPHILUS. Multum, respondit DULODORUS; Ita enim pergit Athenæus: *Est TRIPOS hic VERITATIS congruus index, Apollini ob Oraculorum suorum certitudinem dicatus: Baccho verò, quia non mentiantur ebrii.* Cæterum Tripos non tantùm sumitur pro ea machina, quæ Delphis posita est, sed in genere pro loco vaticiniorum Apollinis, ut apud Philostratum in Vita Apollonii; Apollo enim non tantùm Delphis, sed & plurimis aliis in locis Tripodem habebat, imò nec unam tantùm illam specui impositam, sed plures, ad illius imaginem ei dedicatas, qualis & esse potest, qui columnæ insistit, quod vel inde colligas, quòd Pausanias memorat, inter opera illustria, quæ Amyclis visebantur, fuisse & Ænetum Quinquertionem, & Tripodes æneos: Institisse autem Quinquertionem *Columnæ* Quicquid sit, Τρίποδα Apollinis μαντικὸν *divinatorium* appellat Himerius apud Photium: Et in Epigr. lib. V. Apollo ipse τριποδιλάλος dicitur, *ex tripode loquens.* Quòd formosus hic & semper juvenis, & Deus & Vates, tripode positô vaticinia reddiderit, eâque famâ, ut Himerius Author est, omnes Gentes, omnesque Urbes ad se attraxerit.

Adeòne Apollo futurorum præscius fuit? subjecit ARCHÆOPHILUS. Unde artem didicerit? Quâ ratione Tripodem construxerit? Ridiculæ hæ quæstiones, respondit DULODORUS, de Deo viderentur, nisi magis ridenda solutio foret, quam Antiqui suppeditant. Apud Homerum in Hymno Merc. ℣. 533. Apollo ipse, juravi inquit:

Μὴ τινὰ νόσφιν ἐμοῖο θεῶν αἰειγενετάων
Ἀλλὸν γ' εἴσεσθαι Ζηνὸς πυκινόφρονα βουλήν.
Non aliquem, præter me, Deorum immortalium
Alium, scire Jovis sapiens consilium.

En solum se dicit Jovis consilium scire, & tamen hic idem apud Athenæum vaticinandi artem à Glauco memoratur didicisse. Quod ad constructionem Tripodis attinet, Alii ternarii numeri perfectionem, ejus causam exstitisse tradunt: Alii tres Cœli circulos, quos Sol annuô cursu vel secat, vel attingit: Alii notam Apollini temporum diversitatem, præteriti scil., præsentis, & futuri; Sed ad Tripodem satis diu hæsimus. Etiam in Lauri ramo est, quod cum voluptate recorderis; Præter enim, quòd Daphnes metamorphosis in vulgus innotuerit, Nicander in Alexipharm. ℣. 200. Apollinem primum Lauro coronatum ait. Diodorus Siculus eundem εὑρητὴν τοῦ φυτοῦ τῆς Δάφνης, *inventorem Lauri* appellat, additque, eam frondem huic Deo omnes consecrare. Exemplum exhibet Virgilius, in Ecl. III.

— — *Phœbo sua semper apud me*
Munera sunt LAURI.

Et procul dubio innotuêre Daphnephorica, quibus Lauros, nonô quoque annô, ad Apollinis sacra sacerdotes intulisse memorantur. Occasio ritûs est apud Photium ex Proclo.

Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, eòque lubentiùs subsisto, quò clariùs inde discimus, non tantùm factum, quò tam Pelasgi, quàm Thebani Lauros Phœbo intulerunt, sed insuper ipsius Dei mandatum morem invexisse, quanquam & juxtà exquirere libeat, annon & aliæ consecrationis causæ sint?

Sunt, inquit DULODORVS, & quidem præter hactenus allatas. Eusebius de Præparat. Evang. pag. 112. Author est, Laurum ideò Apollini sacram esse, partim, quòd igne abundet, eòque Dæmonibus infesta sit; partim, quòd dum uritur,

vocalis

vocalis ſit, eôque futura prædicendi vim habere credatur. Vulgatum eſt, vaticinantes Laurum veſci ſuevisſe, vulgatum, Lauri motum propitium Deum, reſponſique facilitatem portendiſſe: Nec mos in obſcuro eſt, quò ſomniorum hilaritatem captantes, Laurum capiti ſubtraviſſe legumtur.

At Plinius, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ideò Laurum Apollini gratam dixit, quòd ſpectatiſſima Parnaſſo fuerit, & quale eſt, quod in Numiſmatibus Galli & Valeriani, Apollo Lauri ramum præferens, vel *Salutaris* inſcribitur, vel *Conſervator*? An inde non conjiciam, Laurum non tam vaticinia indigitare, quam Artem medicam? de qua ipſe apud Naſonem:

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per Orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Non improbo aſſertum, inquit DULODORUS, quanquam ne vaticiniorum juxta obliviſcar, omninò me moneat

PHOEBAS.



CAutè de hac Gemma ſentire videris, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; An autem clarè rem explicaturus ſis, neſcio. Apollinem ea exprimit, Aræ inſidentem, eique adſtantem fœminam, cum bacillo. Fœminam cum bacillo, quidni Muſam interpreteris? Quidni Delphuſam Nympham, cum quâ Apollo colloquitur, apud Homerum in Hymno? Quidni Cyrenen aut Daphnen, quas amâſſe legitur? Aut, ſi omninò Phœbadum aliquam arbitreris, quidni ipſam Pythiam definias, quæ Delphico Oraculo præfuit?

Addere poſſes & Sibyllas, reſpondit DULODORUS, & quascunque Fatidicas Mulieres Antiquitas celebrat, quarumque Catalogum & Hiſtoriam dedit, de Deliciis noſtris meritiſſimus Boiſſardus, in Tractatu de Divinatione. Sed ut verum fatear, hæc ipſa copia me facit inopem. Quam ex tanto numero ſeligam, non habeo; Neque enim ullum alicujus Muſæ video, vel Nymphæ inſigne. Fœmina quieta Phœbo ſedenti, & neſcio quid meditanti, adſtat.

Hoc ipſum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, cur Muſam potiùs arbitrer. Cithara enim muſicum Phœbi inſtrumentum eſt, & adſtans fœmina inclinatô ad Phœbum corpore, quid agere videatur, ſi non meditationes ejus excipere? Idque ſecundum illud Virgilii:

Mentis Apollineæ vis has movet undiquc Muſas.

Si ita placet, reſpondit DULODORUS, non refragabor, quanquam, ut dixi, nullum omninò hic Muſæ inſigne appareat; Cithara rem indubie ad Heliconem non deducit, conſtat enim ex Pauſania, Vaticinatrices Delphicas Oracula ſua verſibus decantâſſe, ad quam rem indicandam, ſimulacrum Apollinis, in Templo Delphico, non fatidicam Laurum, ſed Citharam prætulit, id quod

apud Licetum videre eſt, in Gemmis Annularibus pag. 185 Inclinatio fœminæ hujus ad Apollinem, & ipſius Apollinis meditabunda depreſſio, non tàm ad Muſas, quàm ad Phœbades aut Sibyllas pertinere videtur. Licet enim mentis Apollineæ vis, ut Poëta canit, Muſas moveat, non tamen id ſemper, ſed ubi Apollo Muſis præſidet: Non neceſſariò, cùm ex Gentilium hypotheſi, Muſæ Deæ utique non alienâ, ſed inditâ ſibi divinitate artes coluerint, mortalibusque in iis colendis ſuccurrerint. Hinc Muſas invocare ſolent Poëtæ, non Apollinem, niſi rarò. Secus in vaticiniis; Hîc non Phœbades invocantur, ſed Apollo. Non Phœbades aut Sibyllæ Oracula pandunt, niſi acceptô Phœbei Numinis afflatu:

Plena Phœbo Phœmonoë.

Apud Lucanum lib. V. memoratur: Et apud Virgilium Æn. VI.

— — *Pius Æneas arces, quibus altus Apollo*
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane petit, magnam cui mentem, animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.

Quid multa? Etiam baculus, quem manu profert, Phœbadem demonſtrat, modò verum ſit quod Celeb. Spon. Miſc. p. 120. aſſerit. *Magos BACULIS uſos, & hîc Tripodas percutere, moris fuiſſe.*

Ignoſce DULODORE, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſi nondum acquieſcam. De Pythia memini, eam Tripodi inſidentem Phœbœos Spiritus excepiſſe: Et de reliquis conſtat, eos furore correptos futura ceciniſſe. Neutrum autem in Gemma vel minimô ductu adumbratur.

Benè mones ARCHÆOPHILE, reſpondit DULODORUS, hæc enim eſt cauſa, cur Pythiam aſſerere non fuerim auſus. Lucanus locô allegatô:

— — *Conterrita Virgo*
Confugit ad Tripodas, vaſtisque adducta cavernis
Hæſit, & inſuetô concepit pectore Numen.

Sed hoc apud Phœbades aut Sibyllas perpetuum non fuit. Apud Virgilium vix adhuc

Ventum erat ad limen, cum Virgo poſcere fata
Tempus ait: Deus, ecce Deus!

In his Tripodis nulla eſt mentio. Nil niſi Deum Sibylla ſpirat, eumque jam ante templum ſentit. Quid inde?

— — — *Talia fanti*
Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,
Non comptæ manſére comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine quando
Jam propiore Dei.

En! Vultus & Comæ mutantur, rabieque fera Corda tument; Sed tunc demum, quum Deum jam ſentiret! Quis ex his non colligat, antea comas comtas vultumque quietum fuiſſe, qualiter & in noſtra Gemmâ? Artificemque eum Phœbados habitum expreſſiſſe, quo Phœbum recens acceſſerat: Non eum, quo Phœbo jam plena furebat. Forſitan arbitraberis, furori proximam eſſe, quòd obtortô pectore Phœbum haurire videatur. Sed id mihi favebit, facillimè ceſſuro, ſi quis certiùs quid docere potuerit. Gemma ſanè elegantiſſima eſt, nec Phœbas tantùm in ea conſideranda, ſed etiam Apollinis ſimulacrum. Non aræ adſtat, ut alibi ſolet; ſed aræ inſidet. Ara non nuda eſt, ſed ornamentis viſitur cincta, id quod fieri antiquitùs ſolitum, diverſis Authorum ſuffragiis conſtat.

ſtat. Aras *coronatas*, docet Propertius lib. III. El. 9. *Florentibus coronis vinctas*, Ovidius III. faſt. *Floribus redimitas*, Apulejus in Floridis: *Frondentes*, Valerius Flaccus, lib. III. *Verbenis vinctas*, Horatius lib. IV. Od. 11.

Molli cinge hæc altaria vittâ,

inquit Virgilius, Ecl. VIII. Et alibi:

Thure calent Aræ, ſertisque recentibus halant.

De Aris, inquit ARCHÆOPHILUS, res nota eſt, ſed Aræ inſidentem Deum, nullibi me vidiſſe memini. Cl. Vaillantii Colonias adi, reſpondit DULODORUS. Offendes Apollinem in Trojanorum Numiſmatibus, Cippo inſiſtentem, quem veriùs Aram dixeris; Offendes Mercurium in Nummis Patrenſium & Corinthiorum, in Templo, ſimili Cippo inſidentem. Et quid? An Diis id inſolitum fuerit, cùm non fuerit hominibus? Equitem Aræ, frugibus, arietumq; capitibus ornatæ, inſiſtentem, ex ædibus Cardinalis Farneſii, protulit Stephanus du Perac. Et quale eſt, quod in priore ſequentium exhibet,

NEMESIS A JOVE COMPRESSA?



NOnne & hîc Ara viſitur? Viſitur, ait ARCHÆOPHILUS, & quidem & ipſi Coronata, adeò ut nunc dubitare deſinam. At Ego, ſubjecit DULODORUS, liberam Tibi poteſtatem relinquo, Aras in his velis agnoſcere, an Cippos? ſanè ſi formam reſpicias, Aras arbitraberis: ſi uſum, Cippos. Nihil enim aliud præſtant, quàm baſin Statuis: Et credibile eſt, tàm Apollinem, quàm Nemeſin, talibus Cippis inſidentes antiquitùs fuiſſe conſecratos.

De Nemeſi quod ais, interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS, non intelligo. Hactenus ſanè Ledam à Jove Cygno compreſſam arbitratus ſum, nec id futili Authore. Audi Helenam apud Euripidem:

— — Ἐστὶ δὲ δὴ
Λόγος τις, ὡς Ζεὺς μητρὶ' ἔπτατ' ἐους ἐμὴν
Λήδαν κύκνου μορφώματ' ὄρνιθος λαβών
Ὡς δόλιον ἐννὴν ἐξέπραξ' ὑπ' ἀετοῦ,
Δίωγμα φεύγων.

— — *Eſt*
Fama quædam, quòd Jupiter volaverit in meam matrem
LEDAM, aſſumtâ formâ Cygni avis,
Qui effecit doloſum concubitum, ab Aquilæ
Perſecutione fugiens.

Eundem in ſenſum etiam, apud Ovidium, Arachne:

Fecit olorinis LEDAM recubare ſub alis.

Adſtipulatur Hyginus Fab. 77. *Jupiter LEDAM*, inquit, *Theſtii filiam, in Cygnum*

gnum conversus, ad flumen Eurotam compressit. Et quid multa? Res adeò nota est, ut ne vulgus quidem lateat.

Fateor, inquit DULODORUS, ideò autem non eò certior. Ipsa Helena, cùm superiora memorasset, Cautè:

— — Εἰ σαφὴς ὅυτος λόγος.

— — *Si vera est ista fama.*

Inquit, adeòque jam tunc dubitavit. Mihi, ut Nemesin potiùs definirem, quàm Ledam, Callimachus & Pausanias suasêre: Ille in Hymno in Dian. ℣. 232. ubi Helena, Ῥαμνόυσις dicta est, ἀμφ' Ἑλένῃ Ῥαμνόυσιδι. Prout alibi *Helena Adrastea*, id quod in Observationibus ad Callimachum, quæ sub prælo sunt, obsolutissimis, Per-Ill. SPANHEMIUS tangit: Pausanias rem apertiùs in Atticis: Ἑλένῃ Νέμεσιν μητέρα εἶναι λέγουσιν Ἕλληνες, λήδαν δὲ μαστὸν ἐπισχεῖν αὐτῇ καὶ θρέψαι, πατέρα δὲ καὶ ὅυτοι καὶ πάντες κατὰ ταυτὰ Ἑλένης, Δία, καὶ ὀυ τυνδάρεων εἶναι νομίζουσι. Ταῦτα ἀκηκοὼς Φειδίας πεποίηται Ἑλένην ὑπὸ λήδας ἀγομένην παρὰ τὴν Νέμεσιν. *Helenæ Matrem fuisse NEMESIN, Græci dicunt, Ledam verò nutricem; Nam Patrem omnes Jovem, non Tyndarum perhibent: Quæ cum Phidias nôsset, Ledam eâ specie fecit, ut Helenam ad Nemesin adducere videatur.*

Ex his verbis, regessit ARCHÆOPHILUS, Helenam quidem, Nemesis filiam eviceris, Jovem autem Cygni formâ cum Nemesi concubuisse, non eviceris. Omninò, respondit DULODORUS, cùm constet, ex eo concubitu Helenam natam esse. Propiùs intuére Hyginum, quem modò in contrarium attulisti. Disces opinionis meæ firmitatem. *Jupiter*, inquit lib. II. Poët. Astron. *cùm amore inductus, NEMESIN diligere cœpisset, neque ea, ut secum cubaret, impetrare potuisset, hâc cogitatione amore est liberatus. Jubet enim Venerem, aquilæ adsimulatam, se sequi, ipsè in olorem conversus, ut aquilam fugiens, ad NEMESIN fugit, & in ejus gremio se collocavit. Quem NEMESIS non aspernata, amplexum tenens, somnô est consopita, quam dormientem Jupiter compressit; Ipse autem avolavit.*

Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, tàm diversas sententias potuisse invalescere. Neutiquam, respondit DULODORUS, id enim, quomodo factum sit, ex sequentibus discas: *Nemesis*, inquit, *Mensibus actis, ovum procreavit, quod Mercurius auferens, detulit Spartam, & Ledæ sedenti projecit in grenium: Ex quo nascitur Helena, cæteris corporis specie præstans, quam Leda suam filiam nominavit.*

At nisi fallor, iteravit ARCHÆOPHILUS, non unum sed duo ova, ex iisque non tantùm Helenam, sed & Clytemnestram & Dioscuros prognatos quidam tradidêre.

Adeò intricata sunt Authorum de his Commenta, respondit DULODORUS, ut quid credendum sit, vix invenias Idem Hyginus aliô locô Helenam nec Nemesi, nec Ledâ, sed Pyrrhe Pimeti filiâ natam asserit: Et Fab. 77. Ledam ex Jove Helenæ & Pollucis, ex Tyndaro Castoris & Clytemnestræ matrem facit. Fab. sequente rem iterum confundit: Non Clytemnestram tantùm, sed etiam Helenam ex Tyndareo conceptam afferens, uti Fab. 155. Castorem & Pollucem ex Jove. Sed hæc ad Gemmam nostram nihil facientia, potiore jure sibi vendicant

DIOSCU-

DIOSCURI,



Dioſcurorum ſimulacra, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, novi nihil ſunt. Cordius & Servius jugata eorum capita expreſſerunt: Eosdem Equeſtri impetu in hoſtem tendentes, centena Romanorum Numiſmata exhibent: Pedeſtri ſchemate juxta equos ſtantes, L. Memmius ſignavit, & absque equis, cum haſtis, idem Servius expreſſit.

Fateor, inquit DULODORUS, Servii Dioſcuros cum propoſitis in plurimis convenire, utrique enim Galeati, cœterà autem nudi ſunt: Utriq; ſtellis inſignes, quanquam Sculptor Illuſt. Patini Stellas omiſerit: utrique ſe invicem reſpiciunt, utrique haſtis armati viſuntur. Hæc autem raritati Gemmæ propoſitæ nihil detrahunt. Differunt enim non eô tantùm, quod haſtis innitantur Dioſcuri, cùm in Numiſmate Servii eas decuſſatim componant; Sed etiam Chlamyde ab humeris dependente, & quod rei caput eſt, Gladiolô, quem parazonii inſtar, uterque geſtat.

Chlamyde inſignes Dioſcuri, paſſim viſuntur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed de Gladio nihil me legiſſe memini, nihil de Galea; Gratum igitur feceris, ſi me rationes edoceas.

Habitum Dioſcurorum, inquit DULODORUS, ex antiquo Laconum agnoſces. Gladius, Haſta, & Galea, usque adeò eorum propria fuére, ut & Plinius Lacedæmoniorum inventa hæc eſſe, non dubitaverit affirmare. Haſtam juſtæ longitudinis fuiſſe, qualiter & hîc cernitur, ex reſponſis Ageſilai & Archidami intelligas, quorum ille interrogatus, quousque fines Laconicæ pertingerent? Haſtam vibrans, quousque hæc pervenerit, inquit: Hic rogatus, quantum Regionis Spartani poſſiderent, Quousque Haſtâ, inquit, pertingimus. Plutarchus in Apophthegm. rei Author eſt. De Galea non alium citavero teſtem, ac Apulejum, qui lib. X. Metamorph. *Caſtor & Pollux*, inquit *quorum capita Caſſides æratæ, ſtellarum apicibus inſignes, contegebant.* Sed memini de Gladio præcipuum dubium eſſe. Gladium Laconicum ξυίνην λακωνικὴν, inter alia armorum genera, recenſet Julius Pollux, lib. I. cap. 10. n. 6. Xenophon ξυήλην appellat, uti videre eſt apud Suidam in voce ξυήλη.

De Gladio, inquit ARCHÆOPHILUS, neſcio an adhuc aſſentiri poſſim, brevior enim eſt, quàm ut talis credi poſſit, niſi fortè Parazonii inſtar fuiſſe arbitreris, eôdem enim modô viſitur, eôdem modô geſtatur, quô & Parazonium apud Romanos.

Non abs re hoc mones, reſpondit DULODORUS, breves enim fuiſſe Laconicos Gladios, ex Plutarcho diſcimus: In Lycurgo, cùm Athenienſis quidam Laconicorum Gladiorum brevitatem, (τὰς λακωνικὰς μάχαιρας εἰς τὰ μικρότητα) derideret, Rex Agis: *Atqui* inquit, *biſce nos gladiolis benè attingimus boſtes.* In Dione ξυφίδιον, *Gladius*, quo & Dio, & Dionis interfector Callipus periit, βραχὺ, *brevis* dicitur, ὥσπερ τὰ λακωνικὰ, *ſicut Laconici.* In Apophthegm. Laconicis.

Antal-

Antalcidas, quærenti, cur in bello ἐγχειριδίοις βραχέσι, *gladiis brevioribus* uterentur? Causam reddidit, quòd cominùs in hostes pugnarent. Et Agis junior, Demade dicente, præstigiatores Gladios Laconicos, τὰ λακωνικὰ ξύφη, ob *parvitatem*, διὰ μικρότητα, deglutire; Atqui, inquit, Gladiis nos potissimùm hostem impetimus. Ex quibus omnibus, utique clarum est, parvitatem non obstare, imò potius asserto suffragari.

DIANA ARICINA, SEU NEMORENSIS,

Nos vocat. Dianam non tantùm appositum nomen prodit, sed & habitus. Lunulam vides fronti præfixam: Vides Canem & Arcum, quorum illum dextrâ, hunc autem sinistrâ præfert: Vides & Pharetram sinistro humero eminentem.

Video hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque Dianam Venatricem potiùs appellarem; Sed non placet Dianam fodere. Inter Antiquitatis reliquias talem vix inveneris. Suidas in voce ἡ περγαία Ἄρτεμις, ἡ Θεὸς αὕτη νομίζεται ἀγορτεύειν ἀεὶ καὶ πλανᾶσθαι. *Hæc Dea putatur circuire semper, & vagari*; Hinc nota illa Epitheta ἐλαφοβόλος, *cervos persequens*, κυνηγέτις *Canum actrix*, θηρήτειρα *ferarum insectatrix*.

Quid inde? respondit DULODORUS. Nonne hoc ipsum raritatem Gemmæ nostræ insigniter auget? Venatricem Dianam non nego, Canis enim ex venaticorum genere, quales Dianæ jungi solere, ex Pausania constat; Imò & Arcus, & Pharetra, id abunde testantur. Id autem probè tenendum, non in ipso venationis actu, sed à venationibus quiescentem hîc præfigurari, id quod & ratio est, cur vestis fluxa dependeat, cùm alioquin, secundum Claudianum, *gemino cinctu* crispari soleret, qui habitus, ex communi nobiliorum Antiquitatum acervo, imò etiam ex Minutio Felice constat, cui in Octavio, Dea hæc *altè succincta venatrix* appellatur. Quiescit Diana, non in templo, sed sub arbore, id quod probè observandum; Eò enim non tantùm Studiorum locus, lustra, sylvæ, nemora, quibus Diana delectari solet: Non tantùm Lucorum consecratio, de qua Luctat. Placid. in illud Statii lib. IV. Theb. ℣. 425.

Nec caret umbra Deo. Nemori Latonia cultrix
Additur, — —

Sed omninò singulare quid indigitatur.

Duplex mihi conjectura sedit, excepit ARCHÆOPHILUS, utrâque ex Pausania depromtâ, quarum si alterutram admittas, habebo quod mihi gratuler. In Arcadicis refert, apud Orchomenios in Suburbanis fuisse ξόανον Ἀρτέμιδος ἐν κέδρῳ

κέδρῳ μεγάλῃ, *effigiem Dianæ in Cedro magna*, indèque Deam *Cedreatin* appellatam eſſe. Quid ais DULODORE? annon locus ad Gemmam quadrat? Non videtur, reſpondit ille; Non enim hîc *in*, ſed *ſub* arbore Diana ſedet: Ut taceam Cedrum, quæ alìò planè, & ramorum, & foliorum, luxuriat habitu, & non obſcurè à propoſita arbore diſcrepat.

Alter locus fortaſsè convenientior erit, perrexit ARCHÆOPHILUS. In Laconicis memoratur: Bœum, unum de Herculis filiis, è tribus Civitatibus, Etiade, Aphrodiſiade, & Sida, coloniâ deductâ, cùm quæreret, ubi cum ſociis conſiſteret, reſponſum accepiſſe: Dianam, quô locô Urbem conderet, monſtraturam. Exſcenſione igitur factâ, Leporem ſe oſtendiſſe, quem ſecutum, tanquam viæ ducem, cùm ille ad *Myrtum* ſe recepiſſet, oppidum ibi muniviſſe, ſtirpemque eam coluiſſe, & Dianam ſimul Servatricem celebrâſſe. Hoc in exemplo *Diana* & *Myrtus* ſe nobis exhibent: Myrtus, quæ & foliorum tenuitate ab arbore propoſita nihil differt.

Si probè examines, inquit DULODORUS, deprehendes, nec convenire; Sed quid inde rationem ſumo? Utique Dianæ, ſub Myrto ſedentis, Pauſanias non meminit, & quò minus ad Græciam reſpicias, ſubſcriptum nomen facit, quod non Græcum, ſed Latinum eſt. Mihi omninò ad *Dianam Aricinam*, aut *Nemorenſem*, hæc pertinere perſuaſum eſt, nec opinor, ſi rationes audieris, conjecturæ calculum Te negaturum.

Aurem do, reſpondit ARCHÆOPHILUS, & ſi rem ritè deduxeris, dabo & aſſenſum. Tria loca, perrexit DULODORUS, rem opinor in aprico ponent. Primum ſuggerit Joh. Brodæus in Anthologiam, ex Scholiaſte Pindari: *Creditum ab antiquis*, inquit, *Dianam Idibus Auguſti venatu abſtinere, ideoque nec venari tunc ceſſante Deâ licuiſſe, ſed coronari conſuetos canes, facesque accendi ſpicatas, juxtaque ſuſpendi, quicquid erat venatoriorum inſtrumentorum.* De facibus & inſtrumentis etiam Gratianus, in Cynegetico ſuo, Sacro Nemorali id fieri aſſerens:

Spicatasque faces ſacrum ad nemorale Dianæ
Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore,
Ipſaque per flores, medio in diſcrimine luci,
Stravêre arma ſacris.

Et apertiùs Papinius. lib. III. Sylva. I. ℣. 54.

Jamque dies aderat profugis cum regibus aptum,
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ,
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus, ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras, omisque pudicis
Itala terra focis, Hecateias excolit Idas.

Ex his utique indubiè docemur, Dianam Idibus Auguſti, quod hîc facit, à Venationibus quieviſſe: Docemur, ſimulacrum in nemore fuiſſe, quod hic ſub arbore adumbratum eſt: Docemur, canes emeritos ab ipſa Diana coronatos, cujus rei blanditiæ teſtes eſſe poſſunt, quibus Diana Canem ſedentem in Gemma demulcet: Ut taceam arma, quæ & ipſa ſiniſtrâ deponit.

Sed faces non video, excepit ARCHÆOPHILUS. Facibus hîc opus non eſt, reſpondit DULODORUS, neque enim heic ſolenne ſacrum, quo Diana colebatur, ſed Dianæ quieſcentis ſimulacrum exhibetur.

Nihil habeo, quod ultra opponam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Gratum igitur feceris, ſi de Diana Nemorenſi vel Aricina plenius me docere libeat. Id agam, inquit DULODORUS, & quidem paucis. Aricia oppidum Latii

fuit, ab Urbe CXX. ſi Dionyſium audis, ſecundum Strabonem autem CLX. ſtadia diſtans. Sita erat juxta Albam, ut Servius notat, ad Æn. lib. VII. v. 763. habebatque nemus tantæ jucunditatis, ut non tantùm Vitellius Imperator in eô libenter verſaretur, uti notat Tacitus Hiſt. lib. III. c. 36. ſed & ipſa Urbs Martiali lib. XIII. Epigr. 19. & Ovidio Faſtor. VI. *Nemoralis* ab eo vocaretur. Hoc nemus, Pauſania teſte, Dianæ fertur conſecrâſſe Hippolytus, ab Æſculapio vitæ reſtitutus, eratque mos, ut ſacerdotio ſervi tantùm fugitivi potirentur, & inter hos is, qui prior certamine ſuperâſſet, *Rex Nemorenſis* dictus, prout & *Templum Dianæ Nemorale*, Ovidio in Arte, quo, ut ſupra audivimus Idibus Auguſti, cùm Diana à Venationibus quieſceret, facibus accenſis fœminæ ab Urbe currebant. Graphicè Propertius:

Cùm videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ Lumina ferre Deæ.

Sed ex nemore in hortos deſcendimus. Hîc pleno ſinu nobis obviam graditur

POMONA.



DEam vides, cujus procul dubio fabula Tibi innotuit. Hortos fingitur coluiſſe, maritalis thalami neſcia. Ambibant eam non pauca Ruris Numina, ſed Deorum nullus vel ardentiùs vel feliciùs amorem perſecutus eſt, quàm Vertumnus. Is varias cùm aſſumſiſſet formas, tandem in vetulam mutatus, pudicitiam, ſi non fregit, tamen concuſſit, indeque, quod vetula non potuit, in juvenem reformatus effecit, votisque ſuis potitus eſt, uti latius apud Ovidium Met. lib. XIV. decantatur.

De Pomona loqueris, inquit ARCHÆOPHILUS, ac ſi Pomonam hanc jam demonſtrâſſes. Si Tibi res fixa eſt, quidni rationem edis? Neque enim vel pulchritudo rem conficit, quam non vulgarem video, vel fluida veſtis, aut velum, quæ ventis ludibrio ſunt. Hæc Nympham quidem, non autem Pomonam arguunt.

Pomo-

Pomonam, inquit DULODORUS, arguunt Poma, quæ velum in ſinum collectum implent. Ad oculum ea patent, ſimulque aperiunt, & Nominis rationem, & Deæ ſtudium. Utrumque ex Ovidio firmatur dicto loco:

Rege ſub hoc POMONA fuit, quæ nulla Latinas
Inter Hamadriades, coluit ſolertius hortos,
Nec fuit Arborei ſtudioſior altera fœtûs,
Unde tenet nomen. Non ſylvas illa, nec amnes:
Rus amat, & ramos felicia POMA ferentes.

Rege ſub hoc, inquit, indigitatque *Procam*, quem præcedenti verſu nominaverat.

Ergo Latinum nomen *Pomona* fuit? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi Tuſcum credebatur, eademque cum Dea *Horchia*, quam in Etruria cultam, *Livius* narrat. *Norciam*, reſpondit DULODORUS, ita enim legendum eſſe, non *Horchiam*, ex Lil. Gyraldo conſtat, Arameè per interpretationem idem eſſe, quod *Pomona* latinè, Samuelis Talmudiſtæ authoritate, in Vertumnianum Propertii Annius docet, Alii autem Norciam, non Pomonam, ſed Fortunam arbitrantur.

Atqui, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi rectè memini, Interpretes Juvenalis nusquam ſe legiſſe dicunt, Norciam accipi pro Fortuna. Ita eſt, inquit DULODORUS, ſed Beroaldus contrarium oſtendit, producto Martiano Capella in libro de Nuptiis Philologiæ. En verba! *Omnium garrula puellarum, & contrario ſemper fluibunda luxu, levitate pernix deſultoriâ geſtiebat: Quam alii Sortem aſſerunt, Tychemque complures, aut Norciam.* Sed hæc utcunque ſe habeant, ad rem vel nihil faciunt, vel parum. *Pomonam* Romæ cultam ſufficit. *Pomonal* fuiſſe in agro Solonio, viâ Oſtienſi, ad duodecimum lapidem, diverticulo à Millenario octavo, Feſtus Author eſt. *Flaminis Pomonalis* meminit Varro, qui & obſcuram ejus originem teſtatur, Pomonamque *Pomorum Patronam* vocat

SALUS



Succedit. Salutis ſimulacrum in Numiſmatibus rarum non eſt, ſed eſt eô habitu, quô hîc, Onychi inciſum, ob oculos ponitur. Vix unum hactenus Numiſma ſerpentem ſtolæ circumvolutum, exhibuit, idq; ſub Marco Aurelio apud Triſtanum Tom. I. pag. 628. & Oiſelium Tab. LXXX. ubi tamen eô differt, quòd menſæ inſiſtat, & dextrâ haſtile teneat, quod in noſtro ſecus eſt. Salutis veneratio magna fuit, tàm apud Græcos quàm apud Romanos: Hinc crebræ illæ Inſcriptiones: SALUTI PERPETUÆ, SALUTI PUBLICÆ, SALUTI SANCTÆ, ÆSCULAPIO ET SALUTI, ÆSCULAPIO ET HYGIÆ, apud Gruterum & Reyneſium; Ut taceam JOVEM SALUTAREM, MATREM DEUM SALUTAREM, JUNONEM item SOSPITAM, MINERVAM PÆONIAM, VENEREM PANACEAM, qualiter vel in Inſcriptionibus, vel apud Authores dicuntur, aperto teſtimonio, Gentiles non tantùm Saluti Deæ ſalutem ſuam credidiſſe, ſed & aliis acceptam tuliſſe, unde &

Apulejus *Salutigeros Deos* memorat. Adeò cœcitas mentis, Veri Dei neſcia, in incerto pependit! Poſſem hìc Vicum Salutis, & Portam Salutarem apponere: Poſſem & Salutis Ædem à C. Junio Bubulco Cenſore locatam, quàm Conſul bello Samnitico voverat, & mox Dictator dedicavit, uti ex Livio diſcimus: Poſſem Salutis ſacrificium, quod trigeſimo die Martii fiebat, & de quo Ovidius in Faſtis:

Et Romana Salus, Araque Pacis erit.

Sed alia ſunt, rem propiùs tangentia. En ſtolam longam hujus Salutis! En ſerpentem! En vaſculum, ex quo ſerpentem hunc cibat!

Stola, reſpondit ARCHÆOPHILUS, in mentem mihi revocat antiquiſſimam Hygiæ apud Sicyoniam ſimulacrum, eodem ferè habitu cum Æſculapio ornatæ; Uti enim ille partes omnes, præter manus, faciem, & imos pedes, laneâ tunicâ albâ, & pallio velabatur; Ita hæc undique, partim comis, quas Deæ mulieres detonderant, partim vero Babylonicæ veſtis laciniis, tecta memoratur.

Babylonica veſtis, reſpondit DULODORUS, quin longa fuerit, dubitari non debet; Ex Juſtino enim docemur, Semiramidem crura velamentis texiſſe, moremque eum veſtis, inde Gentem univerſam tenuiſſe; Sed in Numiſmatibus & Gemmis, Stola Salutis non Babylonica eſt, ſed vel Græca, vel Romana, indigitatque ſalutis conſtantiam, non aliter ac ſtola Spei, ſpei moram, quam tamen ipſa, laciniam levando, tolerabiliorem videtur reddere.

Satisfacit ratio, inquit ARCHÆOPHILUS, ideòque ad ſerpentem tranſeo. Hic licet Saluti vulgò tribuatur, attamen non ingratum facies, ſi de eo mentem tuam mihi aperire dignaberis. In ſerpente, reſpondit DULODORUS, ſe ſiſtit primò Æſculapius, quem ſerpentis figurâ Epidauro advectum, hiſtoria Romana docet: Se ſiſtit ille, qui herbam ferens, alterum, ab Æſculapio interfectum, in vitam revocavit, quæ herba poſtea & Androgeo vitam reſtituit, & Æſculapio cauſa fuit, ut ſerpentem, artis ſuæ inſigne ſtatueret: Se ſiſtit & ſerpentis natura, qui exuto ſenio reviviſcere ſolet, adeòque commodè Salutis Genius creditus eſt, dignusque, quem vel ſacrificiis colerent, vel dapibus demererent, id quod ex Nummo maximo Nervæ apud Triſtanum T. I. pag. 221. cernimus, ubi ſerpens ſinuoſus, poma & fruges Aræ impoſitas depaſcitur, ut taceam communia Salutis ſimulacra, quæ ſerpentes ubique paſcunt: Taceam & Draconem Lanuvinum, de quo Propertius:

Lanuvium antiqui vetus eſt tutela Draconis,
Hìc, ubi Tartareæ non perit hora moræ:
Quà ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
Quà penetrat virgo, tale iter omne cave!
Jejuni ſerpentis honos cùm pabula poſcit
Annua, & ex imo Sibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
Cùm tenera anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas in virgine corripit eſcas,
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

Ad alia properabat DULODORUS, ſed ARCHÆOPHILUS, unicum, inquit, ſupereſt. De Vaſe adhuc dicendum; Neque enim Salus hæc Pateram tenet, qualem alibi ſolet, neque Caniſtrum, quale modo à Poëta audivimus. Mihi hæret aqua, & niſi Tu lucem affundas, vereor ut rem aſſequi poſſim.

Vaſculum, reſpondit DULODORUS, quod Salus noſtra præfert, eſt Meta-

Metaniptrum, de quo apud Athenæum Callias lib. II. δέξαι τὴν δὶ μεταινιπτρίδα τῆς ὑγιείας; *Accipe hanc Metaniptrida bonæ valetudinis:* Et Nicostratus, Μεταινιπτρίδα αὐτῷ τῆς ὑγιείας ἔγχεον *affunde illi bonæ valetudinis Metaniptrida.* Loca allegat nobilis Antiquarius Tristan, addito & Philetæro apud eundem, & Pollucе, qui nomen ipsius Deæ Vasi tribuit, lib. VI. cap. 16. Vasa sacrificiorum insignia solent esse, En!

SALUTIS SACRIFICIUM!



SAlutis hoc sacrificium esse, ex serpente constat. Serpentem Salutis Genium creditum, modo vidimus. Ad propositas Gemmas Arnobii adscribimus testimonium: *Æsculapius iste, quem prædicatis*, inquit, *Deus præstans, sanctus Deus, Salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator & extinctor, Serpentis est formâ, & circumscriptione finitus, per terram reptans, ut cœno natis vermiculis mos est. Solum mento radit & pectore, tortuosis voluminibus se trahens, atque ut pergere prorsus possit, partem postremam conatibus prioris adducit, & quoniam legitur usus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos transvoret oris hiatu appetitos.*

In nostra Gemma, subjecit ARCHÆOPHILUS, cibus ei non porrigitur, sed ipse vel columnæ circumvoluitur, vel flammis super ara ardentibus obvertitur, an cremandus? Minimè, inquit DULODORUS, sed ut fumum hauriat, & vel ad restituendam, vel ad prolongandam sanitatem, ejus dulcedine commoveatur.

Mira res, infit ARCHÆOPHILUS, quod vitæ animantium maximè contrarium est, ut ejus præsentia benevolentiam credatur conciliare! Non ut animal, respondit DULODORUS, consideratur hic serpens, sed ut Genius, divino Numine plenus. Procul dubio Tibi innotuit, in eo consistere rationem sacrificiorum, si non maximam, tamen speciosissimam, quòd Dii odoribus delectentur. Id non Gentiles tantùm credidére, quos eô nomine ridet Lucianus, quasi verò odoribus illis Dii victitarent. Sed etiam filii fœderis, cùm in Veteri Testamento nihil frequentius sit, mentione dulcis sacrificiorum odoris coram Deo, suavitate ejus deliniendo, & ad gratiam salutiferam invocando.

Sed quid caput arietis? interrupit ARCHÆOPHILUS. Caput Arietis respondit DULODORUS, & ipsum Æsculapio sacratum, asserit Leonhardus Augustinus, ad simile ferè sacrificium, idque ideò, quod Symbolum aries conservationis sit, propter insignem temperiem Solis in Ariete signo cœlesti. Sol videlicet, vel conservandæ, vel restituendæ sanitatis, non imbecille credebatur Numen: Id quod non Authores tantùm adstruunt, sed & ipsa nobilissimæ Antiquitatis monumenta. Etiam inter Gemmas nostras exemplum est. Prodit

ÆSCULAPIUS SOLI ET LUNÆ Sacrificans.

Quid narras? inquit ARCHÆOPHILUS. Æſculapium Apollinis ſive Solis filium, Soli & Lunæ ſacrificantem?

Ita eſt, reſpondit DULODORUS. Æſculapium prodit Serpens bacillo implexus, de quo modo audivimus: Sacrificantem & Patera evincit, quam dextrâ prætendit, & Ara, quæ ad pedes viſitur: Sacrificantem Soli & Lunæ, demonſtrant expreſſa hinc inde utriusque ſimulacra. Nihil mireris, ARCHÆOPHILE. Ut hic Patri ſacrificat, ita Jupiter ſacrificaverat Avo, cùm adverſus Titanas proficiſceretur, uti videre eſt apud Arnobium lib. I. c. II. de falſa religione: Et cui potius ſacrificaret Æſculapius Medicinæ Deus, quam Soli & Lunæ, à quibus materiæ medicæ deſcendit & vigor & incrementum?

At non Solem hic video, ſed ſtellam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Leve hoc eſt, reſpondit DULODORUS. Stellæ figurâ Sol innumeris in monumentis proſtat.

At quæſo, inquit ARCHÆOPHILUS, edoceas me, quid ſub Æſculapio Veteres intellexerint? Neque enim comprehendere poſſum, qui Senex barbatus, imberbis Apollinis, ſive Solis filius dicatur?

Rem accipe ex Pauſania, reſpondit DULODORUS, In Achaicis: Ἐν τούτῳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τῷ ἱερῷ ἐς ἀντιλογίαν ἀφίκετο ἀνήρ μοι Σιδόνιος, ὃς ἐγνωκέναι τὰ ἐς τὸ θεῖον ἔφασκε Φοινίκας καὶ τὰ τὲ ἄλλα Ἑλλήνων βέλτιον, καὶ δὴ καὶ Ἀσκληπιῷ πατέρα μὲν σφᾶς Ἀπόλλωνα σπιφημίζειν, θνητὴν δὲ γυναῖκα οὐδεμίαν μητέρα. Ἀσκληπιὸν μὲν γὰρ ἀέρα γένει τὲ ἀνθρώπων εἶναι καὶ πᾶσιν ὁμοίως ζώοις, ἐπιτήδειον, πρὸς ὑγίειαν. Ἀπόλλωνα δὲ ἥλιον, καὶ αὐτὸν ὀρθότατα Ἀσκληπιῷ πατέρα ἐπονομάζεσθαι, ὅτι ἐς τὸ ἁρμόζον ταῖς ὥραις ποιούμενος ὁ ἥλιος τὸν δρόμον, μεταδίδωσι τῷ ἀέρι ὑγιείας. Ἐγὼ δὲ ἀποδέχεσθαι μὲν τὰ εἰρημένα, οὐδὲν δέ τι Φοινίκων μᾶλλον ἢ καὶ Ἑλλήνων εἶναι τὸν λόγον ἔφην. ἐπεὶ καὶ ἐν Τιτᾶνι τῆς Σικυωνίων τὸ αὐτὸ ἄγαλμα Ὑγείας τὲ ὀνομάζεσθαι. καὶ παιδὶ εἶναι δῆλα, ὡς τὸν ἡλιακὸν δρόμον ἐπὶ γῆς ὑγείαν ποιοῦντα ἀνθρώποις. *In hoc Æſculapii templo altercatio mihi fuit cum Sidonio homine, qui & rerum omnium divinarum peritiores eſſe Phœnicas, quàm Græcos, contendebat: Tum verò & inter ipſos, ajebat, Æſculapii Patrem Apollinem celebrari, matrem ei verò mortalem fuiſſe negabat. Æſculapium enim aliud nihil, quàm aërem eſſe, ex quo bona valetudo, (quam Græci ὑγίειαν appellant) tam homini quam cunctis aliis animalibus exiſteret. Apollinem, qui Sol ipſe eſt, jure patrem Æſculapii perhiberi, quòd anniverſarias viciſſitudines curſu conficiens ſuo, aëri ſalubritatem impertiat. Hæc ego illi facilè aſſentiebar, ſed non eſſe magis Phœnicum, quàm Græcorum, eam opinionem oſtendebam; cùm Titane etiam (quod eſt Sycioniorum oppidum) Æſculapii ſignum ſalubritatis dicatur. Eſſe verò vel Puero manifeſtum ajebam, corporum in terra ſalubritatem, Solis curſu effici.* Ex his patet, quid de Æſculapio ſenſerit Antiquitas, adeòque non amplius

plius miraberis ARCHÆOPHILE, quòd filius barbatus, Pater imberbis ſit; Quanquam imberbem Æſculapium exhibeat Laur. Pignorius, & Æſculapii Pueri, imò & imberbis, idem Pauſanias, illius in Arcadicis, hujus in Corinthiacis meminerit. Facilè videlicet intelliges, diverſum aëris habitum diverſis ſimulacris adumbrari, juvenili ſc. ſerenum, barbato autem nubilum & pluviis impletum, à quibus terreſtrium vigor, vitæque ſalubritas.

Si ita ſe res habet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS: Quidni Lunam Æſculapii matrem ſtatuam, uti Apollinem patrem? nam & hæc aëri ſalubritatem impertit. Si Veterum ſuffragium accederet, regeſſit DULODORUS, facilè ſuffragarer. Sed altum eſt ſilentium. Imò potiùs contrarium ſurgit; Æſculapii enim matrem, vulgò Coronida Nympham ſtatuunt, id quod videre eſt apud Diodorum, indèq; *Phœbo Nymphaque Coronide natum*, cecinit Ovidius I. Faſtor. Meſſenii Arſinoë Leucippi filiâ natum aſſeruere, uti Pauſanias teſtatur, in Meſſeniacis & Laconicis, quæ diverſitas facilè excuſari poteſt, cùm Cicero tres Æſculapios memoret. Quicquid ſit, Lunæ cum Æſculapio neceſſitatem ex eodem Pauſania adſtruxeris qualemcunque. Dianæ, quæ cum Luna eadem eſt, ut vulgò patet, templum Epidauri fuiſſe memorat, imo & alibi in templo Dianæ fuiſſe ſimulacrum Epionis, Æſculapii uxoris. Et quidni Per-Ill. SPANHEMII, ad me gratioſiſſima ſubnecto verba? Ad Lunam, inquit, unâ cum Sole ſignatam in Gemma, quæ Æſculapium exhibet, eximiè facit Procli locus, in Timæum lib. I. p. 49. &c. quod Opus Græcè tantùm hactenus proſtat, *διότι ὁ Ασκλεπιακὸς νοῦς ἐστὶ Σελληνιακὸς, ὥσπερ ὁ Απόλλων Ἡλιακὸς νοῦς.*

NEPTUNUS ATLANTICUS



Sardon. incis.

Sequitur, celeri Equorum alatorum Biga provectus. Neptunum ex Tridente agnoſcimus, vulgato tertiæ ſortis ſceptro, de quo Orpheus in Hymno:

Χαλκοτόρευτον ἔχων χείρεσσι τρίαιναν.
Ferro tornatum tenens manibus tridentem.

Eô triplicem undarum ſubſtantiam præfiguratam volunt, aëream, aqueam, & igneam. Curru Neptunum per æquora vehi, Antiquorum ſuperſtitio credidit. Apollonius Argon. lib. IV. ℣. 1325.

— — Ἕυτ' ἂν δέ τοι Ἀμφιτρίτη
Ἅρμα ποσειδάωνος ἐύτροχον ἀὐτίκα λύσῃ.
— — *Quam nobilis Amphitrite,*
Neptuni celerem currum apto tempore ſolvet.

At alii, inquit ARCHÆOPHILUS, Delphino eum inſidere perhibent. Id tum fieri reſpondit DULODORUS, cûm celeritate opus eſt, innuit ipſe apud Lucianum in Dial. Deorum Marin. ubi ad Tritonem ζεῦξον τὸ ἅρμα, ἢ τοῦτο μὲν πολλὴν ἔχει τὴν διατριβὴν ὑπάγειν τοὺς ἵππους τῇ ζεύγλῃ, καὶ τὸ ἅρμα ἐπισκευάζειν; σὺ δὲ

οὐ δὲ ἄλλα δελιφῖνα μοι τινὰ τῶν ὠκέων παράστησον ἐφιππάσομαι γὰρ ἐπ' αὐτοῦ τάχιστα. *Currum junge, vel an hoc longiorem rebus moram injiciet, submittere equos jugo, & currum apparare? Tu verò potius Deiphinum mihi aliquem ex velocibus illis huc fisse, inequitando enim illi, quàm celerrimè provebar.* Sed hoc utique in Neptuni arbitrio reliquerint Gentiles, uti &, quæ currui animalia voluerit jungere.

De animalibus, regessit ARCHÆOPHILUS, scio quibusdam Vitulos marinos, & Cetum: Scio aliis, & quidem plerisque, Equos nominari; Hi autem an sibi contrarii sint nescio. Equum à Neptuno productum legimus, cùm de Athenis cum Minerva contenderet. Ab eô tempore, quidni Equi in Vitulorum & Ceti locum poterunt successisse? Sed hoc levius est. De Numero equorum lis esse potest, cum Orpheus *quatuor* statuat, in Gemma autem *duo* tantùm sint, & quidem alati. Alatos equos, aut Pegasos, Neptuno dari, nullibi me legisse memini. Ad celeritatem, aut etiam ad Corinthum respicerem, quæ Neptuno sacra, Pegasos suos ejus currui junxisse, non absurde crederetur, nisi Neptunum hunc Atlanticum inscripsisses. Si quid eam in rem habes, Dulodore, ne tergiverseris, obsecro, meis id auribus deponere.

Unicus, inquit ILLE, Platonis locus est, qui ad omnia Tibi satisfaciet, exstat in Critia, ubi latius de Insulâ Atlanticâ disserit, & inter cœtera non tantùm Neptunum, in divisione Terrarum, Insulam Atlanticam sortitum, & ex filia Clitonis & Leucippes decem filios, omnium deinceps Atlanticorum Progenitores, procreâsse. Non tantùm Insulam omni rerum copiâ beâsse, divinumque inde cultum in ea obtinuisse memorat, sed & nominatim de *Equis alatis* docet. Cùm templum ejus aureo ambitu circumdatum, unum stadium longitudine, tria jugera latitudine, impleviſſe: Cùm figuram barbaram fuisse: Suprema fastigia Argento, culminaque & apices auro ornata, interiora laquearia ebore, auro argento & orichalco cœlata, parietes, columnas, pavimenta orichalco inducta memorâsset, immediate subjicit: Χρυσᾶ δὲ ἀγάλματα ἐνέστησαν, τὸν μὲν θεὸν ἐφ' ἅρματος ἑστῶτα ἓξ ὑποπτέρων ἵππων ἡνίοχον αὐτὸν τὲ ὑπὸ μεγέθους τῇ κυρφῇ τῆς ὀροφῆς ἐφαπτόμενον. *Statuas quin etiam ex auro erexerunt. DEUM quidem CURRU INSISTENTEM, TENENTEMQVE EQVORUM ALATORUM HABENAS*, laquearia altâ cervice tangentem. Quid post tàm apertum testimonium desideres?

Nihil omninò, respondit ARCHAEOPHILVS, nisi ut Insulæ Atlanticæ situm doceas. Multum postulas, subjecit DVLODORVS. Res ardua est, nec meo decidenda judicio. Peritiorum Opinionem adfero. Americam putant, idque eô fortasse non abs ratione, quòd Platoni extra columnas Herculis ponatur, & Lybiâ & Asiâ perhibeatur major fuisse. Si suffrageris, non necesse est pluribus disputare, unde Americæ Incolæ eam regionem intraverint, cùm & Phœnicum, extra Columnas Herculis, navigationes notæ sint, & Plato apertè doceat, etiam Athenienses cum iis bellum gessisse. Quicquid sit, si Insulæ nomen periit, non tamen periit maris. Atlanticum hodienum dicitur: Et ne terra nos lateat, sagaciſſimum, ante ducentos annos, Columbi ingenium effecit. Sed hæc apud alios latius. Ad nostra revertimur. In hâc Gemmâ, & ipsâ sanè non vulgari artificio celatâ,

NEPTU-

NEPTUNUS REX



Adumbratur. Neptunum, inquit ARCHÆOPHILUS, appositus Tridens demonstrat, & nisi fallor eôdem modô, quô in Gemma hac visitur, etiam exstat in Numismate Gentis Pompejæ apud Ursinum, imò etiam in Fastis Goltzianis, adeò ut inter rariora reponi vix mereatur.

Distinguendum est inter Gemmas & Numismata, respondit DULODORUS. Poterit aliquid in Numismatibus vulgatum esse, quod tamen in Gemmis rarius occurrit. Adde, quòd figurarum Gemmis incisarum alia ut plurimùm soleat esse ratio, quàm earum quæ in Numismatibus visuntur. Hæ vel gloriam signantis, vel honorem Dei, ob præstitum auxilium, concernere solent: Illæ verò etiam fiduciam auxilii futuri, qua is in Deum respexerit, qui Gemmam annulo inclusam gestavit. Raritatem Neptuni Regis in Gemmis inde colligas, quòd nec Gorlæus, nec Causæus, nec alius, quod sciam, quisquam talem dederit, qualem hic adspicimus. Densò capillitio & promissâ barbâ insignis est, eòque pertinet Epitheton Κυανοχαίτου *nigris jubis* aut *comis conspicui*, quod ei apud Poëtas non uno in loco tribuitur. Exemplo sit iliud Orphei in Hymnis:

Κλύθι ποσειδάον γαιήοχε κυανοχαῖται.
Audi Neptune, Terræ concussor, nigras comas habens.

Illud fortasse miraberis, quî capillorum horrore luxuriet, cùm tamen idem Orpheo χαριτώπα *gratiosam faciem habens* vocetur; Sed id facilè ex Virgilio compones, quô Authore lib. I. Æneid. cùm emissam hyemem Neptunus sensisset:

— — *Graviter commotus, & alto*
Prospiciens, summâ placidum caput extulit undâ.

De Diademate, inquit ARCHÆOPHILUS, major cura subit; Ejus enim ratione Neptunum Regem mihi videris appellâsse, nec fortassis abs ratione, uti enim Jupiter Rex Cœli, Pluto Rex Inferni, ita & Neptunus Rex Maris fuit, idque vi divisionis inter fratres factæ, de qua Mythographi passim; An autem apud Authores Regis cognomentum tulerit, nescio.

Omninò, respondit DULODORUS, apertè id Pausanias in Corinthiacis. Imperante Troezeniis Althepo, disceptâsse Neptunum & Minervam de loci tutelâ, inquiunt, itàque ex eo certamine discessisse, ut ex Jovis arbitrio communis utrisque honos esset. Eam ob rem Minervam venerantur Poliadem & Stheniadem, duobus eandem cognominibus, & ΠΟΣΕΙΔΩΝΑ βασιλέα ἐπίκλησιν Neptunum *Regem* cognomento. Ita & ποντομέδων, *Rex Ponti*, Orpheo dicitur, in Hymnis, ut alios taceam. Ovidio vocatur *Rector Pelagi:*

Mulcet aquas RECTOR PELAGI,

& apud Maronem Æolo nunciare jubet ipse:

Non illi imperium Pelagi, sævumque Tridentem,
Sed sibi sorte datum.

Et quid multa? In terminis *Regem* vocat Poëta in Priapejis.

UndæTænaros æquorisque REGI

Et Silius lib. XVII.

Talibus alloquitur REGEM Maris.

Sexcenta sunt ejusmodi loca, & piget iis diutiùs immorari, præsertim cùm post Regem Pelagi, sui contemplationem sequenti in Gemma nobis suggerat

OCEANVS,

OCeanus Grammaticis communiter ex Græco Ὠκέως *citò* & νάω *fluo* derivatur. Alii ab antiquitate deducunt, quod ὠγένιον, παλαιὸν sive *antiquum* Hesychio significet, & Suidæ Ὤγενος, ἀρχαῖος θεὸς audiat, ὅθεν ὠγενίδαι καὶ ὠγένιοι, ἀρχαῖοι. Quis fuerit hic Ὤγενος, idem Hesychius docet, apud quem Ὠγήν, ὠκέανος legitur. Idem scil. Oceanus est & Ὠγήν. Qui posteris Oceanus, is antiquissimis temporibus Ὠγὴν videtur dictus, non ab antiquitate, sed ut Vossio placet, ab חוג quod valet *circulum* seu *ambitum*, quod circuli scilicet in modum terram ambiat. Quicquid sit, Hesiodo Theog. 133. est filius Terræ, Cœlo imprægnatæ, id quod etiam Plato in Timeo, Cicero de Universitate, Hyginus in Fabulis asserunt. Θεῶν γένεσιν vocat Homerus Il. Ξ. ℣. 201. & ex Orpheo discas, suffimentum ejus aromata fuisse. Elegans Hymnus est, quem eò lubentiùs hîc recito, quò plura, huc facientia, suggerit:

ΩΚΕΑΝΟΝ καλέω, πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα,
Αθανάτων τε Θεῶν γένεσιν θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
Ὃς περικυμαίνει γαίης περιτέρμονα κύκλον
Ἐξ ὕπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ χθόνιοι γαίης πηγόῤῥυτοι ἱκμάδες ἀγναί.
Κλῦθι μάκαρ πολύολβε, θεῶν ἅγνισμα μέγιστον,
Τέρμα φίλον γαίης, ἀρχὴ πόλου ὑγροκέλευθε
Ἔλθοις ἐυμενέων μύσταις κεχαρισμένος αἰεί.

Oceanum voco, patrem incorruptum, semper existentem,
Immortaliumque Deorum genus, mortaliumque hominum:
Qui circumfluit terræ circa extremitates circulum,
Ex quo omnes fluvii, & universum mare,
Et terrestres terræ ex fontibus fluentes humores puri:
Audi beate, dives, Deorum purgatio maxima,
Finis amicus Terræ, principium Poli, humidas vias habens:
Veni benevolus, sacra discentibus gratus semper.

De Oceano excepit ARCHÆOPHILUS, hæc eleganter dicuntur, an autem Oceanus hac in Gemma exhibeatur, ignosce DULODORE, si paulisper adhuc dubitem. Oceanus Euripidi Ταυρόκρανος *Tauriceps* dicitur; At in Gemma nullum omninò Tauri signum est: Et quid? an Oceanus decumbens ex urna aquas evolvat?

evolvat? Fluviorum hoc proprium eſt, indeque potiùs vel Rheni, vel Danubii, hoc Simulacrum crediderim; Hos enim eô ſchemate in Nummis cernimus.

De Fluminibus res trita eſt, reſpondit DULODORUS; At de Oceano paulò obſcurior: Hunc tamen, ut in noſtrâ Gemmâ cœlatum arbitrer, Naves in causâ ſunt, jam in altum provectæ, totamque proinde aream adimplens aquarum planities. Danubius & Rhenus, aliique quicunque fluminum, exiguo plerunque alveo, magnitudinis ſuæ modulum indicant, at hîc vel ultra Gemmam extenditur. Nihil in ea, præter undas. Undis incumbit, & undas ex urna evolvit: ut intelligas, non aliundè, ſed ex ſe Oceanum undas mutuari. Ταυρόκρανος Euripidi dicitur, ſed eidem etiam dicitur Pontum ἀγκάλαις ἑλίσσων *cubitis volvens:*

Πόντου Ὠκεανὸς ὁν,
Ταυρόκρανος ἀγκάλαις
Ἑλίσσων.

Ubi interpretes, uti vocem ἑλίσσων falsò *circumdans* reddiderunt, ita nec videntur Ταυρόκρανον rectè, *taurinum caput habentem* interpretati, cùm etiam is Ταυρόκρανος dici poſſit, qui *taurinis cornibus inſignis* eſt, qualis Neptunus, quem inde Ταῦρον & Ταύρειον dictum accepimus. Videri ea de re poteſt Perill. SPANHEMIUS de Uſu & Præſtantia Numiſmatum Diſſ. IV. p. 360. Hæc ſi tecum conſideres, ARCHÆOPHILE, mitiùs, opinor, opinionem meam excipies, cùm in minuta effigie, an cornua, an comam agnoſcas, adeò planum eſſe non poſſit. Ita nec urnam, Fluviorum geſtamen, in contrarium adduxeris, cùm Oceanum Æthiopiæ fluvium quibusdam creditum, ad Phialam Nemeſis, Pauſanias obſervet: Cùm Nilum fluvium Ægyptiis Oceanum dictum, ſub eòque humorem intellectum, Diodorus teſtetur: Cùm conſtet, Oceanum Fluviorum Parentem eſſe:

Ἐξ ὕπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.
Ex quo omnes fluvii, & totum mare,
Et omnes fontes, & putei alti oriuntur.

Ut Homerus canit Il. Φ. ν. 197. ſeq. Fateor Oceani ſimulacrum, Romæ ad arcum Campiliani repertum, urnâ carere, ſolisque undis incumbere, adjectis in vertice cornibus, in dextra temone, & ſub ſiniſtra monſtro marino; Sed ut in illo ad monſtrorum copiam Artifex reſpexit, quidni reſpexerit in noſtra ad aquarum originem? De nihilo non eſt, quod & Homerus & Orpheus non fluvios tantùm, ſed & totum mare ex Oceano oriri cecinerunt; Sive enim ſub Oceano humorem aqueum intelligas, vel ut principium ad rerum conſtitutionem neceſſarium, ex quo mare, ut nobilior in Natura conſtituta pars, ſive Oceanum pro mari externo ſumas, a quo internum defluit, utrinq; tamen ratio eſſe poteſt, cur à mari Oceanus diſtinguatur: utrinque, non minus ac in Fluviis, cur & urnam præferat.

Sed præter urnam, inquit ARCHÆOPHILUS, ſiniſtrâ adhuc bacillum præfert, & ſub navibus non undas video, ſed micantem ubique planitiem. Bacillum reſpondit DULODORUS, ad Oceani potentiam refero, imò & ad providentiam, quâ immenſas aquarum vortices non tantùm producit, ſed etiam coërcet, ut navigantibus eò tranquillior curſus contingat. Ἀκαλαρρείτης Homero vocatur, quòd lenis ejus curſus Solis motum imitari videatur, ut Phurnutus cenſet, & aquam Grammatici ab æquo & lævi derivant. Quid concinniùs ad Gemmam noſtram dici poteſt? Quid ad micantem illam planitiem, de quâ dubitare Tibi placuit? Nonne ſuccurrat, & hîc, quod Coridon de ſe apud Maronem Ecloga II.

— — *Nuper me in littore vidi,*
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Quod apud Theocritum Cyclops.

Η γαρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον ἦς δὲ γαλάνα.

Quanquam Servius id neget per Naturam fieri poſſe. Divina videlicet poteſtas omnia poteſt. Etiam Mari ſui ſunt limites, non minus ac Terræ. Limitum & Author & Defenſor credebatur

ΖΕΥΣ ΟΡΙΟΣ
SIVE
JUPPITER TERMINALIS,



Vel eo nomine memorandus, quòd effigie ſimillimus ſit ei, quem in Familia Terentia Denarius Varronis exhibet. Jovem eô Ὅριον ſive Terminalem depingi, interpres Urſinus ait. Nec forſan abs ratione; Ut enim Terminum prodit quadrata, cui inſiſtit, baſis, ita Jovem & prolixa barba evincit, & vultus, Divinæ Majeſtatis pleniſſimus.

Urſinus, inquit ARCHÆOPHILUS, rationem aſſerti ſui prætermiſit, indeque mihi dubium aliquando fuit, annon hæc effigies ipſius Varronis eſſet? cùm non tantùm adſcriptum nomen eum videretur arguere, ſed & mos, quò viros celebriores Hermarum inſtar dedicabant. Hanc certè ſententiam video & ipſum Urſinum foviſſe, in Imaginibus Illuſtrium Ao. 1570. Romæ impreſſis, idque non futili conjecturâ, ſed adhibitô in ſuffragium Pliniô, qui lib. VII. c. 30, *Varronis*, inquit, *in Bibliotheca, quæ prima in Orbe ab Aſinio Pollione ex Manubiis publicata Romæ eſt, unius viventis poſita imago eſt:* Quid ad hæc reſpondes, DULODORE?

Idem, ſubjecit ille, quod Plinius hîc docet; Si enim Plinius, tanquàm ſingulare quid, ſtatuam viventi, eô tempore memoret poſitam, quô jam Cæſaris & Auguſti aliorumque effigies in Numiſmatibus fulgebant, quomodo effigiem eandem poterimus ſtatuere in Nummo, eô tempore percuſsô, quô effigies viventium in Nummis ſignare, ne Cæſari quidem adhuc licebat? Urſini authoritas nihil juvat, ipſum enim mutatâ ſententiâ, in Familiis non amplius Varronem, ſed Jovem Terminalem agnoſcere, ſupra dixi. De more, Viros celebriores Hermarum formâ dedicandi, non negaverim; Neque enim apud Græcos tantùm id fieri ſolitum, ſed etiam apud Romanos, exemplis Valeſii Publicolæ, M. Porcii Catonis Cenſorini, L. Junii Ruſtici, Philoſophi Stoici, conſtat, quorum Hermæ apud Urſinum viſuntur.

De hoc, utpote re certâ, non laboro, regeſſit ARCHÆOPHILUS, potius ſi Jupiter Terminalis omninò in Varronis Numiſmate, & proinde etiam in hâc Gemmâ agnoſcendus ſit, velim ſcire, quæ ratio ejus ſignandi? & quid de eo apud Authores occurrat? Ratio,

Ratio, respondit DVLODORVS, cur Varro Hispaniæ Proquæstor Jovem Terminalem signaverit, triplex esse potest, vel quòd in terminis Romani Imperii constitutus, eos ab hostibus immotos hoc Numine voverit, eô scilicet sensu, quô & antiquitùs, cùm Jovi Capitolino reliqui Dii cederent, resistens Terminus Terminorum firmitatem memoratur portendisse, id quod Augustinus refert, de Civit. Dei, lib. IV. c. 29. Vel quòd rei rusticæ jam tum studeret Varro, id quod doctissimi ejus, ea de re commentarii suggerunt. Numa videlicet, cùm & publicum Pop. Romani, & privatum Romanorum agrum, certis limitibus terminisque definivisset, lapides in confiniis positos, *Jovi Terminali* legitur sacrâsse, additâ sanctione, ut non tantùm Terminalia quotannis fierent, sed & ii, qui Terminum exarâssent, aut transtulissent, cum bobus sacri essent. Videri ea de re possunt Dionysius Halicarnass. Plutarchus, & Sex. Pomp. Festus. Tertia ratio esse potest Ænigma de Termino, quod, ut antiquissimum, A. Gellius memorat in Noctibus Atticis lib. XII. c. 6. Tale est:

Semel minusne, an bis minus sit? non sat scio.
An utrumque eorum? ut quondam audivi dicier.
Jovi ipsi Regi noluit concedere.

In voce lusus est. Qui non *semel minus*, non *bis minus*, sed *semel & bis*, id est *Terminus* vocatur.

Quid hoc ad Varronem? infit ARCHÆOPHILUS. Dicam, respondit DULODORUS. A. Gellius licet id inenarratum reliquerit, ut legentium conjecturas in requirendo acueret, tamen subjecit: *Hoc qui nolet diutius apud se quærere, inveniet quid sit, in M. VARRONIS de Sermone Latino ad Marcellum librô secundô.* Quibus ex verbis utique constat, Varronem id enarrasse, adeòque eâ re, utpote remotioris doctrinæ indice, gloriari potuisse. Quo autem id faceret schemate, si non Jovis Terminalis effigie, quæ simul & studia ejus indicaret, & non minus pietatem etiam in Patriam Populo Romano approbaret? Vides ARCHÆOPHILE, non temerè hîc Jovem Terminalem me statuere. Restat ut adhuc depromam, quid de Jove Terminali Antiquorum Thesauri nobis largiantur: Græcum Numen fuit. Ὅριος ζεὺς dicebatur. Plato ejus meminit in octavo de Legibus, ubi ita habet: Πρῶτον δὴ νόμοι ἔστωσαν λεγόμενοι τόνδε γεωργικοί. ΔΙΟΣ ΟΡΙΟΥ μὲν πρῶτος ὁδε νόμος εἰρήσθω. μὴ κινείτω γῆς ὅρια μηδεὶς &c. *Agriculturæ leges*, inquit, *primò ponantur, primoque TERMINALIS JOVIS hæc: Nemo fines atque terminos agri moveat.* &c. Meminit & Demosthenes in Haloneso, ubi tamen falsò Ὁρέιου pro Ὁρίου legitur, id quod vel inde colligas, quòd ejus ara intra Ptelcum & Albam Actam posita memoretur, quô in locô constitutum fuerit, Chersonesum fossâ ductâ disterminare, adjectâ inscriptione:

Τόν δὲ καθιδρύσαντο θεῷ περικαλλέα βωμὸν
Λευκῆς καὶ πτελεοῦ μέσσον ὅρον θέμενοι.
Ἐννάεται χώρης σημήιον. ἀμμορίης δὲ
Ἄυτὸς ἄναξ μακάρων ἐστὶ μέσος κρονίδης.
Limes ut in medio Leucæ Pteleique notetur,
Hæc est excellens ara sacrata Jovi.
Ne populos turbet contentio, Juppiter ipse,
Rex superûm, medius limite signat agros.

De Ὅριος terminis loquitur, à quibus, Julio Polluce teste, ὅριος ζεὺς denominatur, qualem & Dionysius Halicarnassæus appellat, de Numa agens lib. II. Κελεύσας ἑκάστῳ περιγράψαι τὴν ἑαυτοῦ κτῆσιν, καὶ στῆσαι λίθους ἐπὶ τοῖς ὅροις, ἱερεὺς ἀπέδειξεν ΟΡΙΟΥ ΔΙΟΣ τοὺς λίθους, καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρα τακτῇ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους, ἑορτὴν ἐν ταῖς παίνυ τιμίαν καὶ τὴν τῶν ὁρίων

θεῶν καταστησάμενος. ταύτην Ῥωμαῖοι τερμινάλια καλοῦσιν, ἀπὸ τῶν τερμόνων, καὶ τοὺς ὅρους αὐτοὺς, ἐνὸς ἀλλαγῇ γράμματος παρὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον ἐκφέροντες, Τέρμονας προσαγορεύουσιν. εἰ δὲ τὶς ἀφανίσειεν ἢ μεταθείη τοὺς ὅρους, ἱερὸν ἐνομοθέτησεν εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν τούτων τὶ διαπραξάμενον, ἵνα τῷ βουλομένῳ κτείνειν αὐτὸν ὡς ἱερόσυλον, ἥ τε ἀσφάλεια καὶ τὸ καθαρὸν μιάσματος εἶναι προστῇ. τοῦτο δ' οὐκ ἐπὶ τῶν ἰδιωτικῶν κατεστήσατο μόνον κτήσεων τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν δημοσίων, ὅροις κακεῖνα περιλαβών, ἵνα καὶ τὴν Ῥωμαίων γῆν ἀπὸ τῆς ἀστυγείτονος ὅριοι διαιρῶσθεοὶ, καὶ τὴν κοινὴν ἀπὸ τῆς ἰδίας. Τοῦτο μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων Φυλάττουσι Ῥωμαῖοι, τοῦ χρόνου μνημεῖα τῆς ὁσίας αὐτῆς ἕνεκα. θεοὺς τὲ γὰρ ἡγοῦνται τοὺς τέρμονας, καὶ θύουσιν αὐτοῖς ἔτι, τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδέν· οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους. πελάνους δὲ Δήμητρος, καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς.

Ut enim contenti propriis, aliena non concupiscerent, cavit Lege de terminandis prædiis. Cùm enim unumquemque jussisset suas possessiones circumscribere, ac in finibus statuere lapides, lapides ipsos JOVI TERMINALI sacros esse voluit: Jussitque, ut illis omnes quotannis statò die solenni cœtu, eo in loco rem divinam facerent, sacrato cum primis nobili festo in honorem Deorum, qui terminis tutelares præsident. Id Romani vocant TERMINALIA, sicut limites ipsos appellant TERMINOS, unâ nostræ linguæ literâ mutatâ. Nos enim τέρμονας *dicimus: Quos siquis transferre ausus fuisset, aut tollere, Lege latâ caput ejus, qui tale quid patrâsset, Deo Terminali devovit, interfectori ipsius, tanquam sacrilegi, impunitate promissâ, & puritate à scelere. Nec de privatorum tantùm possessionibus hoc ius sanxit, verum etiam de publicis, & ipsas certis complexus finibus, ut Romanum agrum à vicinarum urbium agris TERMINALES DII discernerent, & publicum à privato. Quem morem usque ad hæc tempora observant Romani, temporis illius monumentum, & ipsius Religionis ergò. Nam Deos putant terminos, eisque sacra faciunt: Non animal ullum mactantes, quòd nefas sit cruentari bos lapides: Sed liba cerealia, frugumque offerentes primitias.* Prolixior locus est, addendum tamen censui, quòd non tantùm de Jove Ὁρίῳ testetur, sed & omnem Terminaliorum suggerat & rationem & cultum. Desierat DULODORVS; At ARCHÆOPHILUS, aliam Gemmam producens: Quid hoc est? inquit, neque enim compositionem intelligo, quanquam operis antiquissimi simul & rarissimi.

HERMEROS AN TERMINUS ALATUS?



Respondit DULODORUS, neque enim ipse rem indubiè assequor. Per-Illustris EBERHARDUS à DANCKELMANN, Gemmam hanc Thesauro Electorali nuper addidit.

Elegans Κειμήλιον est, subjecit ARCHÆOPHILUS, sed quò elegantiùs, eò & obscuriùs; Quid enim *Hermeros?* quid *Terminus alatus?* An Termino, qui nullâ re sanctior est, quàm immobilitate, alas affinxerit Antiquitas?

Eôdem

Eôdem modô, reſpondit DULODORUS, id factum credi poteſt, quô in Numiſmatibus Auguſti, vel Papilionem inter Paguri brachia, vel Terminum Fulmini alligatum cernimus: Ut ſcilicet Auguſti illud adumbraretur, quod crebrò cum jactâſſe, Suetonius Author eſt: Σπεῦδε βραδέως ἀσφαλὴς γὰρ ὁ αἰμύνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης, *Feſtina lentè, cautus enim temerario milite melior eſt.* Noſti ARCHÆOPHILE, ſimili ferè invento & Fabii Maximi cunctationem eſſe involutam. Numiſmata ejus exhibent cornucopiæ fulmini alligatum, ut vires bellicæ cum felicitate publica conjunctæ, eamque temerè emiſſæ peſſundaturæ ſignificentur. Sed alibi de his dixi. In propoſita Gemma, ut Terminum ſub capite hoc latere arbitrer, non tantùm quadrata capitis baſis in cauſa eſt, ſed etiam Caput Juvenile, capillis faſciolâ colligatis, id quod ſimili planè modô etiam in capite Termini cernimus, inter Numiſmata Calpurniorum, qui Terminum ſignârunt, quod Numa generis Author cum facrâſſet.

Parum abſum, inquit ARCHÆOPHILUS, quin hanc tecum ſententiam amplectar, cohibebo tamen judicium donec etiam de *Hermerote* docueris. *Hermeros*, excepit DVLODORVS, Deus fuit ex *Herme*, ſive Mercurio, & *Erote*, ſive Cupidine conjunctus. Non inſolitas Veteribus fuiſſe ejusmodi compoſitiones, oſtendit Hermathena ex Mercurio & Pallade, & Hermeracles, ex Mercurio & Hercule conjunctus quorum ex Gemmis ſimulacra dedit eruditiſſimus Sponius, in Miſcellan. Sect. I. Art. IV.

Subit memoriam locus, inquit ARCHÆOPHILVS, & jam recordor ibidem & Hermerotem publici juris eſſe factum. Ita eſt, ſi Sponium audias, reſpondit DULODORUS, ſed mihi non facilè perſuaſerit, cùm eo in ſigno ne unicum quidem Erotos, aut Cupidinis indicium occurrat?

Atqui, regeſſit ARCHÆOPHILUS, amabilis pueri ſpecies ibi viſitur, an hæc non ſufficiens eſt Cupidinis argumentum? Nullò modô, reſpondit DULODORUS, cùm enim ex Homero conſtet, etiam Mercurium, infantem adhuc, & citharam inveniſſe & Apollinis boves eſſe furatum, omninò aliô adhuc indiciô Cupido deſignari debuiſſet, ſi Hermeros eô Simulacrô exhiberetur. Si me audias, ſimplicem potius Mercurium credes, cùm eum & caduceus & crumena & alicula teſtentur; Sed quorſum hæc? Nempe ut oſtendam, eô rariùs eſſe κειμήλιον noſtrum, quod Hermeros hactenus inter Antiquitatis reliquias non apparuerit. Ne autem abs ratione, & de noſtro gloriari videar, audi quid effatum ſtabiliat. Mercurium demonſtrat quadrata ſub capite baſis. Cupidinem demonſtrat ala. Caput cùm juvenile ſit, utrique convenire videtur. De quadrata baſi, Hermarum deſcriptio docet, apud Suidam, ſub voce ἑρμῶν, ubi ſtatuas Mercurii quadratas & cubicas, Athenis ideò meminit fuiſſe, quòd ſermonis is & veritatis præſes crederetur, quæ ſemper ſibi ipſi ſimilis eſſe deberet.

De Hermis, inquit ARCHÆOPHILUS, res trita eſt, adeòque de iis facilè aſſentirer, ſi alas capiti affixas cernerem. Caput crispulum, capillis faſciâ cinctis, utique non Mercurium, ſed alium quemcunque indigitare videtur: Et quid in baſi exſtans illud quadratum? Locum brachii deſignat, reſpondit DULODORUS, eòque locus Servii quadrare videtur, ad Æneid. lib. VIII. ubi docet, Mercurium, quôd ei in monte dormienti manus amputatæ fuiſſent, Cyllenium dictum eſſe, indeque & Hermas appellatos ſtimulos, in modum ſignorum ſine manibus effictos. Quod ad caput attinet, non ſemper Mercurii effigiem id referebat, ſed quorumcunque interdum hominum celebriorum. Exempla protulerunt Achilles Tatius, & Fulvius Urſinus, adeòque mirum non eſt, quòd alæ Mercurii non appareant, cùm alius cujusdam effigies hæc eſſe poſſit. Et quidni Antinoi? qui Hadriani amoribus inſerviit, adeòque jure Cupidinis ſimul ſpecie effictus

fictus credi posset? Coma convenit, nec lineamenta faciei abhorrent: Quidni etiam Cupido ipse? Capilli floridi & crispantes addicunt, imò nec diadema contradicit, cùm Cupidinem diademate capillos coërcuisse, Callistratus Author sit. Sed sufficit Hermerotem ex Herma & Erote sive Mercurio & Cupidine compositum monstrâsse. Ne alicujus Authoris authoritas desit, coronidis loco Plinium pando, qui lib. XXXVI. c. 5. *Inter eximia sculptorum opera etiam HERMEROTES TAURISCI memorat.* Sed

JUPPITER

Nos revocat, variis suis, sive Potentiæ conspicuus, sive Gloriæ insignibus. Duo cernis ejus capita, tria simulacra: Alterum caput Diademate fulget, alterum Oleâ insignitur. Simulacra Hastis innixa vel sedent, vel stant, præferuntque vel Fulmen, vel Victoriam, vel Pateram. In secundo adjecta est & Aquila, non tantùm ad Jovis pedes, sed etiam in Gemmæ aversa κεραυνοφόρος, & rostro lauream extollens. Nihil in his novi est; Nosti enim Jovem, & stantem & sedentem, pluribus in Nummis prostare, nosti Hastam Jovis sceptrum esse, nosti Fulmen ejusdem telum, Aquilam ministram, Victoriam comitem.

Hæc equidem novi, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed tamen volupe fuerit, quædam Authorum loca audire, præsertim cùm etiam vulgaria interdum demonstratione egeant. Recorderis igitur, respondit DULODORUS, Hastam Græcis Sceptrum dictam, & antiquitùs pro Deo cultam, ideòq; simulacris Deorum additam, apud Justinum lib. XLIII. c. 5. memorari. Recorderis, Sceptrum Jovis, omnium metallorum varietate distinctum, apud Pausaniam El. priore doceri; Imò & ipsum Jovem ab hoc σκυπτοῦχον *Sceptriferum* Orpheo cognominari. De Fulmine plena sunt Poëtarum commenta:

Ipse Pater mediâ nimborum in nube corusca
FULMINA molitur dextrâ.

Inquit Virgilius lib. I. Georg. & in aperto jacent cognomina à fulminibus jovi addita. Κεραύνιος *fulminator* dicitur Orpheo, Τερψικέραυνος *fulmine gaudens* & ἀργικέραυνος

κέραυνος *fulmine coruſcans*, Homero Il. Θ. 2. & T. ψ. 121 Ille Jovem fulminantem Hymnô proſecutus eſt, & hic de Jove in Idam deſcendente Il. Λ. ψ. 184.

Ἔχε δὲ στεροπὴν μετὰ χερσὶν.
Habuit fulmen in manibus.

Sed dies citiùs deficeret, quàm teſtimonia de Jovis fulmine. Ad Pateram & Aquilam vel unicus Lactantius ſuffecerit, qui Jovem contra Titanas profecturum, in Naxo Inſula ſacrificâſſe, ſacrificantique in victoriæ auſpicium Aquilam advolâſſe, indeque ejus tutelæ ſubjugatum memorat: Si non ſufficiat, memoriam ſubire poterit & Aquilarum genus, quod Jovis dici, nullâque rapacitate infame eſſe, Ælianus in Hiſt. Anim. prodidit: Subire poterit, & Aquilarum natura, quòd pennata hæc Regis altiſoni ſatelles, ſi Plinium audias, fulmine non tangatur; Sed etiam in Jovis habitu eſt, quòd delectet. Comas Homerus *ambroſias* vocat. Il. Λ. ψ. 528. Barbam Prudentius *rigentem*, in Hymno de Romano Martyre: Et quod Lucianus de eo Jovis ſimulacro protulit, quòd in Templo Deæ Syriæ viſebatur, id ad propoſita rite fortaſſis attulero. Διὸς ἄγαλμα ἐς δια πάντα ὁρῇ καὶ κεφαλὴν, καὶ ὄμματα καὶ ἕδρην. καὶ μὲν οὐδὲ ἐθέλων ἄλλως εἰκάσεις. *Jovis Simulacrum per omnia Jovi aſſimilatum eſt, & capite, & oculis, & ſedentis habitu: neque ipſum alteri, ne ſi velis quidem, aſſimilare poteris.*

Tantane, inquit ARCHÆOPHILUS, Artificum fuit ſapientia? Fuit ſanè, reſpondit DVLODORVS, neque enim abs ratione ſimulacra Deorum variârunt. In pleriſque genius Naturæ radiat. Jupiter enim pro aëre ſumtus, quidni fulmen jactet, quod in aëre naſcitur? Jupiter pro Deo, quidni ſuperiora nudus, inferiora veſtitus fingatur, cum tamen in cœlis Dei Majeſtas aperta ſit, in ſublunaribus autem Naturæ operibus involvatur?

At in priore, inquit ARCHÆOPHILUS, nullô velamine latet, ſed ubique nudus eſt? Talem, reſpondit DULODORUS, ſe Deum non rarò exhibere, non tantùm in pœnis, ſed etiam in beneficiis, experientiâ teſte conſtat. De Jove Rege, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & de Olympico adhuc audire geſtio, neque enim capita in Gemmis expreſſa indubie Jovis ſunt, cùm poſterius Regis, prius autem Philoſophi cujusdam videri poſſit. Quid Philoſophum arguat, non video, inquit DULODORUS. Pallium, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ab humeris utrinque dependens, plane qualiter in aliis Antiquitatum reliquiis Philoſophis ſolet. Dum de Philoſophis loqueris, reſpondit DULODORUS, in mentem venit Lucianus, apud quem Jupiter Philoſopho ſe per omnia aſſimilâſſe legitur: Quanquam eo recurrere neceſſe non ſit, Pallium enim etiam Jovis geſtamen fuiſſe, ſatis conſtat. Ita apud Pauſaniam Jovis Olympici Pallium aureum memoratur. El. pr. Ubi ſimul & de Corona, oleaginæ frondis ad imaginem effictâ, docemur, quæ in altero capite radiat. Quod ad prius attinet, id Jovi Regi addicit Gemma apud Triſtanum T. III. pag. 336. addicit, ut diximus, Diadema, & ſuffragantur opinioni, non tantùm Plutarchus in princ. amatoriar. narrat. ubi Jovem cognomento *Regem* in Lebadia Bœotiæ cultum memorat, ſed & innumera Poëtarum loca: Apud Heſiodum in Operib. ψ. 69. Διὶ κρονίωνι ἄνακτι, *Jovi Saturnio REGI* obtemperant Dii. Et Homerus de Jove locutus Il. A. ψ. 529. canit:

Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο.

Ambrosiæ autem comæ defluxerunt REGIS
Ex capite immortali.

Ut alia taceam, quæ tàm apud Latinos, quàm Græcos prostant. Et hîc repetere longum foret. Subit

ISIS
CUM
CADUCEO,



Minutissima est hæc Gemma, non tamen adeò minuta, ut oculum fugiat vel Isis, vel rarissimum Isidis insigne', Caduceus. Isidem prodit Calathus, Serapidis alibi ornamentum, sed quod ei cum Iside commune fuit. Videri potest Numisma Hadriani apud Oiselium Tab. XLVII. n. 2. quanquam alibi Loti florem præferre soleat, aut etiam Tauri cornua, uti ex Plutarcho constat.

Caduceus me anxium tenet, subjecit ARCHÆOPHILUS, neque enim unquam caduceum ei datum memini, nec succurrit ejus ratio, nisi fortè ad fabulam Jûs respicere liberum sit, quam Mercurii solertia, Argi custodiâ liberavit. Caduceum certè Mercurii, qui cum, Diodoro teste, invenit, insigne esse nemo nescit, & Jo in Isidis Numen transiisse, Ovidius docet Met. l. 1. fin.

Ratio hæc, respondit DULODORUS, adeò futilis non est, quanquam propior sit, vel in genitură, vel in convictu. Isidem Mercurii filiam quibusdam creditam, Plutarchus author est. Locus adduci meretur, sed cum prolixior sit, Idiomate Romano: *Isidem*, inquit, *multi MERCURIO, multi Prometheo natam perhibent, quorum hunc Sapientiæ & Providentiæ, illum Grammaticæ & Musicæ inventorem esse, censent. Itaque Hermopoli etiam Musarum priorem Isidis & Justitiæ nominibus afficiunt, quòd sit, ut diximus, Sapientia.* Et iterum: *Rheæ occultè cum Sole congressæ Solem imprecatum, ajunt, ut neque in mense, neque in anno pareret, sed MERCURIUM amore Deæ captum cum ea coisse, ac deinde in ludo cum Luna victorem, septuagesimam partem cujusvis diei abstuliss̀e, atque ex his omnibus dies quinque confeciss̀e, ac CCCLX. anni diebus adjeciss̀e, quæ quinque dies nunc ab Ægyptiis Epagomenæ, id est adjectitiæ vocantur, & ut natales Deorum, festi aguntur. Primâ earum die Osirim natum, secundâ Arverin, quem alii Apollinem, nonnulli Orum seniorem dicunt: Tertiâ Typhonem, non suo tempore & loco, sed latere ictu perrupto exiluiss̀e: Quartâ Isidem in Panygris: Quintâ Nephtyn, quam & Finem & Venerem & Victoriam nominant. Patrem autem Osiridis & Arveris fuisse Solem, ISIDIS MERCURIUM Typhonis & & Nephthys Saturnum.* Hæc Plutarchus de Isidis genitura. Si convictum respicias

ſpicias, ex Diodoro doceberis, idque tribus in locis, quorum primô à Mercurio erudita, ſecundô Oſiride in militiam digreſsô, Mercurii conſiliis adjuta: tertiô cum Mercurio Oſiridem ſacrificiis & divinis honoribus dignata memoratur. Verba & ipſa ſubjici digna ſunt. Columnam memorat lib. I. pag. 16. utrique Deo cum ſacrarum literarum Inſcriptione erectam, in quarum una, Iſidis videlicet, hæc notantur: *Ego Iſis ſum, Regina hujus Regionis, A MERCURIO ERUDITA. Quæ lege per me ſancita ſunt, nemo ſolvere poteſt. Ego Saturni noviſſimi Dei Filia ſum natu maxima. Ego ſum Oſiridis Regis Uxor & Soror. Ego ſum, quæ prima fruges mortalibus peperit. Ego Regis Hori mater ſum. Ego ſum, quæ in Canis ſidere exoritur. Mihi Bubaſtos Urbs ædificata. Vale! Gaude! Ægypte mea nutrix.* Locum integrum adjeci, quia pleraque Iſidis amplectitur. Alter eſt eod. libro pag. 10. *Hic* ſc. Oſiris, inquit, *rebus Ægypti conſtitutis, & totius Regni adminiſtratione Iſidi Uxori in manus traditâ,* συμβούλον Ἑρμῆν *CONSILIARIUM MERCURIUM ei adjunxit, quòd Prudentiâ cæteros anteſtaret omnes.* Tertius locus eſt pag. 12. *Oſirim ex hominibus ad Deos translatum Iſis & Mercurius ſacrificiis, aliisque inter Deos præclariſſimis honoribus dignati fuêre.* Ex his omnibus utique ſufficiens ratio elucet, cur caduceus Iſidis tergo in noſtra Gemmula affictus ſit, licet in aliis hactenus, quòd recorder, non apparuerit. Mercurialem ſanè caduceum, etiam in Iſidis Pompa prælatum, apud Apulejum legimus, Librô ultimô Metamorphoſeων, ubi Dea hæc tanquam Panthea deſcribitur.

CAPUT PANTHEUM

INquit ARCHÆOPHILUS, etiam hæc Gemma nobis exhibet, eô planè modô præfiguratum, quò apud Gorlæum exhibetur, in Dactyliotheca. Imberbe eſt, cùm idem apud Seguinum, in Nummo Antonini Pii, barbatum prodierit. Ea differentia, quid ſi differentiam ſexûs arguat? Quid ſi barbatum Serapidem, imberbe Iſidem demonſtret? Id non dixero, reſpondit DULODORUS, potius enim eſt, ut imberbe Oſiridem ſtatuas, quem & radii demonſtrant. Rem ex reliquis inſignibus indubiè collegeris. Non fœminea ea ſunt, ſed virilia: Cornu arietinum Jovem Ammonem deſignat: Calathus Serapidem innuit: Tridens Neptunum prodit; Serpens Æſculapium aſſerit, de quibus vel in ſuperioribus jam dictum, vel in ſequentibus adhuc dicetur.

Mira compoſitio, inquit ARCHÆOPHILUS. Totne Deos ſub una figurâ exhibuêre? Imò, reſpondit DULODORUS, tot Deos non niſi unum crediderunt. Appoſitè Diodorus Siculus, qui Ammonem, Serapidem, Solem, Æſculapium idem Numen ſtatuit: Appoſitè ex Diodoro Euſebius, qui Oſirim

à quibusdam Serapin, ab aliis Bacchum, à nonnullis Plutonem, ab aliis Ammonem, vel Jovem, vel Pana, commemorat existimatum: Imò & Plutarchus, cui Osiris, Pluto, Bacchus, Serapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius, Numen idem denotant. Plura, eum in sensum, coacervare possem, sed ab aliis jam video prærepta. Id obiter adhuc monendum, in unico Sole, omnia hæc Gentilium Numina, & radicari & concurrere. Ita Eusebius non tantùm Solis virtutem salutarem per Æsculapium. Græcos expressisse testatur, sed & Dionysium, Plutonem & Serapidem, cum Sole eosdem creditos, plane qualiter & Macrobius, qui ut omnia, ità & Neptunum, Æsculapium, Ammonem & Serapin ad Solem refert.

Opportunè Neptuni mentionem facis, inquit ARCHÆOPHILUS, jam enim Tridentem non hujus, sed Plutonis, insigne credebam, eò quòd ab allatis Authoribus illius nulla, hujus autem crebra haberetur mentio. Plutonem, respondit DULODORUS, si connumeres, per me licebit, cùm sub Tridente Sceptrum ejus commodè intelligi possit. Ita & Bacchum forsitan indigitaverit, quam & ipsam hic cernimus, juvenilior facies. Sed alia subeunt. Et primò quidem

ISIS SERAPIDI AUT OSIRIDI JUNCTA.



SErapidi aut Osiridi? infit ARCHÆOPHILUS. An igitur Serapis cum Osiride idem? Id utique modò audivimus, respondit DULODORUS, licet, quod inficias ire non possum, effigiebus plerumque distinguantur. Plura sunt, quibus assertum adstruere possem, potius tamen argumentum non attulero, quàm expressam in Gemmis cum utroque Isidis effigiem.

Nisi Authorum suffragium accedat, regessit ARCHÆOPHILUS, vix assensero. Nec hôc destituimur, respondit DULODORUS. Varro de LL. Principes Deos, Cœlum & Terram facit, hosque eosdem esse asserit, qui in Ægypto sunt *Serapis & Isis*. Macrobius Sat. L. I. cap. 20. *Ægypto*, inquit, *adjacens Civitas, quæ Conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, SERAPIN ATQUE ISIN cultu penè attonitæ venerationis observat*. Ita & Lampridius in Severo, *Isium & Serapium* conjungit, & Inscriptio vetus apud Reynesium, ISIDI ET SERAP. habet, & alibi J. O. M. SAPAPI ISIDI FRUGIFERO &c. In tantùm certè conjunctio invaluit, ut secundum Oiselium, unâ voce *Isis Serapis* legi debeat in Inscr. Grut. pag. 312. & 84. Hæc de Isde Serapidi juncta, inquit ARCHÆOPHILVS, sed ubi de Osiride, quem in secunda Gemmâ cernimus.

Nec

Nec hîc, inquit DULODORUS, Authores desunt. Diodorus Siculus *Osirin & Isidem* Saturno & Ope, vel secundum alios, Jove & Junone prognatos, Osirin Bacchum, Isidem Cererem, utrosque autem conjugio junctos, memorat. Cœlius Rhod. observat, Osirin Nilum, Isidem Terram fuisse. Et in Inscr. Reynes. Cl. I. n. 139. ISIDI ET OSIRI mansionem memorantur ædificâsse Corporati Aurariorum & Argentariorum.

Hæc utut se habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, utut etiam in prima Gemmâ Isidem & Serapidem agnoscam; In secunda tamen, an Isidem & Osiridem admittere possim, valdè dubito. Quid enim? annon Radii & Luna falcata rem ad Solem & Lunam deducunt? Deducunt, inquit DULODORUS, sed id asserto de Osiride & Isde nihil derogat: Aperte enim Eusebius, *Priscos Ægyptios*, inquit, *SOLEM & LUNAM ferunt sempiternos esse Deos, omniumq; Principes censuisse, quorum alterum OSIRIN, alterum ISIN nuncupârint, additâ ratione, quod Osiris πολυόφθαλμον multis oculis præditum, idque ob radios, omnem in partem longè lateque diffusos, Isis verò παλαιὸν antiquam significet, propter antiquissimum & sempiternum ortum.* Quid ais ARCHÆOPHILE, an sufficiens hæc ad assertum ratio? Est, inquit ille; At quid monstri in sequenti exprimitur? Nihil aliud, respondit DULODORUS, quam

ABRAXAS
BASILIDIANORUM
cum specimine
GEOMANTIÆ ARABICÆ,

FIguram vides portentosâ variorum animantium compositione abominandam. Caput Galli est, Corpus Hominis, Pedes Serpentum. Basilidis videtur hoc opus, qui nominetenus Christianus, re ipsâ omnis impietatis magister fuit. Non meis hæc verbis enuncio, sed Eruditissimi Athanasii Kircheri, qui in Oedipi Ægyptiaci Gymnasio Hieroglyphico Classe IX. c. 6. docet, sub hâc figurâ non alium adumbrari, quam Abraxan, quó nomine, Hieronymo teste, in 3. c. Amos, omnipotentem Deum vocavit Basilides.

Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, eò deviam humanæ superstitionis dicam, an malitiæ? rationem potuisse dilabi, ut Deum omni cogitatione majorem, pusillis abjectissimorum animalium formis includere præsumserit. Si ad effigiem

hominis eum pinxiſſet, forſan excuſationem prætendere poſſet, eò quòd in Sacris legimus, ad imaginem Dei hominem creatum eſſe; Sed cum ad inſecta deſcenderit, quid reliquum ſit, non video.

Neque de humana effigie, reſpondit DULODORUS, ſani quid protulerit, cùm conſtet, imaginem Dei non in externis corporis lineamentis, ſed in animæ ſanctitate conſiſtere. Cœterùm, quis dijudicet, annon, ut ex perverſo intellectu imaginis Dei humanam figuram procudit, ita etiam ex æneo Serpente, Servatoris noſtri prototypo, figuras ſerpentum, & à Gallo Petri monitore, gallinacei caput deſumſerit? Egregium ſcilicet hoc arbitror, quanquam maximè impium, Sacroſanctæ Trinitatis ſimulacrum; Caput gallinaceum & roſtro armatum, & radiatâ criſtâ ornatum, quidni ſignificare poterit Spiritûs Sancti merita, quibus & de peccatis monemur, & ad ſanctiorem vitam illuſtramur? Homo dextrâ Coronam protendens, & ſiniſtrâ Scuticam extollens, quidni Deum Patrem, univerſi & Conditorem & Conſervatorem? Pietatis remuneratorem, malitiæ vindicem? Tandemque & Pedes ſerpentini, quidni æneum illum Serpentem Chriſtum? Unicum ſalutis noſtræ & auſpicem & fulcrum? Non temerè me huc delabi arbitreris, ARCHÆOPHILE, Gothofredus Wendelinus, Canonicus Tornacenſis in Epiſtola ad Chifletium apertè ſuffragatur. Ἄβραξαν ita interpretatus:

A.	Αβ.	אב	Pater	—	1.
B.	Βεν	בן	Filius	—	2.
P.	Ρουαχ	רוח	Spiritus	—	100.
A.	Ἁγιαδὼς	הקדש	Sanctus	—	1.
Σ.	Σωτηρία	—	Salvatio	—	200.
A.	Ἀπὸ	—	à Beneficio	—	1.
Ξ.	Ξύλου	—	Ligni	—	60.
					365.

Suffragatur & Epiphanius, adverſus Hæreſes lib. I. in indice: *Baſilides*, inquit, *cæleſtes orbes 365. conſtituit, quos angelicis nominibus afficit, ideoque totidem diebus annum conſtare cenſet, addit & ABRASAXAM, cujusdam virtutis nomen, quæ CCCLXV. numerum literis exprimit, idque SPIRITUM eſſe SANCTUM aſſerit*, & alibi: *Ex Angelorum numero unum conſtituit Deum, quem ut ab aliis diſtinguat, Judæis duntaxat præponit, ab illo verò formatum hominem docet.* Et denuò: *De Chriſto ſentit, ſpecietenus mortalibus apparuiſſe, eique vicarium Simonem Cyrenæum eſſe paſſum.* Intelligis ARCHÆOPHILE, Baſilidem Spiritum Sanctum hunc ipſum Abraxam appellâſſe, Deum Patrem, & Deum Filium non negâſſe, ſed illum inter Angelos repoſuiſſe, hujus autem merita cum Simone communicâſſe. Primum horrendam idololatriam ſapit: Secundum abominandam impietatem prodit: Tertium deteſtandam blaſphemiam memorat: Referenda tamen fuére, ut innoteſceret ratio duplicis ſerpentis, cùm ſub iis commodè & Chriſtum & Simonem intelligas: Ut innoteſceret ratio Thoracis, quòd ſcilicet Deus Baſilidi, licet inter Angelos reponeretur, tamen, eodem Epiphanio teſte, reliquis longè præfractior viſus fuerit, utpote, qui virium ſuarum audaciâ fretus, Iſraelitas ex Ægypto liberaverit, ad audendum paratus, & pervicax.

Non

Non incongruè philoſopharis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & forſitan aſſentirer, ſi inſcriptio Abraxan proderet, cùm autem IAΩ legatur, neſcio an non aliter hæc illuſtrari debeant. Scio, reſpondit DULODORUS, Kircherum per Galli faciem criſtasque, Solaris numinis poteſtatem: per ſcutum, qualiter apud ipſum pingitur, & ſcuticam omnium contrariorum abactionem: per ſtatuam Martis, operum Martiorum effectum intelligere, quò ſi reſpicias, utique, ſicut his ea Dei potentia adumbratur, quæ in cœlo & ſuper terram exeritur, ita & ſub ſerpentibus ea, quæ in terræ viſceribus, non incongruè latitare putabitur. Quod ab inſcriptione moves, dubium non involvit; Idem eſt Abraxas & ΙΑΩ, id quod ex Gemma Kircheriana patet, ubi utrumque nomen conjungitur. ΙΑΩ detortum eſt ex יהוה nomine Dei tetragrammato, uti in aliis CEBAΩ ex צבאות *Sabaoth*, ex quo vel ſolo intelligis, non Solem, quod quidam credunt, ſed Solis Dominum hoc ſchemate adumbrari, ſive ſub triplici animantium genere, Tres Divinitatis Perſonas Baſilidem intellexiſſe credas, ſive potentiam Dei, non in cœlo tantùm & terra, ſed etiam ſub terra efficaciſſimam.

Hæc ſi ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, procul dubiô hoc idolum fuerit, adeoque à Baſilidis Aſſeclis adoratum? Kircherus, reſpondit DULODORUS, amuleti loco ejusmodi Gemmas geſtatas aſſerit, quòd uti rejicere animus non eſt, ita quod in averſa propoſiti; Geomantiæ Arabicæ ſpecimen videam, quòd procul dubiô fauſti quid poſſeſſori portendit, nihil dubitem aſſerere, hunc ipſum ΙΑΩ ſive Abraxan eum creditum fuiſſe, qui manum puncta notantis duxerit, adeòque tam honoris, quam venerationis gratiâ, ſimul cum præſagio, Gemmæ incluſum fuiſſe.

Baſilides, reſpondit ARCHÆOPHILUS, in Ægypto vixit, adeòque mirum non eſt, ab Arabibus, utpote Ægyptiorum vicinis eum aliquid deſumſiſſe, an autem Geomantiam mutuatus ſit, & quæ illius apud Arabes fuerit ratio, ſi me edoceas, DULODORE, rem feceris, gratô ubique demerendam præconiô. Geomantiam, reſpondit DULODORUS, Magiæ ſpeciem eſſe non opinor dubitabis. Epiphanius, licet in ſpecie de Geomantia nihil, tamen in univerſum de artibus Magicis apertum teſtimonium perhibet, Baſilidem non tantùm Simonianis operam dediſſe, ſed & Magicis artibus ac præſtigiis perpetuò fuiſſe addictum, memorans. De Geomantia Arabum videndus omninô laudatus Athanaſius Kircherus, Oedipi Ægyptiaci Gymnas. Hieroglyph. Claſſ. IX. c. X. Ubi *Haſab ehrammal* Arabibus dictam, itàque peractam refert, ut prævia incantatione precatoriâ, quædam puncta in chartam temerè projicerentur, vel digito indice in terra imprimerentur, intelligentiâ occultâ manum projicientis, uti putant, dirigente. Ex punctis poſteà colligebantur certæ figuræ, figuræ revocabantur ad cœli ſigna, credebanturque eorum vim & naturam aſſumere, eaque ratione omnem fortunæ ſtatum conſulentibus aperire. Punctorum ordines ſeriesque ſchematiſmorum, ſimul cum Arbore, in dicto Authore videri poſſunt.

Is ad manus non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, eaque propter, ut diſtinctiùs loquaris, officiosè rogo. Id non tutiùs fecero, reſpondit DULODORUS, quàm ipſius Kircheri verbis: *Author Geomantiæ Arabicæ*, inquit ille, *primum Literis certos punctorum ordines tribuit, quibus in Onomatomantia ut plurimùm utuntur; Ex iis conficiunt alias Geomanticas punctorum Syſtaſes, quas duode-*

duodecim ſignis Zodiaci applicant. Ex his deinde arborem formant, in qua 24 rami ſunt totidem damnatæ artis Syſtaſes, omnium ad fortunæ ſortem ſpectantium rerum manifeſtatrices; Atque hac in parte imitantur arborem illam Caballiſtarum celebrem, quem Sephiroth vocant. Ex his aliæ punctorum Syſtaſes attribuuntur quatuor Elementis, aliæ ſeptem Planetis, aliæ duodecim Signis Zodiaci, aliæ 28. manſionibus Lunæ, aliæ denique (ne quicquam Superſtitionis Aſtrologicæ deſit) in duodecim Cœli domicilia diſtribuuntur.

DULODORUS adhuc loquebatur, cùm reſonans in Regia Tubarum Tympanorumque clangor animos avertit. Quærente cauſam ARCHÆOPHILO, Prandii tempus adeſſe reſponſum eſt: Et licet Antiquitatis Gazas ſibi dapum vel dulciſſimarum inſtar aſſereret eſſe, Dulodori tamen ſuaſu, luſtratis oculo fugiente, quæ ad Deos adhuc ſpectare videbantur, reliqua diſtulit, non tantùm ut ſibi vires reficeret, ſed etiam, & quidem præcipuè, ut *MONARCHÆ BRANDENBURGICI* jubar veneraretur, ut in Solio & Bellis, ita & inter Epulas, Regio omnino fulgore conſpicuum.

Oſtquam prima quies Epulis,
Menſasq́, coruſcans
Deſiit Harmonico mulcere Polymnia Plauſu.

Ad DULODORUM reverſus ARCHÆOPHILUS, quàm jucundo, exclamat, me recreâſti ſpectaculo. Multa paſſim de Conviviorum magnificentia jactantur, ſed fateor, magnificentius hôc me nunquam vidiſſe. Sumptuoſa Apparatuum diſpoſitio, Supellectilis aurea ſeges, Ferculorum gratiſſimus nidor, Miniſtrorum elegantiſſimus cultus, & quod caput rei eſt, Convivarum Divina Majeſtas, non terreni quid adumbrabant, ſed omninò Convivium id, quod Jupiter, ſi Poëtis fides, convocatis ad fercula Diis celebravit. *Elector* ipſe, inſtar Jovis, Aquilâ Sceptrigerâ ſublimis, ſapientiâ Jove dignâ radiabat. *Electrix*, Junonis inſtar, majeſtate cœleſti fulgebat. Aſſidebant *Procerum* Chori, Hic *Apollinem* referens, à quô

ET ORDO ET COPIA RERUM.

Ille *Mercurium*, cujus Eloquentiam

ET DISSITA SCEPTRA STUPESCUNT.

Iſte *Herculem*, cujus Prudentia

PACEM BELLUMQUE GUBERNAT.

Alius *Meleagri* æmulus, de Dianæ muniis loquebatur. Alius *Martis* inſtar, de Tropæorum decoribus. Alius, tanquam alter *Neptunus*, de Maritimorum itinerum Triumphis. Aderant *Gratiæ, Venerumque* formoſiſſimi greges. Aderat *Lætitiæ dator*,

Et pleno *Copia* cornu!

Tacuerat DULODORUS, ARCHÆOPHILUM audiens, grandiore ſermonis genio in Convivarum encomia provectum. Cùm remitteret ille; Næ Tu Aulam Brandenburgicam, inquit, vivis coloribus depingis, quanquam modeſtia nec Principis, nec Procerum ultra humanam ſortem ſe ſe extollat; Id autem omninò eſt addendum, medias inter dapes hîc non luxuriam, ſed temperantiam regnare, & Proceres, quos Diis comparâſti, ectypa eſſe Priſcorum Heroum, quorum laudatiſſima virtus, non coævam tantùm ætatem recreavit, ſed & ſeris nepotibus exempla ſuppeditavit. Plures in noſtris Gemmis hodienum occurrunt. Si ita Tibi videtur, etiam hos paulisper intuebimur.

Nihil mihi gratius erit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſurget enim ex virtutum gloria, unde dignas poſſim tanto Conſeſſui nectere coronas. Audi igitur & cerne! inquit DULODORUS. Elegantiſſimâ hâc in Gemmâ

THESEUS SUIS CROMMYONIÆ INTERFECTOR

Adumbratur. Theſeus? iteravit ARCHÆOPHILUS; At ego Herculem crederem. Si rationes audieris, opinionem te rejecturum non opinor. Herculem demonſtrat clava, demonſtrat muſculoſum corporis robur. Caput Apri ad Erymanthium refero. Et congeſta humi Poma, quidni vel Herculem Μήλων, qui Julio Polluci memoratur, vel ablata Poma Heſperidum indicabunt?

Poma Heſperidum, excepit DULODORUS, tria tantùm fuêre, id quod authoritate Apollodori lib. II. firmatur, qui Atlantem decerpris, ex Heſperidum hortis, tribus malis ad Herculem reduſſe, ejusque dolo Cœlum recepiſſe memorat, Herculem autem pomis, quæ Atlas depoſuerat, ſumtis abiiſſe. Scio alios non Atlantem, ſed ipſum Herculem, domito Dracone vigili, poma abſtuliſſe, memorare: Sed nihil ad rem. Tria enim, cum abſtuliſſe Eryſtheoq; attuliſſe, evincit etiam ſimulacrum Herculis Gaditani, in Numiſmate Hadriani, in quo Hercules tria tantùm mala præfert: Adeò ut mala Heſperidum hîc nullô modô intelligi poſſint. Quod ad Herculem Μήλων attinet, nihilo magis aſſentiri poſſum; Conſtat enim, ex eventu ſacrificii ita cognominatum eſſe, quòd ſc. Bœotii neceſſitate adacti, emanentibus ob Aſopi inundationem victimis, ne ſacrum intermitterent, loco ovium, pomum obtulerint, ſubditis ei quatuor bacillis, quæ pedum loco eſſent, compoſitisque duobus aliis, quæ cornua referrent. Quid hoc ad Poma, magnô numerô humi jacentia? Si modo Poma ea ſint, & non potius Lapides.

Opportunè mones, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſubit enim memoriam, ſimilis fere lapidum acervus, quem geminum cernimus in Tabula Heliaca, ab Hieronymo Alcandro juniore Lutetiæ Pariſiorum 1617. vulgata, ad quam eruditiſſimus Author ejusmodi lapidum cumulos, ad præfecturam viarum refert, quod ſc. in Hermularum honorem, in triviis erigi ſoliti ſint, uti probat ex Scholiaſte Nicandri in Theriacis, Epigrammat. Anytæ IV. Antholog. & Heſychio; Licet enim id in honorem Mercurii factum, aſſerant prædicti Authores, tamen & Herculem viis propoſitum, ideoque clavam ejus ſimul cum Mercurii caduceo ejusmodi cumulo impoſitam rite aſſeritur, idque vi Epigrammatis Leonidæ lib. I. Florileg. quô non minus Herculi, quam Mercurio viarum præfectura tribuitur;

Quan-

Quanquam & alia adhuc lapidum cumuli in Hercule ratio esse possit, eadem scilicet, quâ *Saxani* fortasse cognomen meruit, quòd scil. Herculi, innumerâ barbarorum multitudine oppressâ, deficientibus telis, Jupiter magnam vim lapidum obtulerit, quibus sese tutatus, hostes fugârit, uti ex Æschylo, Strabone, Hygino, idem Alcander docet. Possem tertiam rationem ex eodem subnectere, quod scil. Hercule Ilium obsidente, Telamon primò ingressus, ut Herculis iram leniret, lapides collegerit, interrogatusque respondent, Herculi Callinico se aram excitare. Quid videtur DULODORE? si mala Herculem non demonstrant, nonne demonstrabunt Lapides? præsertim cum Clava indubitatum hùc fulgeat Herculeæ dextræ monumentum.

Ego, respondit DULODORUS, nec Clavam nec Lapides indubitatum Herculis insigne crediderim: Non Lapides, quòd nullibi Herculem demonstrent: Non Clavam, quòd eam cum aliis communem habuerit. De Theseo sanè id apertè docet Plutarchus: Πρῶτον μὲν ἐν τῇ ἐπιδαυρίᾳ, περιφήτην, ὅπλῳ χρώμενον κορύνῃ, καὶ διὰ τοῦτο κορυνήτην ἐπικαλούμενον, ἀπτόμενον αὐτοῦ καὶ κωλύοντα προάγειν, συμβαλὼν ἀπέκτεινεν. ἡσθεὶς δὲ τῇ κορύνῃ λαβὼν ὅπλον ἐποίησατο, καὶ διετέλει χρώμενος ὥσπερ ὁ Ηρακλῆς τῷ δέρματι τοῦ λέοντος. ἐκείνῳ μὲν οὖν ἐπίδειξις ἦν φορούμενον, ἡλίκου τὸ μέγεθος θηρίου κρατήσειεν. οὗτος δὲ τὴν κορύνην ἐπεδείκνυεν ἠττημένην μὲν ὑπ' αὐτοῦ, μετ' αὐτοῦ δὲ ἀνίκητον οὖσαν. *Primum in finibus Epidauri Peripheten, qui pro armis utebatur clavâ, ideoque Corynetes, id est clavatus, appellabatur, apprehendentem ipsum & vetantem progredi, congressus cum eo, interfecit. Oblectatus clavâ, cepit eam pro armis, quâ deinceps est usus, ut pelle leonis Hercules. Atque illi id erat tegumen, quum immanem belluam superâsset, argumentum. Hic clavam ab se ostentabat victam, secum invictam esse.* Ex his Plutarchi verbis non tantùm patet, clavam Herculi cum aliis communem fuisse, sed & Theseum, cui propositam Gemmam vindico, eam gestâsse. Et quid si firmissimum simul ex iis contra Herculem argumentum formem? Non clava Plutarcho Herculis insigne statuitur, sed Leonis pellis; ubi autem Leonis pellis in propositâ Gemmâ? Lacinia à tergo dependet, qualis chlamys in alia Thesei Gemma, in Thesauro Palatino pag. 60. volitat. Quid? an ex his non colligam, Theseum hâc Gemmâ adumbrari, & non Herculem? Suffragatur caput Apri, neque enim Erymanthium sub eo intellexeris, cùm hunc non occiderit, aut dilacerit Hercules, sed vivum, aut saltem integrum, ad Eurystheum apportaverit. Vivum apportâsse, Apollodorus testatur: mortuum, sed tamen integrum, Albricus: adeò ut jam mirum non sit, cur Maximianus Herculeus Herculem, non cum capite apri, sed aprum gestantem, Numismate suo signârit. Præcipua gloria in rodore consistebat, quô aprum, qui plaustris vehi non poterat, humeris impositum ad Regem detulit, secus ac Theseus. Hic Aprum non gestavit, sed occidit. Audi eundem Plutarchum: Κρωμμυωνία σῦς ἦν φαιὰν προσωνόμαζον οὐ φαῦλον ἦν θήριον, ἀλλὰ μάχιμον καὶ χαλεπὸν κρατηθῆναι. Ταύτην, οὐδὲν πάρεργον (ὡσ μὴ δοκοίη πάντα πρὸς ἀνάγκην ποιεῖν) ὑποστὰς ἀνεῖλε. καὶ ἅμα τῶν μὲν ἀνθρώπων τοῖς πονηροῖς ἀμυνόμενον οἰόμενος δεῖν τὸν ἀγαθὸν προσφέρεσθαι, τῶν δὲ θηρίων καὶ προεπιχειροῦντα τοῖς γενναίοις μάχεσθαι καὶ διακινδυνεύειν. ἔνιοι δὲ φασὶ τὴν φαιὰν λῃστρίδα γονέσθαι γυναῖκα, φονικὴν καὶ ἀκόλαστον, ἀντόθι κατοικοῦσαν ἐν κρωμμυῶνι, σῦν δὲ ἐπονομασθεῖσαν διὰ τὸ ἦθος καὶ τὸν βίον, ἔπειτα ἀπὸ θησέως ἀποθανεῖν. *Crommyonia sus, quam Phæam cognomine dicebant, fera erat non contemnenda, sed pugnax, & haud quaquam prompta superatu. Hanc obiter, ne omnia videretur necessitate agere, excetram occidit, existimans juxta decere sortem virum, homines improbos ut ad vindicandum se aggrediatur, & feras generosas pugnâ lacessat, & cum iis depugnet. Sunt Phæam qui Mulierem latronem fuisse, atrocem & lascivam, referant, quæ ibidem habitabat in Crommyone, suem appella-*

pellatam ex moribus & vitâ, quæ ſit inde à Theſeo trucidata. Hæc Plutarchus; Adde etiam Strabonem lib. VIII. Ἡ δὲ κρομυὼν ἐστὶ κώμη τῆς κορινθίας, πρότερον δὲ τῆς μεγαρίδος. ἐν ᾗ μυθεύουσι τὰ περὶ τὴν κρωμυωνίαν ὗν, ἣν μητέρα τοῦ καλυδωνίου κάπρου φασὶ, καὶ τῶν θησεὼς ἄθλων ἕνα τοῦτον παραδιδύασι, τὴν τῆς ὑὸς ταύτης ἐξαίρεσιν. *Cromyon pagus eſt agri Corinthii, olim Megarici: Ubi fabulantur Suem fuiſſe Cromyoniam, matrem Apri Calydonii, cujus Suis cædes inter ærumnas THESEI numeratur.* Agnoſcis ARCHÆOPHILE, non imbelli ratione me Theſeum hîc ſtatuere. Corporis robur fruſtra in contrarium adduxeris; Quis enim neſcit, ſimilia ferè Herculi, Theſeum peregiſſe? Uterque cum Amazonibus pugnavit. Uterque Tyrannos ſuſtulit. Uterque feras mactavit. Taceo propinquitatem cum ex conſobrinis nati memorentur. Taceo divinam originem, cùm Ille ex Jove, Hic ex Neptuno prodierit. Sed ſpeciem ejus Pirithoum admiratum, ſed ipſum Herculem ejus facinora laudâſſe, ſed Cimonis operâ μεγάλου σώματος *magni corporis* ejus loculum repertum eſſe; imò tritum illud, Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, *alter hic Hercules*, de eo obtinuiſſe, id à me præteriri non debet. Idem Plutarchus rem edocet, ex quo & aliud ad Gemmam obſerves: Theſeum ſcil. non fruſtra hâc in Gemmâ comarum brevitate inſignem eſſe; Comam enim ex more Apollini ſacraverat, ſinciputque memoratur tonſus, antequam ſuem interficeret. Illud ſanè tonſuræ genus ab eo *Theſeis* appellatum eſſe, eodem Authore conſtat. Unicum adhuc moneo; Theſeum videlicet non tantùm Crommyoniam ſuem interfeciſſe, ſed & venationi Apri Caledonii interfuiſſe, cujus caput patinæ impoſitum, menſæque illatum, accumbentibus Meleagro, Atalanta, Dioſcuris, ipſoque Theſeo, in Manuſcripto Pighiano viſitur, quod Gaza El. Brandenb. aſſervat.

Adeò rationum Tuarum robur me conſtringit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ut nihil in contrarium ampliùs me habere haud invitus fatear. De lapidibus tamen & trunco, cui caput apri imminet, quid ſentias, apertiùs velim dicas, neque enim ex hactenus allatis ſatis capio, quî Theſeo quadrare poſſint.

Lapidum acervos, reſpondit DULODORUS, in Mercurii honorem erectos, vel Te monente, jam ſupra audivimus, & firmari aſſertum poteſt authoritate Suidæ, in voce ἑρμαῖον; λίθων σωρὸς ἀφιέρουν τῷ ἑρμεῖ ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις. *Lapidum acervos*, inquit, *in obſcuris viis Mercurio conſecrabant.* Non fruſtra addit ἀδήλοις, *in viis obſcuris*; Erant enim itinerum ſimul notæ, indeque forſitan & Theſeum, dum lapides accumulat, tale quid intendiſſe dixeris. Non obſcura tantùm ejus via erat, ſed periculoſa planè, quippe feris & latronibus infeſta, quam cum Theſeus repurgaſſet, quidni lapidum acervos, viæ & itineris ſui notas eum poſuiſſe, ſimulque laborum inſignia conſecrâſſe, arbitreris? Scio lapidum acervos etiam tumuli loco Antiquis fuiſſe, id enim duplici loco Pauſanias aſſerit: Scio Arabes in prædiis inimicorum *Lapides congerere* σκοπελίζειν conſueſſe, ſignificantes, interituros malo letho, qui ea colere adorti forent; Sed neutrum huc facere videtur: Non prius, quia vix eſt, ut Theſeus apro tumulum erexerit: Non poſterius, quia & temporis & gentis diverſitas rationem excludit. Propius eſt, quod ambitio Theſei ſuggerit. Herculem imitabatur, & Herculi Callinico à Telamone congeſtis lapidibus aram erectam, ſupra docuiſti; Quidni idem credatur feciſſe & Theſeus, ob victam Suem Crommyoniam, caput Suis tanquam tropæum oſtentans, coacervatisq; lapidibus pulcherrimæ victoriæ memoriam conſecrans, & credulis ſimul mentibus vanam quandam divinitatis, non opinionem tantùm, ſed & honorem propinans? Niſi potius in ſimplici facinoris gloria ſubſiſtas; Caput Suis enim, non trunco imminet, ut Tibi videtur, ſed lapidibus ſibi invicem ſuperpoſitis, qui ne corruerent, omninò neceſſe

neſſe erat baſin coacervatis lapidibus firmari. Vides ARCHÆOPHILE, nihil hîc præter Antiquitatis genium effictum eſſe, nihil quod non Theſeo ex amuſſi quadret. De Lacinia veſtis, Comâ, & Robore corporis, adhuc ſubjicio elegantiſſimum Pauſaniæ locum. Εστὶ δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐπίκλησιν Δελφινίου. λέγουσι δὲ ὡς ἐξειργασμένου τοῦ ναοῦ πλὴν τῆς ὀροφῆς ἀγνὼς ἔτι τοῖς πᾶσιν ἀφίκοιτο Θησεὺς ἐς τὴν πόλιν. Οἷα δὲ χιτῶνα ἔχοντος αὐτοῦ ποδήρη, καὶ πεπλεγμένης δὲ ἐυπρεπῶς ὀι τῆς κόμης, ὡς ἐγίνετο κατὰ τὸν τοῦ Δελφινίου ναὸν, ὀι τὴν στέγην οἰκοδομοῦντες ἤροντο σὺν χλευασίᾳ, ὅτι δὴ παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου πλανᾶται μόνη. Θησεὺς δὲ ἄλλο μὲν αὐτοῖς ἐδήλωσεν οὐδὲν. ἀπολύσας δὲ, ὡς λέγεται, τῆς ἀμάξης τοὺς βοῦς, ἢ σφίσι παρῆν, τὸν ὄροφον ἀνέβαλεν ἐς ὑψηλότερον, ἢ τῷ ναῷ τὴν στέγην ἐποιοῦντο. *Eſt & alia item Apollinis, quem Delphinium appellant, ædes. Ea cum ad faſtigium perducta jam eſſet, ajunt incognitum adhuc THESEUM Urbem introiiſſe TALARI PALLA, & COMA eleganter compoſitâ: Atque ut primum ad Delphinii acceſſit, rogatum per illuſionem ab iis, qui faſtigium erigebant, quid ita nubilis virgo ſola erraret: Eumque nihil aliud reſpondiſſe, ſed disjunctis à plauſtro, quod in proximo erat, bobus, culmen templi altius, quam fabri ſtatuerant, projeciſſe.* Sed hæc de Theſeo ſufficiant, ſuccedit

PHOENIX.

AN Amyntoris filium dicis? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quem, maternis precibus impulſum, cum Pellice Patris concubuiſſe, indeque obortâ, poſt imprecationes cæcitate, Achillis nutricium fuiſſe, Homerus cecinit? Non hunc, inquit DULODORUS, ſed Agenoris, aut ſi mavis, Neptuni Filium, qui Phœnicum conditor exſtitit. Huic ut Gemmam adjudicem, expreſſa à capite Palma ſuadet, quæ, quòd Græcis φοίνιξ dicatur, & Regionis decus, & Nominis etymon mihi videtur adumbrare.

Specioſa ratio eſt, perrexit ARCHÆOPHILUS; At, niſi fallor, ſimilè omninò caput, apud Urſinum, non Phœnici, ſed Hyacintho tribuitur. Fateor, reſpondit DULODORUS, caput propoſito ſimillimum eſſe, quanquam non palmam, uti noſtrum, ſed ramum myrti oſtentet, ex quo forſitan Adonin, aut alium Veneris amaſium, agnoſcas: Quid enim Hyacinthum arguat, fateor me nondum aſſequi.

Fortaſsè, perrexit ARCHÆOPHILUS, ramos, capitibus affictos, ad perſonarum, non tàm differentiam retuleris, quàm gloriam; Ità enim & Salluſtius author, apud Illuſtr. Patinum, in Theſauro Maurocceno, Palmâ: Ità Apulejus, in Specim. Morell. Oleâ inſignitur. Hos adjectum nomen diſtinguit, reſpondit DULODORUS, in Gemmâ autem, cum nomen deſit, quidni veriſimiliter id ex adjectis inſignibus colligamus? Ad Apuleji effigiem Comam notare libet, eodem modô & diſpoſitam, & faſcia preſſam, quô & in noſtrâ Gemmâ, non quòd eadem utrinque perſona ſit, ſed quòd Gentium cognatio etiam in moribus elu-

ceſcat. Apulejus Madaurenſis fuit, ex Africâ, non procul à Carthagine, oriundus. Carthaginenſes à Phœnicibus deſcenderunt, & hi à Phœnice noſtro denominati, inter orientis populos rite cenſentur, quos comas nutriviſſe, Herodotus author eſt. Eòdem facit & effigies Adonidis, quem Orpheus ἁβροκόμην *mollibus comis insignem* memorat.

Probabili, excepit ARCHÆOPHILUS, hæc ratione nituntur, licet non invictâ. Operæ pretium erit, Antiquorum de Phœnice teſtimonia inſpicere. Si quæ ad manus ſunt, ut communices, officiosè rogo. Id agam, reſpondit DULODORUS; & primò quidem Stephanus rem paucis: Ὁ δὲ Φοίνιξ ἦν Ἀγήνορος παῖς, ἢ ποσειδῶνος καὶ λιβύης. τὸ ἐθνικὸν τῷ ὀνόματι τοῦ οἰκιστοῦ Φοίνιξ. *Phœnix erat Agenoris filius, vel Neptuni & Libyæ. Gentile NOMINE CONDITORIS PHOENIX.* Suffragantur Scholia ad Platonis Epiſtolam ad Dionis Amicos, Lucæ Holſtenio citata. Φοίνικες ἀπὸ Φοινίκης χώρας. αὕτη δὲ ἀπὸ Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος καὶ Μερόπης τοῦ Νείλου. Imò & Apollodorus L. III. pr. *Agenor in Europam profectus, Telephaſſam conjugem duxit, ex quâ Europam filiam & Cadmum, Phœnicemque mares, & Cilicem ſuſtulit. Cùm Europam nusquam comperiſſent, alius alio commigrârunt, PHOENIX IN PHOENICEM ſe contulit.* Hoc ante Bellum Trojanum. Belli Trojani nos admonet

DIOMEDES
PALLADIUM EX ILIO AUFERENS.



Diomedes? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi alia mens, jam dudum Gemmam hanc contemplanti. Conſtat, Diomedem non ſolum, ſed cum Ulyſſe, Palladium abſtuliſſe; Annon potiùs igitur aliquem pro Patriâ ſe devoventem agnoſcamus, qualiter Decios legimus? Favet figura nuda aræ inſidens. Favet Pugio, quem ſiniſtra ſtringit: & Clypeus & Haſta, non obſcura indicia, rem pro Legionibus Romanis, & inter arma geſtam. Et quidni addam etiam Palladium, ſecuritatis publicæ & felicitatis pignus, præſentiſſimumque fortiſſimi facinoris teſtem? Omnia talia ſunt, qualia de Deciis perſuadent Statuæ, qualia Gemma apud Fortunium Licetum: Qui licet eam, quam proponit, potiùs de Brenno, aut Ajace intelligendam arbitretur, mihi tamen ob Palladium, propoſitam de Decio explicaturo, haud obſcurè videtur famulari.

Nihil minus, reſpondit DULODORUS; Ipſe enim Licetus ex Livio ſatis demonſtrat, Decium non nudum, ſed ſumtâ togâ, velatôque capite, & manu ſupter togam ad mentum exertâ, imò & ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem, ſe devoviſſe, & poſt devotionem, non manu ſuâ ſe interemiſſe, ſed Equitem in hoſtium agmen impetum feciſſe, & ita telis confoſſum occubuiſſe. Quid horum ad Gemmam noſtram quadrat? Quid ad ſtatuas, de quibus loqueris?

Quod

Quod Diomedem non ſolum, ſed cum Ulyſſe, Palladium abſtuliſſe memoras, Virgilius potuit ſuppeditâſſe, Æn. II. ℣. 163.

— — *Impius ex quo*
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuêre ſacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas auſi Divæ contingere Vittas.

Imò & apud Ovidium eam laudem ſibi ſoli videtur vindicare, non Diomedes, ſed Ulyſſes lib. XIII. Met. ℣. 336.

Quam rapui Phrygiæ ſignum penetrale Minervæ,
Hoſtibus è mediis.

Cui & ſuffragatur Hector apud Euripidem in Rheſo ℣. 497. ſeqq.

Αἴας ἐμοὶ μὲν οὐδὲν ἡττᾶσθαι δοκεῖ,
Χ' ὁ Τυδέως παῖς ἐστὶ δ' αἰμυλώτατον
Κρότημ' Ὀδυσσεὺς, λῆματ' ἀρκούντως θρασὺς
Καὶ πλεῖστα χώραν τὴν δ' ἀνὴρ καθυβρίσας.
Ὃς εἰς Ἀθηνᾶς σηκὸν ἔναγχος μολὼν,
Κλέψας Ἄγαλμα, ναῦς ἐπ' Ἀργείων φέρει.

Ajax mihi quidem nullo inferior videtur,
Et Tydei filius: Eſt autem præterea facundiſſimum
Crepitaculum Ulyſſes, & ſatis ferox animo,
Qui vir affecit contumeliâ hanc regionem plurimâ
Qui nuper in templum Palladis profectus,
Furatus Palladium, ad naves Argivorum tulit.

Adeò, ut hactenus non abs ratione, Diomedi Ulyſſem non tantùm adjungere, ſed etiam præponere debeamus. Addere poſſem & Tabulam Iliacam, cujus terſiſſimam interpretationem adornavit Doctiſſimus Raphael Fabretti, niſi meæ potius opinioni favere videretur. Duo quidem in eo ex porta Trojana egrediuntur, Diomedes ſcilicet & Ulyſſes, uti ſubſcriptio teſtatur, ſed alter tantum, qui præcedit, Palladium geſtat: Appoſitè hac in parte ad mentem Cononis apud Photium Narrat. XXXIV. *Miſſi*, inquit, *ad Palladium furto auſferendum Diomedes & Ulyſſes, evaditque in murum per Ulyſſis humeros conſcendens Diomedes, neque tamen manus tendentem Socium attraxit, ſed ad Palladium abiit, eoque ablato, ad Ulyſſem revertit: Ita cum per plana redirent, interroganti ſingulatim omnia Ulyſſi, hominis aſtutiam non ignorans reſpondit, non quod Helenus Palladium indicaſſet, ſe accepiſſe, ſed pro eo aliud quoddam. Verum moto ſortè fortuna Palladio, agnovit Ulyſſes, illud ipſum eſſe. Quare à tergo ſe ſtatuens Diomedis, interfecturus illum, gladium ſtrinxit, quò ipſemet Achivis Palladium adferret. At dum plagam inflicturus eſſet, vidit Diomedes, ſplendente tum forte Lunâ, enſis vibrati lucem. Ita Ulyſſes à cæde abſtinuit, ſtringente viciſſim gladium Diomede, qui & timiditatem illi exprobrans, & gladii laminâ, quod antecedere nollet, humeros verberans, eundem ante ſe egit.* Eadem fermè etiam apud Servium legas, ad dictum Virgilii locum, ideò potiſſimum ad Gemmam noſtram memoranda, quòd Diomedem *ſolum* Palladis templum intrâſſe, *ſolum* Palladium abſtuliſſe apertè demonſtrant; Neque enim, quod vel apud Ovidium ipſe Ulyſſes de ſe gloriatur, vel apud Euripidem de Ulyſſe Hector, tanti momenti eſt, ut aliud perſuadere debeant. Hector Trojanus fuit, apud quos Ulyſſis nomen ob aſtutiam formidoloſius facilè efficere poterat, ut ei ſoli tribueretur, quod licet non fecerat, feciſſe tamen cupiebat videri. Oratio ejus apud Ovidium

Ovidium, licet ambitionis pleniſſima, eò tamen impudentiæ progreſſa non eſt, ut Diomedem excluderet.

Pars eſt ſua laudis in illo,

inquit, ℣. 350. Sic Eloquentia non abſtulit Diomedi gloriam, at dubiam fecit. Hinc eſt, quòd Pauſanias, neſcio an cautiùs? an obſcuriùs? Διομήδης ἦν, καὶ Ὀδυσσεὺς, ὁ μὲν ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον, ὁ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου: *Diomedes*, inquit, *aderat & Ulyſſes, quorum alter Philoctetæ arcum in Lemno, alter Palladium ex Ilio auſert.* Obſcurè, inquam, quia non tantùm in Palladio auferendo, ſed etiam in arcu Philocteti, ſive mavis ipſo Philocteto, in Græcorum caſtra adducendo, ſi Quintum Smyrnæum audis lib. IX. ℣. 334 & 422. uterque fuit, & Diomedes & Ulyſſes: Quibus poſitis neſcio, an interpres Pauſaniæ Amaſæus vapulare debeat, qui locum ita vertit. *Extant Diomedes è Lemno Philoctetæ ſagittas reportans, & Ulyſſes ex Ilii arce Palladium ſurripiens.* Quanquam & pro noſtra opinione, & pro rei veritate magis faceret, ſi vice versâ, Ulyſſi arcum Philoctetæ, Diomedi autem Palladii ablationem tribuiſſet, quod nec ipſum contra Pauſaniæ mentem foret. De Diomede certè teſtari poterit Juno, quæ apud modo citatum Q. Smyrnæum, lib. X. ℣. 350. & ſequentibus rem totam Diomedi tribuit, Ulyſſem autem tantùm Diomedis comitem facit. Verba hæc ſunt:

Ὡς τε δι ἐγνεσίῃσι κρατερῷ Τυδέος υἱὸς
Ἑπτομένου ὀδυσῆος ὑπὲρ μέγα τεῖχος ὀροῦσαι
Ἀλκαθέῳ στονόεντα φέρειν ἤμελλον ὄλεθρον,
Ἁρπάξας ἐὔελσουσαν εὐφρονα τριτογένειαν.

Ut deniqúe ejus inſtinctu robuſti Tydei filius,
Comitante Ulyſſe, ſuper ardua irrumpens mœnia,
Flebilem allaturus ſit interitum Alcatheo,
Ubi ſapientis Minervæ ſimulacrum non invitum abſtraxerit.

Teſtari poterit, quòd Palladium ex Trojano agro Diomedes ſecum aſportavit, & tranſeunti Æneæ obtulit, cujus rei Servius teſtis eſt, ad d. locum. *Hoc (Palladium)* inquit, *quum poſtea Diomedes haberet, (quod & Virgilius ex parte tangit, & Varro pleniſſimè dicit) credens ſibi non eſſe aptum, propter ſua pericula, transeunti Æneæ offerre conatus eſt. Sed quum ille velato capite ſacrificans converteſſet, Nautes quidam accepit ſimulacrum. Unde Minervæ ſacra non Julia gens habuit, ſed Nautarum.* Teſtari poterit & ipſa noſtra Gemma, quæ Diomedem eo habitu effingit, quô Palladio ex ſublimi revulſo, per aram, quâ fultus aſcenderat, rurſus deſcendit; Id enim ſolum feciſſe, vel indè colligas, quòd antè murum, Ulyſſem relictum, ſupra ex Photio diximus, indeque non mirum, quòd Haſtam & Clypeum paulisper ſepoſitos videamus: Non mirum, quòd Pugionem, aut ſi mavis Gladium ſiniſtrâ teneat; Gladio enim Ulyſſis inſidias eum retorſiſſe conſtat. Palladium, quod in noſtra Gemma integrum eſt, cùm in Gemma Fabretti tantùm appareat dimidium, ad deſcriptionem Virgilii viſitur

Parmamque ferens, haſtamque trementem.

In ſequenti Gemma exhibetur

MILO

MILO CROTONIATES BOVEM GESTANS.



DE Milonis, Diotimi filii, Crotoniatæ viribus, plura exstant apud Pausaniam exempla: Quòd scilicet palmas Olympicas sex obtinuerit, easque de luCta omnes, & ex iis puerilem unam; Sex præterea Pythicas è virorum, unam è puerorum certamine: Quòd Statuam suam intra Altin suis humeris deportaverit: Quòd punicum malum, ita manu compressum tenuerit, ut neque qui conatus esset, extorqueret, neque ipse tamen illud elideret: Quòd peruncto disco cùm institisset, omnes ludibrio habuerit, qui se detrudere quantovis impetu facto conarentur: Quòd caput nervo, non aliter quàm redimiculo, aut coronâ, incinxerit, incluſoque, quantâ maximâ vi poterat, compresſis labiis Spiritu, cùm venæ capitis, sangvine plurimo intumuiſſent, venarum robore nervum ruperit: Quòd porrectâ dextrâ ubi cubitum lateri admoviſſet, sublatoque pollice reliquos digitos junctim intendiſſet, nemo fuerit, qui minimum ullo nisu potuerit à cœteris abjungere. Hæc apud Pausaniam exstantia, & quod apud Strabonem memoratur, labascente in contubernio Philosophorum columnâ, ipsum Milonem subiisse, reliquisque salvis, demum & se, ruituro oneri subtraxisse, de robore abunde testantur, adeò ut mirum non sit, in Gemma nostra Taurum humeris ejus impositum cernere: Non mirum, Herculei corporis compagem moli non succumbere. Sed penitiùs res est dilucidanda. Athenæus audiatur: Non tantùm viginti carnis libras, & totidem panis, Milonem ediſſe, tresque congios vini bibiſſe, edocet, ex quo roboris fomes, sed & *quadrimum Taurum humeris impoſitum per ſtadium geſtaſſe*, quem postea & ipsum ante Jovis aram mactaverit, unoque die devoraverit integrum: Imò & suppeditat eam in rem, nobiliſſimum Epigramma Doriei Poëtæ, quòd eodem jure, quô Statuæ ejus subnexum creditur, etiam Gemmæ nostræ subscribimus:

Τοῖος ἔην Μίλων ὅτ' ἀπὸ χθονὸς ἤρατο-βρῖθος
Τεταρτῆ δάμαλιν ἐν Διὸς ἑιλαπίναις
Ωμοις δὲ κτῆνος τὸ πελώριον ὡς νέον ἄρνα
Ἤνεγκεν δι' ὅλης κοῦΦα πανηγύρεως
Καὶ δάμβος μὲν. ἀταὰρ τοῦδε πλέον ἤνυσε θαῦμα
Πρόσθεν πισαίου ξεῖνε θυηπολίου
Ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, εἰς κρέα τόνδε
Κόλας, πάντα κατ' οὖν μοῦνος ἐδαίσατο νιν.

Talis erat Milo, cum è terra ſuſtulit onus,
Quadrimam Juvencam in Jovis conviviis,
Pecudem ſanè ingentem, tanquam novellum agnum
Leviter ferens per totum illum hominum conventum,

Ad quod obſtupuerunt: Verum quod majori dignum eſt
admiratione, ille patravit,
Ante aram, ô hoſpes, ad quam Piſis Jovi ſacrificant;
Quem enim Bovem, jugo ſolutum, in pompam deduxit,
In carnis fruſta diſciſſum comedit ſolus.

Hæc quàm concinnè Gemmam explicent, agnoſces, opinor, honoratiſſime ARCHÆOPHILE! Nihil reſtat, quàm ut elegantiſſimum Artificis ſpecimen laudes, quàm maſcule Athletæ noſtri corpus cœlaverit, quàm facili greſſu robur oneri par oſtenderit: Nihil reſtat, quàm ut fluxam virium humanarum fidem agnoſcas. Idem Milo, qui hîc Taurum ferendo, fortitudinem demonſtrat, & toties victor congreſſus memoratur, is ipſe, inquam, Pythagorâ apud Ovidium XV. Met. teſte,

Flet ſenior, cùm ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidarum morte ferarum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos,

Idem &, Cicerone memorante in Catone majore, cùm ſenex in curriculo Athletas ſe exercentes videret, lacertos ſuos reſpexit, illachrymansque dixit: *At hi quidem jam mortui ſunt.* Idem, cùm virium fiduciam reſumeret, fatalem expertus eſt. Hiſtoriam habent Pauſanias, A. Gellius, Val. Maximus. Cùm iter faciens quercum in agro, cuneis adactis fiſſam vidiſſet, fretus viribus acceſſit ad eam, inſertisque manibus divellere conatus eſt, quas arbor, excuſſis cuneis in ſuam naturam revocata, compreſſit, eumque cum tot Gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

ARCHÆOPHILUS, DULODORO perorante, Gemmam adhuc inſpiciebat. Finito diſcurſu, quemcunque referat, inquit, elegantiſſimum hoc nobilioris cœlaturæ ſpecimen, meretur ſanè locum inter delicias noſtras non poſtremum. Quemcunque referat? excepit DULODORUS; Ergo de Milone adhuc dubium arbitraris?

Dubium, quod mihi ſubnaſcitur, regeſſit ARCHÆOPHILUS, tanti forſitan non eſt, ut proponi mereatur, attamen pro conceſsâ mihi libertate, non celabo. Memini Milonis Statuam apud Philoſtratum, non de robore, Apollonio intelligi, ſed de ſacerdotio Junonis: Memini Statuam aliter deſcribi, imò & ſecundum alios, non Crotonem tantùm Taurum comediſſe, ſed & Herculem, eum ſcil. quem in Rhodo Theodamanti abſtulit. Idem Philoſtratus rei teſtis eſt in Imaginibus lib. II. Hoc inficias non iero, reſpondit DULODORUS, cùm ab ea comeſtione βουβοίναν Herculem dictum, Suidas aſſerat; Sed diverſa ſunt Taurum geſtare, quod in Gemma fit, & Taurum comedere, quod Hercules memoratur feciſſe. Ita nec obſtat vel diverſitas Statuæ apud Philoſtratum, vel etiam Apollonii interpretatio, cùm alius ibi habitus alium actum ſignificet, & in Antiquitatis ænigmatibus interdum & ad myſticum ſenſum decurrere liceat, id quod alibi latiùs docebimur.

DULODORUS orationem ulteriùs videbatur extenſurus; At ARCHÆOPHILUS, ſive quòd Gemma jam ſatis dilucidata eſſet, ſive quòd aliorum cupidine traheretur; Aſſentior inquit, neque enim iis diutiùs immorandum duco, cùm potiora adhuc ſuperſint, & dabis ſpero veniam, ſi opinione meâ in quibusdam Tuam interpretationem antevertam. In ſequenti annon exhibetur

PERO

PERO CIMONIS FILIA PATREM IN CARCERE LACTANS?

Ipſe utique Cimon ſedet, tanquam ſaxo alligatus. Adſtat filia, & ægrè ſe moventi, tanquam mammas præbitura, pectus obvertit. Valerium Maximum audi, & fidem habebis. Ita ille lib. V. c. 4. *Idem* inquit, *de pietate Perus exiſtimetur, quæ Patrem ſuum Cimona conſimili fortunâ affectum, pariſque cuſtodiæ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo admotum aluit. Hærent & ſtupent hominum oculi, cùm hujus facti pictam imaginem vident, caſusque antiqui conditionem, præſentis ſpectaculi admiratione renovant: In illis mutis membrorum lineamentis viva & ſpirantia corpora intueri credentes. Quod neceſſe eſt, animo quoque evenire, aliquanto efficaciore picturâ literarum, vetera pro recentibus admonito recordari.* Hæc Valerius Maximus: *Idem*, inquit, quòd ſimile planè pietatis exemplum, filiæ in matrem, modò narrâſſet, cujus ob factum, carcer in Pietatis templum mutatus eſt. De Patre Cimone notandum, non eum notari, cujus vita apud Cornelium Nepotem exſtat, quique Patri ſuo ſepulturam voluntariis vinculis emit, ſed incertum quendam, Græci tamen generis: Imò & de nomine adhuc dubium eſſe, cùm alii non Cimona, ſed Conona vocent, & hoc quidem ex Coleri conjecturâ rectiùs, cùm Cimonis nomen ex ſequenti hiſtoriâ facile irrepere potuerit. Sed quid in his diutiùs ſubſiſto? quidni excellentiſſimam artis præſtantiam & hic admiror, quæ minutiſſimos vultus, in patre barbatum & ſenilem, in filia imberbem & juvenilem, juxtaque venuſtiſſimum expreſſit? quæ maſculum corpus rudiore muſculorum extuberantiâ exaſperavit, fœmineum autem ſucculentâ lenitate excoluit?

DULODORUS, qui hactenus tacuerat, Gemmæque contemplandæ intentus auſcultârat, tandem reſpondens, quod ad artem, inquit, attinet, rectè ſentis, Ornatiſſime ARCHÆOPHILE, quod de Cimone, ejusque filiâ attuliſti, placet & ipſum, licet fœmina hæc aperte viro huic mammas non præbeat, qui actus totius hiſtoriæ quaſi anima videri poſſet; Conſtat enim Cœlatores interdum plus arti, quàm hiſtoriæ indulſiſſe: Ita nec obſtabit, quòd filiam ante oculos Patris nudam effinxerit, cùm & Deorum & Hominum, in Antiquitatis reliquiis, nuda proſtare ſimulacra, neminem lateat, & vincula, quibus brachium ſaxo adſtrictum videtur, captivitatis haud adeò obſcuri indices ſint. Hæc utcunque ſe habeant, haud tamen celabo, quid aliis de hâc Gemmâ viſum fuerit. Pietas fœminarum maritalis adducebatur, cujus exemplum ſuppeditant Lacenæ Myniarum, quæ Valerio Maximo teſte, permutatione veſtium, maritos ex carcere liberârunt: Adducebatur, ex recentiore hiſtoriâ, Clara Cerventa, Bernardi Waldauræ conjux, quæ tenerrima & formoſiſſima cùm eſſet, maritum tamen & annis gravem, & intolerabili valetudinis rabie abominandum, miro amoris zelo

ad mortem usque sollicitè fovit. Ludovicus Vives de ea videri potest, in tractatu de Christiana Fœmina lib. II. Regessi, ad prius de senio dubium esse, & ad posterius, non modernorum nos rimari opera, sed Antiquitatis hîc tractare reliquias. Instabant, aliud Exemplum licet non fidei maritalis, à Gemmâ tamen minimè alienum suppeditare Sacras Literas 1. Regum cap. I. in Davide. Verba ita habent: *Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cùmque operiretur vestibus, non calesiebat. Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus* Domino *nostro Regi adolescentulam virginem, quæ stet coram Rege & foveat eum, dormiatque in sinu suo, & calesaciat Dominum nostrum Regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & invenerunt Abisag Sunamitidem & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege, & ministrabat ei, Rex verò non cognovit eam.* En Regem, inquiebant, senem! En Virginem formosam coram Rege stantem, eundemque fovcntem, qualiter in Gemma exprimitur! quid prohibet quò minus Davidem hîc agnoscamus? Illud potissimùm, respondebam, quòd nullum Regii fastigii in eo appareat insigne. Columna quidem à tergo fœminæ visitur, & ei nescio quid impositum, sed sedile, & religata dextra carceri propior est, quàm Regiæ spondæ, eaque ratio me cogit, ut & Tibi potius assentiar, Politissime ARCHÆOPHILE, quanquam operæ pretium juxta putaverim, etiam ea recensere, quæ in rem præsentem ab aliis allata fuêre.

PSYCHE

Nos vocat, cujus effigies cum eâ incidit, quam Leonh. Augustinus pag. 74. ex Sarda protulit. Pulchritudo tanta eam commendat, ut mirum non sit, & Cives ad Advenas, formositatis admiratione stupidos, eam ut Venerem veneratos esse.

Venusta est, inquit ARCHÆOPHILUS, fateor, & quidem usque adeò, ut nec exprimi, ac ne sufficienter quidem laudari possit. Sed an venustas indubitatum Psyches indicium erit? an nullæ aliæ vel inter homines, vel inter Deas eâdem inclaruerint? & si inclaruêre, quâ basi hanc Psychen esse evinces? Non aliâ, inquit DULODORUS, quàm quæ in ipsa Gemma radiat. Papilionem affictum cernis. Hic, quòd & ipse *Psyche* vocaretur, commodè mihi *Psyches* nomen videtur exprimere. Psychen dictam ex Plutarcho discimus. Ita ille Sympos. II. Quæst. 3. ὡς δὲ κάμπη γὰρ τὸ πρῶτον, εἶτα ἐκπαγέισα διὰ ξηρότητα καὶ περιῤῥαγεῖσα, ἕτερον πτερωθὲν δι αὐτῆς τὴν καλουμένην ψυχὴν μεθίησι. *Ut verò primum nascitur eruca, deinde siccitate concrescens tandem rumpitur, atque è se aliud animal exhibet, quod PSYCHE dicitur, PAPILIONIS GENUS quoddam.*

Ψυχὴν, inquit ARCHÆOPHILUS, *Animam* hactenus interpretatus sum, indeque sensum fabulæ, quam copiosè Apulejus enarrat, cum Fulgentio ad Animæ cupiditates, secutasque ex illis miserias retuli. Nec id malè, subjecit DULODORUS, Hesychio enim teste, Ψυχὴ καὶ πνεῦμα καὶ ζωίφιον πτηνὸν, *Psyche* & *animam* significat & *papilionem*.

Quæ

Quæ autem utriusque convenientia? repoſuit ARCHÆOPHILUS. An Anima, pretioſiſſima illa Divinæ Auræ particula, tàm vili comparetur animalculo? In Gentilibus, reſpondit DULODORUS, id mirum non eſt. Aëreum enim papilio, & leve eſt animal, & Anima ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, *à vento* denominata, imò nec aliud, quàm ventus, aut aër Gentilibus credita eſt. Celeb. Spon in Miſcellis pag. 8. eà de re videri meretur. Rem latiùs demonſtrat, addítque hoc ſchemate Metempſychoſin aptè præfigurari, quòd papilio ſemper vicisſim moriatur in vermem, & ex eo iterum reviviſcat, continuâ hâc ſerie nunquam deficiens.

Velum reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, quid hæc ad Pſychen? Flammeum eſt, inquit DULODORUS, indicatque cum Cupidine nuptias; Ita enim Apulejus de hâc ipsâ Pſyche. *Puella nuptura*, inquit, *detergit lacrymas ipſo ſuo FLAMMEO.* Et Plinius L. XXI. c. 8. *Lutei*, ſcil. coloris, inquit, *video bonorem antiquiſſimum, in NUPTIALIBUS FLAMMEIS totum fœminis conceſſum.* Ex quo loco flammeum lutei coloris fuiſſe conſtat.

Sed quæ ratio ejus? perrexit ARCHÆOPHILUS. A Flaminibus petenda eſt, reſpondit DULODORUS, à quibus flammeum dictum arbitrantur. Flaminibus, Plutarcho teſte, non concedebatur divortium, & mortua Uxore Sacerdotium abdicabant. Quid inde conficitur? ſi non, quod Robortellus ad Catullum ait, flammeum Sponſis, tanquam auſpicatum, amorisque perpetui & firmi indicium fuiſſe?

At firmo amore, inquit ARCHÆOPHILUS, Pſyche uſa non eſt. Suâ id culpâ, reſpondit DULODORUS. Si Cupidini obtemperâſſet, ſalutaria ſuadenti, irrupta copula fuiſſet. Obſervent hoc Uxores, & maritis obedire diſcant, ne cum Pſyche in miſeriarum ſe conjiciant barathrum. Fœmineæ levitatis hæc merces eſt. Conſtantiæ Virilis exemplum aboculos nobis ponit

EPAMINONDAS
ſaucius ex acie Mantinea reductus.

EXiguam hîc oſtendo Gemmam. Scalptura, niſi acrius oculorum aciem intendas, obſcurior videbitur, tantâ enim ſubtilitate hîc luſit Artifex, ut niſi vel microſcopio adjutus eam contempleris, vel etiam cerâ expreſſam luſtres, vix figuras agnoſcere poſſis. Accedit & alterum incommodum: Gemma fracta eſt. At noli vel parvitate, vel ſubtilitate, vel etiam fracturâ offendi. Arte Opticâ, illuſtriſſimum agnoſcimus fortiſſimi Thebanorum Ducis monumentum. Epaminondæ, inquam, qui Patriam, Lacedæmoniorum potentiâ preſſam, non tantùm in libertatem aſſeruit, ſed etiam ad ſupremum Græciæ faſtigium provexit. Non eô modô in Gemma præfiguratur, quô Studiis Philoſophiæ incubuit: Non eô modô, quô tibiis cantavit aut ſaltavit, quibus rebus eum ad The-

banorum morem excelluisse, Authorum consensus docet: Non eô eũam, quô Cives suos, in Thessalia ab hoste circumventos, liberavit, aut quô Pelopidam in acie defendit, aut Exules ad Patriam à servitute liberandam hortatus est, aut Cleombrotum, Regẽ Spartanorum, in conspectu Parentum suorum ad Leuctram devicit & occidit: Non hôc inquam, sed eò, qui hæc omnia complectitur & coronat. Ultima Epaminondæ vides! Cùm anceps aliquandiu ad Mantineam prælium esset, suâ ad victoriam opus esse virtute arbitratus, in medium hostium agmen se immisit, perfractâque eorum phalange, cùm plurimos prostravisset, reliquosque cedere coëgisset, concursu tandem hostium petitus, lethale vulnus accepit. Ita in terram prolapsus est fortissimus Imperator, ferri in corpore relicti acerbitate subactus, sed non illicò mortuus. A suis vivum adhuc in castra relatum, id quod in Gemmâ hâc expressum auguror, constans Authorum assertum est. Ita Diodorus, lib. XV. Ἐπαμινώνδας ἔτι ζῶν εἰς τὴν παρεμβολὴν ἀπηνέχθη. *Epaminondas adhuc VIVUS in castra relatus est.* Ita Pausanias in Arcadicis: ὡς δὲ ἐτέτρωτο Ἐπαμινώνδας ἐκκομίζουσιν ἔτι ζῶντα ἐκ τῆς παρατάξεως αὐτὸν. *Cùm verò vulneratus esset Epaminondas, adhuc VIVUM eum ex acie reduxerunt.* Ita Ælianus lib. XII. c. 3. Ἐπαμινώνδας ὅτε ἐτρώθη ἐν μαντινείᾳ καιρίαν, εἰς τὴν σκηνὴν κομισθεὶς ἔτι ἔμπνους Δάιφαντον ἐκάλει. *Epaminondas, quum mortiferum vulnus in Mantinensi pugna accepisset, delatus in castra VIVUS ADHUC, Daiphantem accersi jubet.* Ut taceam Justinum, qui Epaminondam in castra *Semianimem* relatum, vocem spiritumque collegisse, author est.

Omnia hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, satis speciosè dicuntur, cùm autem vulneratum ex prælio referri, adeò insolitum non sit, dubitare possis, annon alium hæc Gemma referat? Effigies sanè imberbis est, at Epaminondas, in Promptuario Imaginum, agresti quodam, non tantùm comarum, sed & barbæ conspicuus est horrore, idque non præter ætatem, vixit enim quadraginta annis, antequam ad Rempublicam accederet, uti Plutarchus testatur, de occultè vivendo. Me nec ætas, respondit DULODORUS, nec allata effigies, nec etiam par aliorum fortuna, à sententia meâ dimovet. Allata effigies spuria est, & ex novitio defumta Numismate, quod & ipsum inter Electoralia asservo, sed ab ingenuis sepositum. Ætas tanta non fuit, ut non imberbis credi possit; licet enim concedam, quadragesimo demum anno ad Rempublicam eum accessisse, tamen & illud verum est, non ultra octo annos ei præfuisse. Apud Diodorum Imperator electus memoratur anno 2. Olymp. 102. & interfectus anno 2. Olymp. 104. Ex quibus conficitur ætatem 48. annorum eum implesse, quæ licet barbam naturâ, tantùm horrorem tamen non evincit. Et quid? nonne se radere potuit, ut alii ejusdem temporis? Nonne id feciisse credibile est eum, qui ut dictum, patrium ad morem commodè saltavit, scienterque tibiis cantavit? Sed non hoc tantùm Epaminondam demonstrat. Est etiam in habitu, quod pro eo adducere possem. Galeam dico, quâ non hîc tantùm, sed & utrinque milites insignes sunt. Scuta dico, quibus non ille, sed hi noscuntur. Κράνος Βοιωτουργές, *Galea Bœotica*, Julio Polluci inter ἐυδόκιμα, *laudatissima* reponitur lib. I. cap. 10. n. 13. Thebanos *Scutiferos* non tantùm Authores vocant, sed etiam Numismata probant. Epaminondas licet semianimis capite inclinato langueat, Chlamyde tamen Imperatoriâ, & Thorace notabilis est: Notabilis est vinculo, quô vulnus colligatum credi potest; Neque enim obstat Pausaniæ aliorumque assertum, qui manu eum vulnus cohibuisse asserunt, cùm id demum feciisse credi debeat, cùm relatus jam in castra, spiritum recollegisset, uti ex Justino diximus. Tunc enim & ferrum extrahere tardavit, donec audiret, Bœotos vicisse. Et quid? Nonne & hoc, quod inter scutiferos scuto caret, apertum indicium est,

non

non alium hîc intelligendum, quàm Epaminondam? Audi Diodorum! Epaminondas, inquit, in castra relatus πρῶτον τὸν ὑπασπιστὴν προσκαλεσάμενος ἐπηρώτησεν, εἰ διασέσωκε τὴν ἀσπίδα; *Primò armigerum ad se vocatum, an Clypeum servasset? interrogavit.* Justinus, *cum Spiritum recollegisset*, inquit, *id unum interrogavit, num cadenti sibi Clypeum ademisset hostis?* Idem etiam Valerius Maximus lib. III. c. 2. aliique referunt, aperto testimonio, Epaminondæ, dum in castra referretur, id quod in Gemma adumbratum dixi, Clypeum non fuisse. Succedit

ALEXANDER M.
ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΟΣ.

Sard. incis

HÆc Gemma, infit ARCHÆOPHILUS, licet summâ arte cœlata, adeò tamen parva est, ut faciem agnoscere potis non sim; Miror itaque, quæ ratio Alexandro M. eam addicendam suadeat. Nonne satiùs esset, in Venatione subsistere? præsertim cùm, Oppiano canente, inter alia Leoninæ Venationis genera, circa Euphratem, equos ad certamen id adornaverint? Ne in Venatione subsistam, respondit DULODORUS, Thorax & Chlamys faciunt: Illa bellicæ expeditionis, hæc Imperatoriæ Majestatis est. Indè certè indubiè mihi videor colligere, non plebeji, sed omninò Regis, aut Imperatoris cujusdam hoc monumentum esse.

Sit ita, subjecit ARCHÆOPHILUS; unde autem colligas, Alexandro M. tribuendum esse? An nescis DULODORE, quid de Hadriano memoret Ælius Spartianus? *Equitavit ambulavitque plurimùm*, inquit, *armisque & pilo se semper exercuit. Venatus frequentissimè, LEONEM SUA MANU OCCIDIT.* Idem de eo etiam Dio & Athenæus asserunt, & firmat Numisma apud Stradam & Tristanum, in quo ipse Imperator Equo Borystheni insidens, eôdem modô Leonem conficit, quô in propositô visitur. Si hic minus placet, poteris Commodi, aut Caracallæ, aut Alexandri Severi meminisse, quos laudatus Tristanus suggerit: Poteris Gordianum pium, qui & ipse, in Numismate apud Stradam, Leonem ex Equo conficiens visitur. Poteris Valentinianum I. de quo Ausonius:

Quod Leo tam tenui patitur sub arundine lethum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

Plures coacervas, respondit DULODORUS, non de plebe, sed Imperiali in fastigio eminentes. Negare non possum, λεοντιφόνους hos fuisse. Unicum tamen adhuc pro opinione mea affulget; Casside tectus est noster, quâ ab Hadriano ad Gordianum usque, nescio, an quisquam Imperatorum se extulerit. Quicunque certè in Nummis Leones conficiunt, non galeati, sed nudo capite id agunt. Quid autem de Constantino M. dicas, perrexit ARCHÆOPHILUS, in Nummis galeam præferente? quæ ut paucis ante eum ætatibus Imperiale decus esse

esse cœpit, ita paucis etiam post cum annis iterum desiit, si non omninò, tamen eô modô, quò hic eam cernimus. Galeam vides, nec negabis Leonem à Constantino interfectum; Licet enim Zonaram, fabulam consarcinâsse, Baronius arbitretur, tamen non Zonaras rei author est, sed omninò Praxagoras Athenienſis, qui Photio teste, de rebus Constantini M. duos libros composuit: Eique adstipulatur Constantini Numisma Leonem exhibens, apud Carol. du Fresne in Hist. Byzantinâ. Sed verba Praxagoræ subjicio: Τὸν Κωνσταντῖνον ὁ πατὴρ πέμπει πρὸς Διοκλητιανὸν εἰς Νικομήδειαν παιδευθησόμενον. Παρὼν δὲ, φησὶ, Μαξιμῖνος, ὁ τῆς κάτω Ἀσίας βασιλείων, εἰς ἐπιβουλὰς ὥρμησε τοῦ νέου, καὶ πρὸς μάχην λέοντι ἀγρίῳ καθίστησι τὸν νεανίαν. ὁ δὲ τὸ μὲν θηρίον κρατήσας ἀνεῖλε. *Constantinum Pater ad Diocletianum Nicomediam erudiendum misit, Aderat tum fortè Maximinus, qui Inferiori Asiæ imperitabat, & insidias Adolescenti tendere animum inducens, ad pugnam cum fero leone inundam composuit. Ille verò feram superans occidit.*

At nulla hîc mentio est, inquit DULODORUS, an Eques, an Pedes id fecerit? Id nihil obstat, respondit ARCHÆOPHILUS, Equitem enim facinus peregisse, vel inde facilè collegeris, quòd Equestris Leonum Venatio, ut supra ex Oppiano notasti, in usu fuerit. Si Praxagoræ Opus adhuc superstes foret, de pleniore fulcro non dubitarem, eôdem enim habitu, quô in Gemma nostra Leoni infestus est, eôdem in Numismatibus in hostes tendit.

Adeòne opinionis Tuæ tibi videris firmus esse? subjecit DULODORUS. Mihi nondum persuades; Artificium enim cœlaturæ non ætatem Constantini Magni prodit, quâ minus profundè, ne dicam minus exactè figuras elaborabant, sed Græcam illam ἀκρίβειαν præfert, quæ Alexandri M. ætate viguit. Si hæc ratio non sufficit, adde Alexandri M. Numisma apud Nobil. Jacobum de Wilde, ubi Alexander & Galeatus & Eques, eôdem ferè modô Leonem conficit, quô in nostra Gemma visitur. Non id absque idoneo Historici cujusdam fulcro agit. Audi Plutarchum in vita Alexandri Magni. Ἐπέτεινεν οὖν ἔτι μᾶλλον αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν ταῖς στρατείαις καὶ ταῖς Κυνηγεσίαις, κακοπαθῶν, καὶ παραβαλόμενος. ὥστε καὶ λάκωνά τινα πρεσβευτὴν παραγενόμενον αὐτῷ λέοντα καταβάλλοντι μέγαν εἰπεῖν, καλῶς γε Ἀλέξανδρε πρὸς τὸν λέοντα ἠγώνισαι περὶ τὰς βασιλείας. Τοῦτο τὸ κυνήγιον Κρατερὸς εἰς Δελφοὺς ἀνέθηκεν, εἰκόνας χαλκᾶς ποιησάμενος τοῦ λέοντος καὶ τῶν κυνῶν, καὶ τοῦ βασιλέως τῷ λέοντι συνεστῶτος, καὶ αὐτοῦ προσβοηθοῦντος. Ὧν τὰ μὲν Λύσιππος ἔπλασεν, τὰ δὲ Λεωχάρης. *Laborem*, inquit, *intendit, in expeditionibus & venationibus, subigens corpus suum, & periculis exponens, ut Lacon Legatus, qui assistebat, quum conficeret* GRANDEM LEONEM, *diceret:* MACTE ALEXANDER ISTA CUM LEONE DE REGNO PUGNA! *Hanc venationem Craterus Delphis dedicavit, ac simulacra ex ære, Leonis, Canum, Regis cum Leone congressi, & suum ei succurrentis, facienda locavit, quorum Lysippus partem, partem fecit Leochares.* Hactenus Plutarchus, eòque pertinet, quod Plinius lib. XXXIV. c. 8. inter Lysippi Opera etiam *Alexandri venationem* refert, quæ Delphis dedicata est. Eodem fortassis, & quod Curtius lib. VIII. c. 1. In Regione scil. Bazaria, cum toto exercitu saltum ingressum, agitari undique feras jussisse, interque eas cùm Leoni magnitudinis raræ ipsum invasuro, Lysimachus venabulum objecisset, eô repulsô, quòd tam à semet, quàm à Lysimacho Leo interfici posset, feram non excepisse modò, sed etiam uno vulnere occidisse. Insigne hoc fortissimi Regis specimen fuit. Quis indignum crederet, qui fortibus imperaret? Fortium sub eo nobilissimum exemplum etiam in Gemmis

DIOXIP-

DIOXIPPUS ET CORRAGUS

Exhibent. Historia est apud Curtium, Ælianum, & Diodorum. Ælianus rem paucis. L. X. c. 22. Ὁ Διώξιππος, inquit, παρόντος Ἀλεξάνδρου, καὶ Μακεδόνων, βίαιόν τινα λαβών, Κόρραγον τὸν Μακεδόνα ὁπλίτην μονομαχήσας, καὶ ἐκπρούσας αὐτοῦ τὸ ἔγχος, καὶ ἁρπάσας τὸν ἄνδρα σὺν τῇ πανοπλίᾳ, ἐπιβὰς ἐπὶ τὸν αὐχένα αὐτοῦ κειμένου, τὴν μάχαιραν ἣν ὑπέζωστο ὑφαρπάσας ἀπέκτεινε τὸν ὁπλίτην. *Dioxippus in Alexandri Macedonumque præsentia, correptâ clavâ Corragum armatum ex Macedonibus ad certamen provocavit, & quum ei hastam excussisset, vi rapuit hominem cum armis, & jacentis collum calcavit, strictoque gladio ipsius, quo cinctus erat, armatum interemit.* Diodorus pleniùs, & paulò aliter, cujus locum, cùm longior sit, ex Versione Laurentii Rhodomani adjicimus: *Inter amicos Regis*, inquit, *quidam adscitus erat Corragus Macedo, corporis robore præstans, qui non rarò in pugnis strenuè rem gessérat, is ubi mero incaluerat, Dioxippum Atheniensem, qui pugil erat, dejecit victoriis nobilissimis coronas reportârat, ad singulare certamen provocat. Rem studiis suis adhibiti convivio, ut fieri solet, adjuvant. Dioxippus ergo conditionem accipit, Rexque pugnæ diem statuit. Ibi quamprimùm illuxit, multæ hominum myriades ad spectaculum conveniunt. Macedones cum Rege, ut populares, in Corragum favore suo propensi sunt. Græci cum Dioxippo curas suas conjungunt. Macedo igitur pretiosis exornatus armis, Atheniensis verò nudus, oleoque perunctus, cum decenti pileo in certamen procedit, & quia uterque propter corporis & animi vim egregiam admirationi est, quasi Deorum pugna quædam exspectatur. Nam Macedo, corporis staturâ & fulgore armorum, magnum præ se ferens terrorem, Marti similis habebatur. Dioxippus, præterquam quòd viribus excelleret, tum studii athletici exercitatione, tum insolenti clavæ gestatione, Herculi in speciem comparandus videbatur. Jamque alter alteri imminebat: Cùm Macedo ex mediocri intervallo lanceam emisit, alter verò exiguâ corporis declinatione intentatum sibi ictum evitat. Mox Adversarius sarissam protendens ingruit. Hanc ubi propiùs accessit, alter stipite frangit. Bis ergo conatu frustratus Macedo, gladiô pugnam capessit. Sed hunc, dum stringitur, assiliens ille prævertit, lævâque extrahentis manum complexus, & alterâ è statu virum dimovens, crura illi subducit. Quem ubi ad terram arietasset, collum jacentis pede premens, clavamque intentans ad spectatores se convertit. Insolens rei novitas, & excellens hominis fortitudo clamorem vulgi excitaverat; sed Rex prostratum dimitti jubet, finemque spectaculo imponens discedit.* Hæc Diodorus. Audiamus & Curtium: *Intererat epulis*, inquit, lib. IX. c. 7. *Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium, Regi pernotus & gratus. Invidi malignique increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem belluam, quum ipsi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis. Eadem igitur in convivio Horratas Macedo, jam temulentus, exprobrare ei cœpit, & postulare, ut si vir esset, postero die secum*

ferro decerneret: Regem tandem, vel de suâ temeritate, vel de illius ignaviâ judicaturum. Et à Dioxippo, contemtim militarem eludente ferociam, accepta conditio est. Ac postero die Rex, cùm etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exequi passus est. Ingens hìc militum, inter quos erant Græci, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo. Macedo justa arma sumserat, æreum clypeum, hastam, quam sariſſam vocant, lævâ tenens, lanceam dextrâ, gladioque cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens, & coronatus, lævâ punicum amiculum, dextrâ validum nodosumque stipitem præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat: Quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas, videbatur. Igitur Macedo, haud dubius, eminùs interfici posse, lanceam emisit: Quam Dioxippus cùm exiguâ corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam transferret in dextram, adsiluit & stipite mediam eam fregit. Amisso utroque telo Macedo, gladium cæperat stringere, quem occupatum complexu, pedibus repentè subductis, Dioxippus arietavit in terram, ereptóque gladió, pedem super cervicem jacentis imposuit, stipitem intentans, clisurusque eô victum, ni prohibitus esset à Rege.

En ternum gravissimorum Historicorum testimonium! ex quo, nisi fallor, satis clarè demonstrari potest, Dioxippi & Corragi certamen hâc in Gemmâ exhiberi. *Nudus* enim *cum armato congreditur*, id quod expressis verbis asserunt & Diodorus, & Curtius. *Arma fulgida & pretiosa* facit Diodorus, & exterior in Gemma ornatus talia ostendit, licet minutissimis lineolis adumbratus, clarior tamen, quàm ut de eo dubitari possit. Arma sunt *Gladius* & *Clypeus*, secundum Curtium. Imò & quod rei caput est, *gladium extrahente Corrago, assiliens Dioxippus prævertit, manumque extrahentis complexus, crura ei subducere videtur.* Quid post hanc Gemmæ nostræ cum Authoribus convenientiam superesse dubii potest?

Multum, excepit ARCHÆOPHILUS, ubi enim est Clava Dioxippi? Ubi memoratur Cassis & Clypeus? De Clava utique testantur, quicunque historiæ hujus mentionem faciunt; At quis de Casside & Clypeo? Non Casside, sed Pileo tectum, Diodorus ait. Curtius coronatum fuisse, & lævâ punicum amiculum gestâsse, quorum tamen neutrum in Gemma visitur. Accedit, quòd Herculi specie comparandum, Diodorus prodiderit; constat autem Herculem corpore robustiore fuisse, id quod & Dioxippo videntur exprobrare Macedones, *saginati corporis inutilem belluam* vocantes; At in Gemma quodnam Herculei roboris, aut saginati corporis indicium? Justâ tenuitate exsurgunt crura, macieque potiùs, quàm pinguedine spectanda, adeò, ut, nisi adhæc respondeas, honoratissime DULODORE, perquam verear, ut de Dioxippo & Corrago hæc Gemma accipi possit.

Observandum, subjunxit DULODORUS, non illum habitum hîc effingi, quô Dioxippus in prælium processit: Neq; illum, quô sariſſam modicâ corporis inclinatione vitavit: Neque etiam, quô adsiliens hastam mediam fregit: Hactenus enim clavam eum dextrâ prætulisse, dubitari non debet; Sed eum, quô hostis gladium extracturi manum complexus est, pedemque statu suo movit. Hoc agenti quid clava prodesset? Nonne credibiliùs, clavam pauliſper eum abjecisse, ut eô facilius gladium arrepturum impediret, pedibusque subductis prosterneret, aut arietaret? Diodorus *Lævâ extrahentis manum complexum* ait, & *alterâ*, sive dextrâ, *è statu hostem movisse*; Sed id quomodo fieri potuit, gladio ad lævam inimici accincto? Nonne faciliùs, quod in Gemmâ fit, dextris, & manu & pede, videatur usus? Quod ad Galeam & Clypeum attinet, Authores credidero, non tam habitum descripsisse, quô Dioxippus cum Corrago reverà con-

gressus

greſſus eſt: Quî enim id tam accuratè ſcire potuiſſent, ſeculis eô factô poſteriores? quàm cum, quô Pancratiaſtæ, qualem Dioxippum Athenæus vocat, aut Olympionices pugiles, qualem Ælianus, in ludis uti ſolebant. Circumſtantias interdum ex veriſimili Hiſtoricos fingere, novi nihil eſt, idque ideò faciunt, ut narrationis dulcedo tantò majorem operibus gratiam conciliet; At Antiquitatis monumenta, rem nudam, qualis fuit, ſpectatoribus objiciunt, & non rarò Authorum errores detegunt. Digna eſt Gemma ætate Alexandri: Digna eſt arte Pyrgotelis, ſculptoris ſine dubio omnium doctiſſimi, à quo ſolo Alexandrum ſe ſculpi voluiſſe, ex Plinio conſtat lib. XXXVII c. 1. Quid ſi hujus opus hanc Gemmam arbitremur? Caſſis & Clypeus, an ab exercitum & caſtra ſequente tantoperè abhorrent? Diodorus & Curtius certè circa capitis ornamentum diſſident, adeòque fraudem ſuam produnt vel ipſi? *Decenti Pileo in certamen proceſſiſſe Dioxippum*, Diodorus ait; at Curtius *coronatum* memorat. De Herculis comparatione non opus eſt dicere. Clava ei ortum dedit, non corporis craſſities. Non opus eſt dicere de ſcommatibus militum, cujus baſis unctio fuit, non obeſa ingluvies.

Hæc pro Dioxippi & Corragi certamine ſufficere poſſent, niſi & ipſi adhuc ſuccurrerent, quæ aliò Gemmam dimovere viderentur. In Claudii Numiſmate apud Oiſelium T. 27. Barbarus nudus cum milite armato manus confert: Quidni talem & hîc arbitrabimur? Polydamantem Scotuſſæum Pancratiaſtam cum armatis nudum congredi ſolitum, Euſebius refert: An & hanc forſitan præſtuleris? Ego neutrum. Barbarum enim Antiquitas ipſa Galeâ & Caſſide caruiſſe evincit: Et Polydamanti eas addicere, nulla omninò ratio ſuadet. In Dioxippo & ratio & Antiquitas concurrit, ideoque opinor à veritate non aberrabimus, ſi quod hactenus defendimus, impoſterum & firmiter teneamus. Sed ecce! fortiſſimus ſe ſiſtit Alexandri non commilito tantùm, ſed &, ferociſſimis in Gentibus, ſucceſſor

LYSIMACHUS,



Eôdem planè modô, quô in Numiſmatibus proſtat: Facie projectâ inſignis, ut Alexandrum æmularetur: Diademate cornuto ornatus, ut factum ſignificaret, quô Diadema filii Ammonis, Imperii auſpicium habuit. Sed latior de hoc ad Numiſmata erit confabulandi locus.

Erit, inquit ARCHÆOPHILUS, ubi probaveris Lyſimachi hoc caput eſſe, & non potius Alexandri. Quid? an Lyſimachus tàm ſucculentâ virilitate micuerit? Cum tamen conſtet, ſeptuaginta quatuor annis majorem fuiſſe, cùm contra Seleucum dimicans caderet? Senectus nihil obſtat, reſpondit DULODORUS. Annos quadraginta duos in Imperio exegit, adeòque triginta duos natus erat, cùm id ſuſciperet. An ætas hæc ſucculentam virilitatem excludat? Minime verò. Imò potiùs eam aſſerit, non noſtrâ tantùm Gemmâ rei teſte, ſed & Numiſmatibus, in quorum quibusdam ſucculentus, quibusdam autem ſenili macie confectus cernitur. Hæc tetricam bellorum & fortunæ aleam inmentem

revocant, quibus ſubactus non inſtrenuè cecidiſſe: Illa amœna Philoſophiæ ſtudia, quibus delinitus robur Martium legitur temperâſſe.

Non obſervarâm diuturnitatem Imperii, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Lyſimachum tecum agnoſco, præſertim cùm Alexandri effigies φοβερόν τι, *formidabile quid*, admixtum habere, Æliano memoretur, id quod in Gemmâ hâc non apparet. Plena comitatis facies eſt. Plena nobilitatis frons effertur, non plebejo, ſed digno tantâ Majeſtate genio. Verè hæc, inquit DULODORUS, & convenienter de Alexandri Succeſſore. Sed Poſteros videamus, non quidem Lyſimachi, ſed eorum, qui Syriæ Regnum ſibi vindicârunt. Ex his fuit, quem ſequens Gemma nobis exhibet,

ALEXANDER THEOPATOR.

HIc eſt ille, quem Scriptura *Antiochi Nobilis filium* appellat, quanquam aliis ſubditicius & ignotæ ſtirpis fuiſſe, & falsò in Seleucidarum Gentem ſe intuliſſe memoretur. Joſephus *Velem*, Strabo verò *Balan* cognominat, quæ tamen vox in Nummis non occurrit. Θεόπατωρ in iis legitur, quaſi Deum Patrem haberet: Non aliam ob rationem, uti Cl. Vaillantio placet, quam ut ſuſpicionem originis amoveret.

Tuò more, excepit ARCHÆOPHILUS, de effigie hâc loqueris, ac ſi jam nota eſſet; At mihi nihil incertius videtur, cùm nomen utique adſcriptum non ſit, nec aliud quid in Gemma occurrat, ex quo opinionem ſtabilire poſſis. Diadema rem non conficit; Id enim non proprium unius, ſed commune Regum omnium inſigne fuit. Non hoc in ſubſidium voco, reſpondit DULODORUS, ſed Artis Genium, & ipſam effigiei cum Alexandro Theopatore in Numiſmatibus convenientiam. Elata facies, primò ſtatim intuitu, Alexandri M. Succeſſoribus Gemmam addicit. Artificii Genius addicit temporibus Antiochi Grypi, quòd minus profundè & Gemma cœlata eſt, & minus elevatè hujus Regis elaborata proſtant Numiſmata. Examinentur lineamenta, non cum hoc tantùm, ſed & cum ſucceſſoribus, imò & cum prædeceſſoribus ejus. Inter illos nullus conveniet, at inter hos ad amuſſim reſpondebit Alexander, de quo hîc loquimur, & cujus Numiſmata apud Cl. Vaillant. de Regibus Syriæ, magnô numerô viſuntur. Iidem utrinque lineamentorum ductus, eadem oris projectio, genarum protuberantia, capillus, & oculorum vigor. Quid præter hæc deſideres ARCHÆOPHILE?

Quid, inquit ille, ſi non hiſtoriam? jam enim, rationibus adductus, & ipſe Alexandrum agnoſco. Hiſtoria, ſubjecit DULODORUS, ſexennium occupat, ab Anno Seleucidarum 160. quô Demetrium Soterem oppugnare cœpit, ad annum 166. quô ab Heliade, Duce ſuo, interfectus eſt. Joſephus quidem & Appianus V. tantùm, Euſebius autem X. annos ei tribuit, ſed Hic falsò, Ille autem annos Imperii, & quidem completos numerans. Quicquid ſit, felici-

tate

tate ſuâ memorandus eſt Alexander, memorandus eſt infelicitate. Illam Virtute quæſivit, hanc luxuriâ maturavit: Hanc interitus ſecutus eſt, illam Ptolemæi affinitas inflavit. Nuptias cum Cleopatra, Ptolemæi Philometoris filia, Regalemque earum Pompam, vel ex Sacris recordaberis. Recordaberis Ptolemæi perfidiam, qui filiam Alexandro eripuit, & Demetrio II. tradidit. Quid filiam dico, quam dederat? imò & Regnum, quod non dederat! Adeò mihi, quod Ovidius cecinit, invertere licebit:

— — *Non hoſpes ab hoſpite tutus!*
Non Gener à Socero!

Sed alius ex Syriæ Regibus, & quidem ultimus prodit

ANTIOCHUS ASIATICUS.

2 n Cameo

ANtiochum Tu hunc? inquit ARCHÆOPHILUS; At unde Conjecturam adſtruas? in Gemmâ nihil video, quod ſuccurrere poſſit. At videbunt, reſpondit DULODORUS, qui artis & genium noverint & diverſos ſecundum tempora gradus. Artificio Græco Caput hoc cœlatum eſſe, ad oculum patet: Cœlatum eſſe artificio, Syriæ Regibus familiari, eorum Numiſmata evincunt; An his addicentibus dubitaverim Regis cujusdam Syriæ id eſſe? An dubitaverim eſſe Antiochi, cognomento Aſiatici, cum huic & oculorum vigor, & lineamentorum ductus, tantùm non ad amuſſim reſpondeant? Confer ejus effigiem apud Cl. Vaillant. in tractatu de Regibus Syriæ! Confer Numiſma, quod apud eundem proſtat!

Utrumque vidi, inquit ARCHÆOPHILUS; Ubi autem Diadema in propoſito, quod in illis cernitur? quodque Regiæ Majeſtatis indicium, præſertim apud Syros fuiſſe, utique liquet? Abſentia Diadematis, reſpondit DULODORUS, & mihi dubium movit, & adhuc facilè ceſſero, ſi quis certiùs quiddam docuerit. Quanquam interim eam haud abſurdè forſan ex hiſtoriâ defendere poſſim; Conſtat enim non tantùm ſub Tigrane cum latuiſſe, ſed & poſtea Syriæ Regno à Pompejo ſpoliatum fuiſſe.

Neſcio, an ratio valeat, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Quis enim credat eum, qui tumidâ ambitione ἐπιφάνους, φιλοπάτορος & καλλινίκου, qualiter in Nummo legitur, titulos, etiam nullam, aut ſanè exiguam ob cauſam, aſſumſit, abſentiâ Diadematis fortunæ iniquitatem faſſurum fuiſſe? Superbiam, reſpondit DULODORUS, caſus fregit. Qui ſe cum ditionibus Pompeji clementiæ credidit, eòque humilitatis deſcendit, ut Regnum paternum à Victore peteret, quidni credatur & Diadema depoſuiſſe? Hæc pertinaciùs non oppugnabo, perrexit ARCHÆOPHILUS: Audire tamen vellem, unde cognomen Aſiatici tulerit? & cur nulla ejus in Numiſmate mentio exſtet?

Duo, inquit DULODORUS, cognomina habuit, præter ea, quæ in Nummo occurrunt, *Asiatici*, & *Commageni*: Illud ideò, quòd in Asia educatus: Hoc, quòd amisso Syriæ Regno, Commagene Provincia ei fuerit relicta. Sed quid Regibus immoramur, cùm tamen fulgor Majestatis oculorum aciem percellat? Tutiùs Parnassi germina rimabimur. Philosophi surgunt, & inter hos non indigna Stoicorum propago

CHRYSIPPUS.

Coincidit hæc effigies cum ea, quam in Thesauro Palatino potui. Imò etiam cum ea, quam Fulvius Ursinus ex Numismate æreo dedit. Eadem utrinq; est nasi exstantia: Idem oculorum vigor: In paucis diversa frontis calvities. Quid barbam loquar, masculâ densitate promissam? Quid oris habitum, dignâ Philosopho concinnitate venerandum? Non pallio tantùm hic, sed & vultu gravitatem Stoicam adumbrat, licet vitam egerit, nec Stoicam, nec Philosophicam.

De vita videbimus, inquit ARCHÆOPHILUS, ubi de effigie constabit. Chrysippum apud Ursinum me vidisse non memini. Numisma æreum, quod citas, præter Aratum, non Chrysippum, sed Philemonem exhibere, ipse Ursinus ait, cui si fidem habeas, unde Chrysippum demonstrare possis non video. *Per-Illustris SPANHEMII* authoritas, respondit DULODORUS, pro me est; Is enim non Philemonem, sed Chrysippum statuit, addirque observationis fundum ex Strabone, cujus en Tibi verba! Μετὰ δὲ Λάτμον Σόλοι πόλις ἀξιόλογος τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχὴ, τῆς περὶ τὸν Ἰσσὸν Αχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα τῶν ἐκ Λίνδου, εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήιος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγιγνομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους. καὶ μετωνόμασε Πομπηιόπολιν. Γεγόνασι δὲ ἄνδρες ἐνθάδε τῶν ὀνομαστῶν ΧΡΥΣΙΠΠΟΣ τε ὁ Στωικὸς φιλόσοφος πατρὸς ὢν Ταρσέως ἐκεῖθεν μετοικήσαντος, καὶ Φιλήμων ὁ κωμικὸς ποιητὴς, καὶ ΑΡΑΤΟΣ, ὁ τὰ Φαινόμενα συγγράψας ἐν ἔπεσι. *Post Latmum sunt Soli, urbs memorabilis, alterius principium Ciciliæ, quæ ad Issum est, condita ab Achæis & Rhodiis Lindiis, in hanc hominum frequentiâ destitutam, Pompejus Magnus Piratarum reliquias transtulit, quas judicabat potissimùm salute & procuratione dignas, & mutato nomine eam Pompejopolim dixit. Protulit hæc urbs præclaros viros,* CHRYSIPPUM, *Stoicum Philosophum, cujus pater Tarso inde commigraverat, tum Philemonem Comicum Poëtam, &* ARATUM, *qui versibus, quæ in cælo visuntur, descripsit.*

Strabo, subjecit ARCHÆOPHILUS, non de Chrysippo tantùm & Arato, sed etiam de Philemone loquitur, adeòque adhuc in dubio relinquit, annon hunc potius Numisma præferat, præsertim cùm credibiliùs sit, ejusdem professionis viros esse conjunctos. Philemonis statuam, respondit DULODORUS, superioribus annis Romæ & Pyrrho Ligorio, & Pierio viam, idem Ursinus author est. Si hæc innotescerent, differentiam ad oculum demonstrare possem; Sed ne-

sic

ſic quidem ratio deeſt. Dubium, quod moves, apud Per-Ill. SPANHEMIUM dilutum videas. *Habitus*, inquit, *& Vultus talis eſt, qui Philoſophos decet, & aliorum, qui ſuperſunt Græcorum Sapientum ſimulacris conſentaneus.* Res contemnenda non eſt. Non enim Comica hilaritas in vultu, ſed ut dixi gravitas Stoica regnat, adeò ut vel hinc non Philemonem, ſed Chryſippum agnoſcas.

At vultus hic virum grandiorem videtur innuere, inquit ARCHÆOPHILUS, Chryſippum autem tenui corpuſculo fuiſſe, ex ejus imagine probat Diogenes, quæ in Ceramico ferè à vicino equite occultabatur, quæ & cauſa fuit, cur Carneades eum, non Chryſippum, ſed Κρύπππον vocarit. Vultus in Nummo, reſpondit DULODORUS, magnitudinem corporis evincere non poteſt. Eandem menſuram ferè omnia Imperatorum capita præferunt, cùm tamen conſtet, diverſos fuiſſe, ſi corpora ſpectes. Quod ulteriùs opponam, inquit ARCHÆOPHILUS, non habeo. Fateamur de Chryſippo! Quid autem ille in vita habuit, tantoperè Philoſopho indignum?

Arrogantiam, inquit DULODORUS, Oris obſcenitatem, & quæ utraque pejor eſt, Ebrietatem. Ubique Laërtius ſuffragatur. De arrogantia: *Tam altè*, inquit, *de ſe ſentiebat, ut cùm interrogaretur à quodam, cui commendaret filium, dixerit: Mihi! Nam ſi quempiam me excellere putarem, ipſe apud eum Philoſophiæ darem operam.* De oris obſcenitate: *Non deſunt*, inquit, *qui & Chryſippum lacerent, dicentes, illum complura turpiter obſcœnéque ſcripſiſſe. Nam in eo opere, quod de antiquis Phyſiologis ſcripſit, fœda de Junone fingit ac Jove, ea dicens ſexcentis ferè verſibus, quæ nemo, niſi illoto ore, dixiſſet.* De ebrietate: *In potationibus quieſcebat, crura tamen agitans, ita ut ancilla diceret, Chryſippi ſola crura ebria eſſe.* Et iterum: *Hunc cum in Odeo ſcholarium cœtui diſſereret, Hermippus ait, à diſcipulis ad ſacrificium vocatum fuiſſe, ibique cum dulci mero hauſto in vertiginem oculorum incidiſſet, quinta die defunctum eſſe, indeque Epigramma:*

Vertigo cepit, cùm bibiſſet affatim,
Chryſippùm, & haudquaquam ſuum vel Porticum
Curavit, aut ſe, aut Patriam, ſed Inferos.

Non eſt, quòd cum Laërtio aliorum etiam opinionem adferas, qui riſu mortuum ajunt; Id enim non de Chryſippo, ſed de Philemone memorat Valerius Maximus.

Adeòne Chryſippus vitiis deditus fuit, inquit ARCHÆOPHILUS, & tamen Numiſmate ſignari, imò & Gemmis inſculpi meruit? Non vitiis id datum, reſpondit DULODORUS, ſed virtutibus. Ingenioſus enim fuit, & acutiſſimus in omni genere orationis, adeòque in Dialectica clarus, ut plerique exiſtimarent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticæ, non futuram aliam, quàm Chryſippicam: adeò laborioſus, ut librorum ejus volumina ſeptingenta quinque fuerint, quanquam in his tanta teſtimoniorum nubes exſtiterit, ut vulgò dictum ſit: Si quis de Chryſippi libris tollat, quæ aliena ſunt, vacua illi charta relinquetur. Sed hæc latiùs apud Laërtium videri poſſunt. Natus eſt Chryſippus Patre Apollonio, Solenſi, aut Tarſenſi potius, nam Tarſo Solos commigraſſe, Straboni memoratur. Mortuus eſt Olymp. 143. vixit annos 73.

Cum ætate, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, capitis calvities congruit, quanquam ea tanta non ſit, quanta in Numiſmate Urſini. At major, inquit DULODORUS, quam in Numiſmate *Per-Illuſtris SPANHEMII*; Si diverſitas ætatis hinc colligitur, Gemma noſtra mediam exhibebit; Sed Chryſippo ſe commodè opponit Antagoniſta ejus

CARNEA-

CARNEADES.

Epicomi, vel ſecundum alios Philocomi filius, laborioſus & diuturnus Sapientiæ miles; Siquidem, Valerio Maximo teſte, nonaginta expletis annis, idem illi vivendi, ac philoſophandi finis fuit.

Nonaginta annos? inquit ARCHÆOPHILUS. Atqui Diogenes Laërtius annos tantum 85. eum vixiſſe aſſerit? Scio, reſpondit DULODORUS, ſed non firmiore baſi id facit, quam Valerius. Cum Diogene Laërtio Lucianus ſentit, at cum Valerio Maximo Cicero, fulgidiſſimum, non Romanæ eloquentiæ tantùm, ſed & omnis, & hiſtoriæ, & Philoſophiæ jubar. Cuicunque adſtipuleris, utrinque calvitiei, quæ in Gemma radiat, conveniens ætas eſt.

At niſi fallor, inſit ARCHÆOPHILUS, cæſariem Carneades nutriebat. Non nutriebat, inquit DULODORUS, ſed tantâ erat in literas intentione, ut eas non curaret, eòdem modò, quô & cogitationibus inhærens, cibi oblitus memoratur; Id autem nihil impedit, imò potius promovet, & canitiem & calvitiem.

De cibis res mihi fabuloſa videtur, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Effigies enim hæc, ſatis adhuc ſucculenta, voracem potiùs arguit, quàm eſurientem. Succulenta facies ad rem nihil facit, inquit DULODORUS; Noſti enim interdum etiam obeſos pauciſſimi cibi eſſe, contra autem macilentos copioſioris. Et ſi ad Carneadem reſpicias, Meliſſa, quam Uxoris loco habuit, temperato inter Studia non interpellandi, ſed inediæ ſuccurrendi officio, dextram ſuam neceſſariis uſibus aptabat.

De Carneade loquimur, inſit ARCHÆOPHILUS, non aliter ac ſi jam certum eſſet, cum hâc in Gemmâ exhiberi. Age DULODORE, unde rem probabis? Difficile, inquit ille, de effigiebus in Gemmarum apparatu expreſſis judicium eſſe, haud invitus agnoſco, adeòque liberrimè confiteor, ſi quis certius protulerit, me continuò ceſſurum; Attamen ne omni ratione deſtitutus videar, effigiem Carneadis in medium profero, quæ apud Urſinum habetur, ex marmore Farneſiano deprompta. Similis in eâ naſi elevatio, ſimilis barbæ prolixitas, orisque projectio.

At Calvities tanta non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Ætatis id differentiam arguit, reſpondit DULODORUS, non Perſonæ. Cœterum ſuſpiciens utrinque vultus neſcio annon opinioni egregiè ſuffragetur. Quicquid ſit, Carneadis merita digna fuêre, quæ duraturis ad æternitatem monumentis conſecrarentur.

Egregiè! ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Forſitan, quòd aſſenſionem ex animis hominum extraxit: Forſitan, quòd mortem tantoperè extimuit, ut auditô, Antipatrum venenô periiſſe, ipſe mulſum petierit, ſæpiusque dixerit: *Quæ conſtituit Natura & compegit, eâ & diſſolvet.* Mirum, certitudinem mortis taſſum, qui omnia in dubio poſuit! Parce, inquit DULODORUS. Nonne Valerii Maximi teſtimonium Tibi innotuit? *Animô*, inquit, *tantummodo ac vitâ frueba-*

fruebatur, corpore verò, quasi alieno & supervacuo, circumdatus erat. Magnum elogium! Eam partem excoluit, quâ homines sumus. Si apicem non attigit, quid mirum, cùm homo fuerit? Stoicos certe magnâ modestiâ refutâsse, apud Diogenem Laërtium memoratur: Eidem *in Quæstionibus inſuperabilis* dicitur: Et cum Romæ cum Diogene Stoico, & Critolao, Athenienſium Legatus esset, Conſulibusque Scipione Africano, & C. Lælio, ad Senatum verba faceret, ita Senatum eloquentiam ejus admiratum, Ælianus prodidit, ut in hæc verba prorumperet ἔπεμψαν Αθηναῖοι πρεσβεύοντας οὐ τοὺς πείσοντας, ἀλλὰ τοὺς βιασομένους ἡμᾶς ὁρᾶσαι ὅσα θέλουσιν, *miserunt Athenienses Legatos, non ut nos persuaderent, sed qui cogerent nos facere, quod ipsis collibitum esset.* Hæccine non rara? Hæccine non digna æternitate merita? Sunt, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem justiùs, quàm vel Diogenis Cynici, vel aliorum quorumcunque, qui perversâ viâ memoriam sui memorantur consecrâsse. Eorum ex numero, respondit DULODORUS, forsan etiam censeatur, qui sequenti in Gemma se sistit,

HERACLITUS.

CAput vides, admirandô Sculptoris artificiô elaboratum. Non tàm vultum refert, quàm animum, acerbo miseriarum dolore subactissimum. En contracta in luctum supercilia! En abditos in lachrymas oculos! En marcentes doloribus genas! Quid Barbam memorem, & prolixâ & incultâ lenitate venerabilem? Quid Pallium infra barbam, neglecto fluore volubile? Et Barba & Pallium Philosophum arguunt: Et inter Philosophos, Heraclitum arguit luctus, quem Gemma præfert, nativis ductibus expressum. Fuit Heraclitus Ephesius patriâ, filius Blysonis, vel secundum alios Heraciontis. Claruit circa Olympiadem LXIX. Mortuus est annorum LX. vel à canibus laceratus, vel aquâ intercute, quam fimo bubulo exsiccari posse speraverat. Multa fuêre ejus placita, sed nulla re celebrior est, quàm lachrymis suis, quas profudisse memoratur, quotiescunque domo egrederetur, sive veras, sive fictas.

Quid audio? inquit ARCHÆOPHILUS. An finxerit lachrymas Heraclitus? Id ego, respondit DULODORUS, credere malim, quàm fudisse veras. Causa conjecturæ est fastus, quô nihil se nescire, omnia ex semet ipso didicisse jactavit: Quô Homerum & Archilochum colaphis dignos pronunciavit, Darium Regem Persarum contemsit, omnesque mortales à veritate & justitiâ abstinere, inani autem gloriæ inexplebiliter inhiare, se unum omnis nequitiæ immemorem, omnis invidiæ fastidium devitare, pronunciavit.

Fortasse hæc verè pronunciavit, excepit ARCHÆOPHILUS, quòd eò eruditionis, eò sanctitatis & justitiæ perveniſſet, ut nec errare, nec peccare posset. Id in hominem non cadit, respondit DULODORUS, & nec Heraclitum eâ felicitate potitum, vel ex placitis ejus intelligas. Ex igne cuncta con-

ſtare, in eumque cuncta reſolvi voluit, & Solis eam magnitudinem ſtatuit, quæ oculis cerneretur: A liquoribus ignem incrementum dixit capere: Mundum hunc nec Deorum quemquam, nec hominem feciſſe opinatus eſt. An hoc eſt rerum veritatem callere? Si actiones diſpicias, æquè fucatas invenies. Cùm ad Reipublicæ gubernacula accerſeretur, ad pueros abiit & luſit: Cùm veritati lucem præferre deberet, obſcurè ſcripſit, ne facilè intelligeretur: Conſortia hominum fugere maluit, quàm ad frugem reducere: Actiones carpere, quàm corrigere.

Si talis fuit, inquit ARCHÆOPHILUS, mirum eſt, tam excellentis Artificis manu eum æternitati ſacratum. Talem, reſpondit DULODORUS, comperies fuiſſe, ſi vitam ejus apud Diogenem Laërtium evolvere placuerit. De artificio nihil dubites. Eundem non facie tantùm, ſed integro corpore exhibet Gemma apud Leonhardum Agoſtini, adjecto Epigrammate:

Quid miſeram ſletu comitaris, Heraclite, vitam?
Fletibus aſſiduis parcere diſce tuis,
Ne lacrymis ignes exſtinguas, ſemina rerum,
Et ſine principio cuncta repentè cadunt.

Poſſent, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in contrarium quædam adduci. Qui ignem à liquoribus incrementum ſumere docuit, procul dubio lachrymis ſuis ignem augere voluerit. Qui ex igne omnia, procul dubio iisdem & lachrymas conſtare credidit. Cœterùm, adeò futile non eſt, quod, Plutarcho teſte, ad conciliandam inter ſuos concordiam attulit, poculum aquæ plenum in concionem adferens, & inſpersâ modicâ farinâ ebibens, oſtenſurus eô factô, concordes fore, ſi paucis eſſent contenti. Sapiens ejus judicium eſt, quô Regem Oraculi Delphici neque dicere, neque occultare, ſed ſignificare dixit. Profunda eſt ejus ſententia, quâ vivum & mortuum, vigilans & dormiens, adoleſcens & decrepitum, idem pronunciavit, quòd hæc in illa viciſſim mutentur.

Profunda, reſpondit DULODORUS, fateor, neque enim ſanioribus rem facilè perſuaſerit: Imò vel ipſe credo palinodiam cecinerit, cùm aqueo tumore confectus, fimum in remedia adhiberet: Meruit ſanè aquâ mori, qui omnia ex igne conſtare dixit. Meruit interire tumore, qui tumore animi, tanquam ſacro morbo, qualem ὄιησιν, *nimiam ſui æſtimationem*, appellavit ipſe, omni vitâ laboravit: Meruit à canibus diſcerpi, cujus ſcripta aliorum actiones amaro dente vellicabant.

Vulgare id vitium eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò vulgarius reſpondit DULODORUS, aliorum opiniones carpere. Ut ſcopulum hunc evitem, cautiùs arbitror agendum. Sequentibus in Gemmis qui radiant, me quidem judice, ſunt

ILLU-

ILLUSTRES Incogniti.

TUne Illustres dicis, qui incogniti sunt? regessit ARCHÆOPHILUS. Dico, inquit DULODORUS; Nisi enim Illustres fuissent, vix arbitror Gemmarum honore fuissent affecti: Et nisi incogniti, utique nomina eorum pandere possem.

Sed an res desperata est? subjecit ARCHÆOPHILUS, quidni conabimur certi quid ex aliorum collatione eruere? Id feci, respondit DULODORUS, sed frustrà, nisi incertis quibusdam conjecturis insistendum sit, quæ tamen semita nimis periculosa foret, cum Docti cujusdam censura acrior soleat esse, quàm prò Studiorum humanitate. Memministi procul dubiò, quid de Cicerone in Thesauro Palatino senserit novissimus Operum ejusdem Editor.

Scio, inquit ARCHÆOPHILUS. Comam in capite molliusculè & luxuriosè crispatam & abundantem, Ciceroni minus convenire, senectutisque insignia, per faciei rugas, dissimilem sibi, & liberam Sculptoris manum, tantùm non arguere, arbitratur. Cùm locum evolverem, tecum optabam colloqui, & nunc, cùm ea felicitate potiar, non dubito me voti compotem futurum. Quid ais, DVLODORE? An causam deseris, an defendis?

Desererem, inquit ille, nisi veritati sacramentum dedissem. Hujus gratiâ omninò dicendum, quod mihi vitio vertitur, re ipsa in Censorem meum decidere. Comam molliusculè & luxuriosè crispatam, non effigies in Thesauro Palatino, sed ea præfert, quam minus accuratè, & nescio, annon sibi nimis indulgens, inde delineatam Censor meus exhibuit. Crispula quidem est in Thesauro Palatino, fateor, sed nativo quodam capillorum fluore, quali ferè & apud alios videas; At in ectypo, tanquam calamistro adornata, tantùm non in cincinnos convolvitur. Utramque inspice, ARCHÆOPHILE, & judica, utra luxuriosæ mollitiei accusari mereatur? De rugis, senectutis insignibus, quas Censor dissimilem sibi & liberam Sculptoris manum arguere dixit, non intelligo, quid sibi velit, cùm iidem rugarum ductus, etiam in aliis Ciceronis effigiebus occurrant, nec senectus Ciceronis in obscuro sit, 63. annos & quod excedit, nati,

cùm occideretur. Si Sculptor culpandus videtur, certè Sculptor Cenſoris is eſt, cùm rugoſam ſatis, quæ apud Urſinum proſtat, Ciceronis ſenectutem, transferendo in ſucculentam virilitatem inflaverit, lineamentis magis ad Cenſoris, quàm ad Ciceronis ſimilitudinem expreſſis. Sculptorem meum prototypon Gemmæ ſatis anxie ſecutum eſſe, fide meâ aſſerere poſſum. Si fidem non inveniam, poterit ipſa Gemma Judex eſſe, quam in Gallias, ſimul cum reliquis, abiiſſe, jam ab initio dixi. Sed non in his tantùm iniquitas elucet. Gemmam ex Sardonyche, ait, me ſimulatam fateri, cùm effigiem non Sardonychi, ſed *Sardæ* inciſam, multò minus ex ea ſimulatam dixerim. Et quod rei ſummam mihi facit, *Cicer malis appoſitum* omiſit, cùm tamen hoc, poſt lineamentorum cum effigie apud Urſinum convenientiam, invictum pro Cicerone argumentum ſit. Cicerones enim à Cicere denominatos, ex Plutarcho conſtat.

De primo, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, hujus nominis Authore id aſſerit Plutarchus, & quidem, quod in extremo naſi, in modum Ciceris, inciſuram habuerit; Quid autem hoc ad Ciceronem noſtrum? Niſi forte dicas, notam eam genitalem fuiſſe, uti Anchora Seleucidarum. Cicer, inquit DVLODORVS, Ciceroni nativum non fuit, ſed affictum tantùm, loco nominis. Eo inventò utique ipſe Cicero uſus legitur, apud eundem Plutarchum, in Apophthegmatibus & Vitâ; Nam poculum Diis dedicaturus, id non integro nomine ſignavit, ſed prioribus M. TUL. tantùm, pro reliquo autem *Cicer* appoſuit, ut ſcil. donum id Ciceronis eſſe noſceretur. Sed hæc acerbitatem non tam ſapiunt, quam Criſis ad ῥῆσιν, quam haud magni momenti arbitratur. De Linguæ commodo & incommodo diſſerueram, & quæsò ARCHÆOPHILE, quæ ῥῆσις vel ad Oratorem concinnior? vel ad communem vitam majoris momenti eſſe poſſet? Ego non hanc tantùm, ſed etiam eam, quæ de recto calami uſu differit, ſanè maximi momenti judico, non Doctis in me cenſuram negaturus, ſed oſtenſurus, acerbitatem & iniquitatem Studiorum noſtrorum Cultoribus, non convenire. Multa ſunt in Theſauro Palatino, quæ juſte reprehendi potuiſſent, quæque & ipſe in ſequentibus corrigere non dubitabo. Si his, & ſine ſatyra, lucernam admoviſſet Cenſor, gratias agerem, uti agam, ubi de Api ſermo erit, in Juliani Numiſmatibus expreſſo. Cùm autem id non fecerit, utique liquet, non tam rerum notitiâ, quam immaturâ quadam culpandi prurigine actum.

Contemnenda ſunt ejusmodi judicia, ſubjecit ARCHÆOPHILVS. Ut ut contemnenda, repoſuit DVLODORVS, efficiunt tamen, ne temerè occurrentes in Gemmis Illuſtrium vultus determinem, adeòque non miraberis, ARCHÆOPHILE, quòd propoſitos inter incognitos relinquam.

At conjecturas, inquit ille, affundere licebit. Id agam quoniam Tibi ita videtur, reſpondit DVLODORVS. *Primum Caput*, L. Cornelium Lentulum videtur adumbrare, ſimile enim ejus apud Urſinum ex marmore occurrit, niſi quòd naſus elatior ibi ſpectetur, & effigies directa ſit. *Gemmam ſecundam*, duos Philoſophos interpretor, ſed incertus ſum, quoſnam? An Athenæum & Xenarchum, Peripatheticos Seleucienſes ad Calycadnum? de quibus Strabo videri poteſt.

Mihi, inquit ARCHÆOPHILVS, effigies ſuperior nota eſſe videtur. Annon caput id, quod in Pompejopolitæ Numiſmate ſupra citato apud Goltzium exhibetur, ſimili omninò calvitie, ſimilique barbâ inſignitur? Si aſſentiaris, quidni, ut illic Aratum & Chryſippum ſtatuunt, hîc Aratum & Philemonem credamus? cùm conſtet, his tribus præcipuè Solenſes gloriatos eſſe? Philemonis, reſpondit DVLODORVS, hilaritas Comica & hic obſtat, in Gemma enim non apparet. Si Philemonem neges, reſpondit ARCHÆOPHILVS, poteris

ejus

ejus loco Clearchum ſtatuere, qui & ipſe Solenſis fuit, cujusque librum de Diſciplina, citat Diogenes Laërtius, in Proœmio.

Si de Arato conſtaret, ſubjecit DULODORUS, fortaſsè aſſumerem placitum, ſed id intuenti, & apud Goltzium & apud Urſinum, haud parva a Gemmâ noſtrâ differentia exſurgit. Ubi enim apud hos rotunda illa inferioris naſi retorſio? Vel unica hæc opinionem evertit, quanquam interim futilis conjectura non ſit, ſi vel unius Civitatis hos Cives arbitreris, vel certè uni Studiorum generi deditos. *Tertiam Gemmam* Ducem aliquem Barbarum exhibere crediderim, & quidni Carthaginenſium aliquem? Militem evincit Caſſis: Militem non gregarium, ſed Imperatorem Chlamys: Imperatorem Barbarum Barba, non Græco, non Romano more adornata, ſed eó fere, quò Jubæ Senioris, Mauritaniæ Regis in Numiſmate argenteo. In *quarta Gemmâ* Characteres Gnoſticorum, quæ in aversâ viſuntur, ejus Sectæ Aſſeclam haud obſcurè produnt, an ipſe Baſilides is ſit, an alius quidam? obſcurum eſt. Characteres, à propoſitis haud ſane multum diverſi, videri poſſunt apud Macarium in Ariſtopiſto.

Si Characteres deeſſent, inquit ARCHÆOPHILUS, Democriti hanc effigiem crederem; Simillimâ enim calvitie, ſuperciliorumque obſcuritate, ſimili item in glabrâ fronte, capillorumque cinno inſignis, in nuperrimâ Laërtii editione, ex marmore viſitur. Oris habitus, inquit DULODORUS, à Democrito diverſiſsimus eſt. Hic enim in effuſum ibidem cachinnum ſolvitur, cùm Gemma noſtra Stoicam quandam ſeveritatem præferat. Mihi ſanè tutiùs videtur, ſi in incerto has effigies relinquamus, Peritiorum disquiſitioni eas expoſuiſſe contenti.

C. JUL. CÆSARIS APOTHEOSIS



Nos vocat. Inſolita eſt hâc in Gemmâ figurarum compoſitio. Vir quidam, ſenio & macie ſatis notabilis, globo cœleſti inſidet, dextrâ temonem torquet, ſiniſtrâ autem lauream præfert, imò & ipſe laureatus haud obſcurè viſitur. Globum, ſed terreſtrem, cum temone in Numiſmatibus ſuis expreſſerunt & Auguſtus & Tiberius: Imò & Cæſaris honori expreſſit L. Muſſidius Longus, non alium in finem, quàm ut imperium Terræ indigitarent. In hâc igitur Gemmâ globum cum temone cœleſtem, quid adumbrare arbitraberis, ſi non imperium Cœli? Globum cœleſtem ſatis demonſtrant, ſtellarum in inferiore hemiſphærio ſcintillantium ordines: Et cœli regimen ſatis evincit Temo, globo huic imminens. Eadem in his ratio eſt, quæ & Fortunæ, non tantùm cum Temone præfiguratæ, ſed & cum Temone ſubjacenti globo, impoſito, ut ſcilicet indigitetur, in totum Terrarum Orbem, omnesque in eo res, & fortuitas & volubiles, illius imperium extendi. Sed de his conſtare videtur. De Cæſare forſitan res obſcurior eſt, ſed perſuadet facies, utut minutiſſima, attamen talis, ut intentiore oculorum acie

haud difficulter agnoſci poſſit: Perſuadet Laurea, quam & manu præfert & calvitiei præcinxit, id quod etiam in terris eum feciſſe, jam dudum, & idoneorum Authorum & Numiſmatum fide conſtat, ex quibus vel contra Suetonium etiam planum eſt, eum filo tenuiore, & oblongo collo, adeòque macilentum potius, qualiter & hic viſitur, quàm ſucculentum fuiſſe, eô præſertim tempore, quô ſubacto Romanorum imperio, cœli gubernaculo admoveri meruit.

Parciùs! Parciùs! Mi DULODORE, interrupit ARCHÆOPHILUS. Cæſarem quidem inter Deos relatum, imò & Deum creditum, ſatis conſtat, quis autem unquam eum cœli gubernaculis admotum ſcripſit? Annon potius inter ſtellas videbitur micare, cum anima ejus in Cometam abierit, & ipſe in Numiſmatibus maternum ſidus,

Quod Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,

Vel pone ſinciput, vel ſupra frontem appictum oſtendat? Et quid? Nonne Veneri Deæ, cujus affine numen Victoriarum auſpicium habuit, ſufficit, globum terreſtrem vel ſcuto, vel pedibus ſubjectum habere? De Cœli imperio, præter Jovem, quis unquam vel Deorum cogitavit?

Quis? iteratâ interrogatione, reſpondit DULODORUS. Hic ipſe, inquam, Julius Cæſar, neque enim de Gigantibus, aut filio Thetidis, ex Promethei vaticinio, nunc dicere opus eſt. An neſcis? quid apud Julianum in Cæſaribus exſtet: Ἰούλιος Καίσαρ ὑπὸ Φιλοτιμίας αὐτῷ βουλόμενος ἐρίσαι τῷ Διὶ τῆς Μοναρχίας. *Julius Cæſar præ gloriæ cupiditate Jovi litem de regno moturus:* Eumque intuens Silenus: Ὅρα ἔιπεν ὦ ζεῦ μή σε ὁ ἀνὴρ οὗτος ὑπὸ Φιλαρχίας ὀφελέσθαι, καὶ τὴν βασιλείαν διανοηθέιη. *Vide*, inquit, *ne vir hic præ dominandi deſiderio regni tibi eripiendi conſilia ineat.* An neſcis in Numiſmatibus non modo *Divum*, aut Θεὸν *Deum* vocari, ſed & Jovis habitu præfigurari? Exemplum exhibet *Per-Ill. SPANHEMIUS*, ad dictum Juliani locum ex Nummo Cæſareæ, in quo Ἰούλιος Θεὸς, throno inſidens, dextrâ aquilam præfert, ſiniſtrâ haſtâ nititur, planè qualiter Jupiter ſolet. An neſcis, etiam vivo adhuc Jovis cognomentum delatum eſſe? Dio aſſerti author eſt. En verba: Διὰ αὐτὸν ἄντικρυς ἰούλιον προσηγόρευσαν. An hos cùm Divi filium metuerent, & venerarentur, eò adulationis, ut Patrem in cœlis, filium in terris imperium obtinere fingerent, non arbitraberis fuiſſe progreſſuros? Deorum munia, qui Diis adſcripti eſſent, ſubire creditos, ex vena Lucani intelligas, quâ Neroni, non minore adulationis proterviâ, & ipſi cœli regimen vaticinatur. Verba, licet multitudine tædioſa, tamen, quòd ad rem haud parum videantur conferre, operæ pretium arbitror adjicere. Ita habent ex ore Poëtæ ad Neronem:

— — Te cùm ſtatione peractâ,
Aſtra petes ſerus, prælati Regia Cœli
Excipiet gaudente polo, ſeu ſceptra tenere,
Seu Te ſtammigeros Phœbi conſcendere currus,
Telluremque, nihil mutato Sole timentem,
Igne vago luſtrare juvat. Tibi Numine ab omni
Cedetur, juriſque Tui Natura relinquet,
Quis Deus eſſe velis, ubi regnum ponere Mundi.
Sed neque in Arctoo ſedem Tibi legeris orbe,
Nec polus adverſi calidus quâ mergitur Auſtri,
Unde Tuam videas obliquo ſidere Romam.
Ætheris immenſi partem ſi preſſeris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera cœli
Orbe tene medio, &c.

Hæc

Hæc ſi de Julio Cæſare dicta fuiſſent, utique appoſitè ad Gemmam citaſſem. Orbe medio tenet, & jam videtur ſtatuiſſe, quis Deus eſſe velit: Statuiſſe, ubi regnum ponere mundi. Non flammigeros Phœbi currus legit. Neroni, & auguratori, & Apollinis æmulo, hos videtur reſervâſſe: Aſtra non petiit, ſed ſupergreſſus eſt: Regia Cœli eum non excepit, ſed ei ſubjacet: Ætheris immenſi non partem unam premit, ſed omnes. Nonne ritè huc adſcripſero verſus Manilii, qui eâdem audaciâ Auguſto imperium Orbis, Julio Patri autem imperium mundi adſcripſit. Verba ita habent lib. I. Aſtronom. ℣. 20.

Hunc mihi Tu Cæſar, Patriæ Princepsque Paterque,
Qui regis Auguſtis parentem legibus orbem,
CONCESSUMQUE PATRI MUNDUM Deus ipſe mereris.

Ambitioſus projectiſſimæ adulationis genius! Eò tamen vel ipſi invidiæ commendabilis, quòd non Sceptra tenentem, ſed temoni intentum Cœlator effinxit; Eò quid indigitaverit, ſi non Cæſarem, non tàm impotenti dominatione, quam vigilanti providentiâ ad immortale faſtigium adſcendiſſe, adeòque poſt mortem, quâ verè Deus creditus eſt, dignum omninò fuiſſe, qui ad gubernandam univerſi Machinam, vel Jovi ſufficeretur, ſupremo rerum omnium & Moderatori, & Domino.

Id judicii, inquit ARCHÆOPHILUS, vix de Julio tulerint Adverſarii. Vix etiam

PORCIA,

Subjecit DULODORUS, quam hâc in Gemmâ Tibi ob oculos pono. Fœminam vides ſtolâ indutam. Vides ollulam, quam præfert, flammis repletam. Hôc ſchemate quid præfiguratum arbitraberis? Si non ſtupendam illam Porciæ magnanimitatem, quâ & fidem maritalem probavit, & Orbi univerſo ſublimitatem animi demonſtravit? Fuit ea Catonis Uticenſis filia, & Bruti, Cæſareâ nece memorandi, uxor. Non ignavâ ex radice germen, nec ignavo inſita ſtemmati. Supra ſexum muliebrem fortis, futuræ conſtantiæ ſpecimen, ſub ipſa conjurationis contra Cæſarem initia de ſe ſumſit. Audi Valerium Maximum lib. III. cap. 2. n. 15. *Bruto contra Cæſarem conſpirante, cultello tonſorio ſe vulneravit, ut experiretur, ſi res maſè ceſſerit, quàm æquo animo ſe ferro eſſet interemtura.* Sed ferrum ſibi ſubtrahi poſſe, neſciebat infelix. Vigilantia de ea ſibi triumphatura videbatur; Sed & hæc fruſtrà. Etiam contra clementiæ aſſiduitatem mortem invenit. Infelicem non dicerem, ſi ut gloriam perpetuam, ita virtutum fiduciâ, etiam felicitatis æternitatem ſibi promittere potuiſſet. Mirum genus mortis excogitavit. Quod ferrum negabat, id ignis conceſſit. Valerius Maximus lib. IV. c. 6. & hîc teſtis eſt. Ita ille, Porciam ipſam allocutus: *Tuos quoque caſtiſſimos ignes, Porcia, M. Catonis filia, cuncta ſæcula debitâ admiratione proſequentur, quòd cùm apud Philippos victum & interemtum Virum*

Tuum

Tuum Brutum cognoſceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitaſti, muliebri ſpiritu virilem patris exitum imitata; ſed neſcio an hæc fortius, quòd ille uſitato, tu novo genere mortis abſumta es.

Hæc ad Gemmam ſufficere, arbitrabatur DULODORUS; ſed ARCHÆOPHILUS, antequam progrediamur, inquit, unicum mihi monere liceat. Elegans eſt de Porcia commentum, ſed quid eſt, quò minus Gemmam hanc de Veſtali interpretemur? Ignis his, ut ex plerisque Numiſmatibus conſtat, officii inſigne fuit, quod eum perpetuum ſervare tenebantur. Demonſtratione res non eget. Apud Oiſelium Numiſmata proſtant, & apud Cl. Sponium pag. 150. Junia Torquata C. Silani filia Sacerdos Veſtalis vaſculum igniferum eâdem formâ præfert, quâ & in propoſitâ Gemmâ viſitur. Si hoc non Veſtalem evincat, neſcio quid evincere poſſit?

Rectiſſime! ſubjecit DULODORUS, facilè enim ſubſcribam, & me neſcire; Attamen ut Tuis rationibus reſpondeam, obſecro conſideres Juniam Torquatam paulò accuratius. Non profano, ſed ſacro habitu ornata incedit: Non ſtolâ in quodvis generoſæ libertatis genus fluitante, ſed pallâ totius corporis compagem decenti ſanctimoniâ involvente, & quod rei caput eſt, caput ipſum vel ſolum demonſtrat, non Veſtalem hic, ſed Politici generis præfigurari. fœminam, & quam? ſi non Porciam, quam vaſculum ignibus plenum demonſtrat? Caput non velo involutum eſt, ut in Veſtalibus ſolet, ſed liberis capillorum nexibus radiat, ut Politici cultûs mores agnoſcas, quales Porciæ ætate in uſu fuiſſe, latiùs demonſtrari poſſet, ſi vel Te ignorare cenſerem, vel rei momentum urgeret. Unicum, quantum auguror, Tibi invictum videtur, quòd ſcil. ex vaſculo flammæ exſurgant; Sed in mentem venit indubitata Porciæ ſtatua, quam ex Palatio Thuillerorum, inter alia Regiæ Gallorum Magnificentiæ monumenta cernimus. In eo ſimile fere vaſculum, niſi quòd tribus pedibus ſuffultum, apparet: Eædem ſanè flammæ, niſi quòd prunarum ſuppoſita baſis ardeat. Hæc ſi in noſtrâ Gemmâ oculum fugiant, parvitas cauſari poteſt, & quid ſi latent in ipſo vaſculo ſive teſta? Certè quocunque aciem mentis intendam, nihil tamen invenio, quod Porciæ hanc Gemmam abjudicare vel poſſit, vel debeat, ideòque & libere ſubjicio elegantiſſimum Martialis Epigramma:

Conjugis audiſſet fatum cum PORCIA Bruti,
Et ſubtracta ſibi, quæreret arma dolor.
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari!
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega!

Aliô planè mortis genere occubuit, quam ſequenti in Gemmâ cernimus,

AGRIP-

AGRIPPINA.

PLures hôc nomine fuêre, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Fuit Tiberii Uxor, quam, Juliam ducturus, repudiare coactus eſt: Fuit Uxor Germanici, Auguſti neptis: Fuit hujus filia, Neronis Mater. An ex his non dubium, ad quam Gemma pertineat? Non eſt, reſpondit DULODORUS, idque fide Numiſmatum, in quibus Germanici Uxor eodem planè Capillorum ornatu viſitur, quô & hîc in Gemma radiat. Capillorum ornatus, perrexit ARCHÆOPHILUS, infirmum teſtimonium eſt. Quid? an Tu Agrippinam ſolam eô inſignem ſtatuas? Cùm tamen, quod de Virgilio Poëta cecinit,

Regis ad exemplum totus componitur Orbis,

etiam de fœminis ritè aſſerere poſſis? præſertim, cùm & hodiernis moribus Principalium fœminarum ad cultum, non Nobiliores tantùm, ſed & Plebejas ſe exornare videas?

Hodiè, reſpondit DULODORUS, res, proh dolor! notior eſt, quàm ut negari poſſit, & facilè mihi perſuaderi patior, eandem Καχοήθειαν etiam Agrippinæ tempore obtinuiſſe. Sed quid inde? An alii hanc Gemmam eſſe tribuendam? Minimè verò. Quis enim credat, cùm ne Agrippina quidem, dum viveret, honore Numiſmatis affecta fuerit, aliam, dignitate inferiorem, in Gemma exſculptam fuiſſe?

Antonia Druſi, inquit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmatibus occurrit, & niſi fallor, eôdem fere Capillorum nexu, quô hîc, ut Tibi videtur, Agrippina. Nexus, reſpondit DULODORUS, ſi diligentiùs conferas, idem non eſt, imò nec eadem utriusque dignitas; Antonia enim Auguſtæ titulo fulget, qui in Agrippinæ Numiſmatibus abeſt: Quanquam & Numiſmatis honorem, & Auguſtæ dignitatem Antonia non tempore Agrippinæ receperit, ſed poſt ejus mortem, ſub Cajo demum, ſub quo & Claudio, etiam Agrippinæ Numiſmata percuſſa ſunt. Sed hæc alibi. Si Capillorum nexus minus ſatisfacit, Lineamenta contemplare. Nonne in Gemmâ eadem ſunt, quæ & Agrippinæ in Numiſmatibus? Et quodnam manifeſtius pro me argumentum militet? Adeò conveniunt effigies, ut alteram ad alteram expreſſam dubitare ne poſſis quidem.

Succumbo, inquit ARCHÆOPHILUS. Convenientia ad oculum patet: Sed heus Tu! An Gemmam ad Numiſmata poſt mortem percuſſa cælatam, genuinæ Antiquitatis arbitrabimur? Genuinæ Antiquitatis hanc Gemmam eſſe, repoſuit DULODORUS, oculari peritiorum judiciô facilè evicerim, indeque non Gemmam ad Numiſmata, ſed Numiſmata ad Gemmam expreſſa crediderim, cùm certum ſit, niſi imago ſuperfuiſſet, eam æternitati inferri non potuiſſe. Imaginibus pro ſigillo uti, hoc tempore inſolitum non fuit. Quid ſi Cajus tale in Matris honorem habuerit? Indeque effigiem Numiſmatibus imprimendam deſumſerit? Scio potuiſſe & Statuas, & Ceras, & Picturas, aliaque ſuperfuiſſe, ſed & id juxta aſſerere non dubitem, minimùm Numiſmatibus coævam hanc

Gemmam esse, quis enim ex posterioribus Principibus tam Agrippinæ amans fuit, ut ejus imaginem consecraret?

Neminem video, inquit ARCHÆOPHILUS; Eôdem enim ævo vixêre & Cajus & Claudius, à quibus Numismata: Et Agrippina filia, quæ ob morum similitudinem, matris memoriæ consuluisse credi potest. Dum de moribus loqueris, inquit DULODORUS, subit conjectura, annon & hi in effigie lateant. Capillum vides negligenti contorsione pendulum. Non Gemmæ, non Margaritæ innexæ sunt: Non ἄμπυξ aut κεκρύφαλον, *Reticulum* aut *Capitale:* Non Frontale, non Inaures, aliudve vel minimum capitis ornamentum visuntur. Quid incultâ hâc simplicitate præfiguratum credas, si non vitam Agrippinæ Castrensem? quâ Maritum & contra Germanos comitata est, & in Syriam proficiscenti adfuit? Quid? si non Castitatem, quâ fucos meretricios odio habuit, Maritumque sincerâ fide coluit? Tacitus utrinque se testem sistit: Pudicitiam ejus *impenetrabilem* vocat; *Agrippina*, inquit, *paulò commotior, nisi quòd Castitate & Mariti amore, quamvis indomitum animum in bonum vertit.* De vita Castrensi, imò & de Virtute Imperatoriâ: *Fœmina ingens animi*, inquit, *munia Ducis induit, militibusque, ut quis inops aut socius, vestem & fomentum, dilargita est: Tradit C. Plinius, stetisse ad principium Pontis, laudes & gratias reversis Legionibus habentem.*

Adeòne, inquit ARCHÆOPHILUS, Agrippina laborum patiens fuit? Adeòne muliebri spiritu vel maximis Virorum operibus suffecit? Suffecit, retulit DULODORUS, idque vel ex ipsa facie agnoscas, quæ nescio quid verè Heroici præfert.

Arrogantiam, inquit ARCHÆOPHILUS, & atrocitatem mihi videor observare, quam Tiberius in ea damnavit. Imò potius Candorem, respondit DULODORUS, quâ simulationum nescia, simulatis sermonibus fidem habuit, sibique exitium attraxit. Oculum, quem vides, in Pandatariam religatæ, Tiberius per Centurionem excussit: Os, quod contemplaris, inediâ morituræ diduxit, cibumque infulciri jussit: Imò nec collum injuriæ expers fuisset, nisi fata prævenissent. Imputasse Centurioni Tiberium, quòd non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit, Suetonius memorat. Tam indigno exitu periit, à Socero excarnificata, Tiberii Nurus, Augusti Neptis, Germanici Uxor, Caji Mater!

VESPASIANUS

Succedit. Effigies Vespasiani, subjecit ARCHÆOPHILUS, rara non est. Sexcentis in Numismatibus ea prostat. An etiam in Gemmis? inquit DULODORUS. In Gemmis, respondit ARCHÆOPHILUS, eam non memini me vidisse. Agnoscis igitur causam, subsumsit DULODORUS, cur hanc inter Selectiores proponendam arbitrer, eaque tantò justior est, quantò Gemma & magnitudine & artificio excellentior.

De

De Vultu, regeſſit ARCHÆOPHILUS, arbitrabar Te plura dicturum, cùm tamen nota non de eo tantùm, ſed & de integra ſtatura ſint verba Suetonii; *Statura fuit quadrata*, inquit, *compactu firmisque membris, VULTU veluti NITENTIS, unde quidam Urbanorum non infacetè, ſiquidem petenti, ut & in ſe aliquid diceret: Dicam, inquit, cùm ventrem exonerare deſierit.* Nota hæc ſunt, inquit DULODORUS, non minus ac ea, quæ Martialis lib. III. Epigr. 89. in hunc Imperatorem ſcripſit:

Utere lactucis & mollibus utere malvis;
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Idem ferè, perrexit ARCHÆOPHILUS, etiam Lib. II. Epigr. 57. legas:

Dicis amore Tui bellas ardere puellas,
Qui faciem ſub aquis Phœbe natantis habes.

Scio utrumque Epigramma vulgò citari, regeſſit DULODORUS, notandum autem, Junium poſterius non de *Phœbo*, ſed de *Sexto* intelligere, & revera, ſi *natantis* legas, non video, quî in Veſpaſianum quadrare poſſit, cùm alius habitus ſub aquis *natantis*, alius *nitentis* ſit. Sub aquis omnia augeſcere, ex Philoſopho conſtat, & qui ſub aquis natat, flammam accendere non poteſt; Duplex igitur in Sextum jocus eſt, alter quò tumorem vultus exagitat, alter, quò amoris vanitatem. Hæc ut ut ſint, eſt tamen & ratio, quæ ad Veſpaſianum Epigramma reducat, ſi ſcil. loco *natantis* vocem *cacantis*, reponas, id quod fieri debere, jam aliis notatum video.

Duplex adhuc dubium oritur, inquit ARCHÆOPHILUS, non tam ad poſterius, quàm ad prius Epigramma. Primum eſt, cur lactucis & malvis Phœbum uti, Poëta velit? alterum, quâ ratione ad Veſpaſianum vulgò detorqueatur, quod tamen de Phœbo dicitur? Illius ratio in promtu eſt, reſpondit DULODORUS. Et lactucæ & malvæ ventri emolliendo conducunt. De *Lactucis* idem Martialis Lib. XI. Ep. 53.

Prima Tibi dabitur Ventri Lactuca movendo
Utilis — —

De *Malva* Horatius Epod. Od. 2.

— — Gravi
Malvæ ſalubres corpori.

Cur ad Veſpaſianum Epigramma reducatur, de Phœbo conceptum, in cauſa eſt & diſſimilitudo vultûs, & ſimilitudo poteſtatis, quarum illa conferentibus ad oculum patet, hæc autem ſubjectas Imperio terras utrinque ſolet & illuſtrare & recreare. Poëta ſcilicet mordaciſſime vultum Veſpaſiani, cum vultu Phœbi confert, eò quòd Hic ſemper Juvenis, ſemper gratioſus, Ille autem, eodem dignitatis in faſtigio, durum inſtar cacantis ſulſerit.

Quid autem, excepit ARCHÆOPHILUS, ſi Phœbus hôc locô nomen Viri cujusdam ſit, & non pro Apolline ſumi debeat? Id probandum, reſpondit DULODORUS. Veriſimilius certe eſt, Veſpaſianum eô indigitari, quòd ſub hoc Imperatore, & ſequentibus quibusdam Poëta vixit. Sed hæc in medio relicta ſunto, ad faciem adhuc notandum, quod alibi Suetonius memorat, *dum conſurgit ac NITITUR, inter manus ſublevantium extinctum eſſe*; & iterum: *Aſſimilem Veſpaſiano imaginem, in vaſe operis antiqui, in Arcadia repertam, omen Imperii fuiſſe.*

An igitur, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, divini quid hic vultus continet? Id non dixero, reſpondit DULODORUS, quanquam Divinitatis opera aliquando exercuerit. Luminibus orbato, palàm pro concione, cùm ad Serapidis mandatum inſpuiſſet, oculos Eum reſtituiſſe legimus. Appoſite hæc ad Labra Imperatoris, perrexit ARCHÆOPHILUS. Imò & ad Capillos, reſpondit

DVLODORVS, & ad Coronam eſt, quod commodè recorderis. Ad illos, *Stellam crinitam ſub exitu vitæ exortam, quam ad Partborum Regem pertinere dixit, quòd is CAPILLATUS eſſet*, eô certè ſe breviore comâ conſpicuum non obſcurè ſignificavit: Ad hanc, *Coronas, quas ei in Serapidis fano Baſilides offerre viſus eſt, quem tunc abeſſe conſtabat.*

Coronam, excepit ARCHÆOPHILVS, ad ſolitos honores retulerim, quos Senatus jam à Julio Cæſare Imperatoribus decernere ſolebat. Poteris etiam ad Victorias, perrexit DVLODORVS, & Triumphum, de quibus & Authores, & coæva Antiquitatis monumenta. Succedunt

M. AURELIUS ET FAUSTINA.

Jasp. incis.

FAuſtina? regeſſit ARCHÆOPHILVS, more an ſuo? an reſonabilis Echûs? At Mihi Dearum aliqua videtur, & quid ſi Pax? quæ in Numiſmatibus iisdem cum inſignibus, Clypeo ſcil. & Lampade proſtat, quibus & in Gemma exornatur? Videri poſſunt Numiſmata Trajani, Antonini Pii, & hujus ipſius M. Aurelii, apud Oiſelium T. LXII. Quid videtur DVLODORE?

Quid? inquit ille, ſi non, hôc conceſsô, tamen opinioni meæ nihil decedere. Quid enim obſtat, ut Fauſtina, Deæ cujusdam habitu præfigurata, videri poſſit? an neſcis id Auguſtis uſitatum fuiſſe? Sed de hoc loquemur, ubi Fauſtinam hanc eſſe, demonſtratum dedero. Non Deam hanc, ſed Imperatricum aliquam ex Comite adſtruimus. Togatus is eſt, qualiter Romani ſolebant. Eſt Chlamydatus, qualiter Imperatores. Utrumque habitum junctum cernimus in Statua M. Aurelii Equeſtri, quam hodiénum Roma jactat. Et M. Aurelii ætatem artificium Gemmæ noſtræ non obſcurè præfert. Suffragatur Juventus: Suffragatur caput criſpulum: Suffragantur lineamentorum ductus, etiam in minutiſſimo viſibiles. Non tantùm M. Aurelium hæc, ſed & ipſam Fauſtinam evincunt, in quâ & idem planè capitis ornatus, qui & in Numiſmatibus occurrit. Quid ais ARCHÆOPHILE? annon ſufficiens pro M. Aurelio & Fauſtina militat ratio?

Fateor, inquit ille, quanquam adhuc dubium moveat notiſſima Imperatoris virtus, cùm Philoſophicis ſtudiis deditiſſimum, adeòque cupiditatibus ſuis ſuperiorem, vix credibile ſit, publicô monumentô libidinis famam contrahere voluiſſe. Libidinis! exclamat DULODORUS; At caſtiſſimô conatu, licet totum Uxoris pectus pateat, non tamen papillas, ſed brachium contrectat. Pectoris nuditas in Uxore diſplicet, perrexit ARCHÆOPHILUS, neque enim huic locum dediſſe M. Aurelius credi poteſt. Idem hoc eſt, reſpondit DULODORUS, ac ſi nec pertuliſſe credatur, ut Uxor habitu Veneris in Numiſmatibus effingeretur, cùm tamen eô habitu, vel in centenis occurrat, & hâc ipsâ etiam in Gemmâ adumbretur.

An Veneris hic habitus eſt? perrexit ARCHÆOPHILVS; Eſt, inquit DULODORVS, idque non tantùm ex pectoris nuditate colligo, ſed etiam

ex

ex insignibus, Clypeo scil. & Face. De Clypeo, regessit ARCHÆOPHILVS, facilè cesserim; Clypeos enim Venerem primùm invenisse, ex Homero: imò & scutorum Reginam dici, ex Colutho observat Cl. Vaillant. Col. T. I. p. 298. Neutrum rectè, respondit DVLODORVS, utroque enim in loco, non de Venere, sed de Pallade sermo est. Secutus videtur non Vaillant. tantùm, sed & Causæus, qui eandem opinionem fovet, Poëtarum apud Græcos Heroicorum indicem, in quo idem error deprehenditur. Mihi in Venere Victrice, *Clypei* ratio delitescere videtur, de qua supra; Ad *Facem* autem ritè citavero Numisma ejusdem nostræ Faustinæ apud Illust. Mediobarbum pag. 231. lin. 10. à fine, ubi Venus dextrâ pomum, lævâ facem tenere, fide Indicis Cavotortæ asseritur: Ritè citavero Venerem infrà producendam, quæ facem præfert: Ritè Venerem Saxonicam, quæ facem in pectore habuit: Ritè faces, quibus amantes noctu uti solebant, ad Amasias euntes, de quibus Horatius, Perseus, & Catullus: Imò & eas, quæ in nuptiis præferri solebant, de quibus infrà.

Hæc ut ut sint, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi tamen Uxor Veneris habitu & pectore nudô effigiata, Imperatori, honestatis tenacissimo, quadrare non videtur. Mihi contra, respondit DULODORUS, etiam honestissimo; Pietatis enim, & Dignitatis, & futuræ Spei hîc indicium videtur latere. *Pietatis*, quòd Divinæ Sapientiæ deditissimus, non terrena, sed divina attingat. *Dignitatis*, quòd Imperatoris sit, non humanis, sed divinis ardoribus frui. *Spei futuræ*, quòd digna tantâ Majestate soboles ex conjunctione esset surrectura. Noli nuditatem in vitium vertere! Talis est, qualem bona præsagire Artemidorus docet. En verba de Venere, cujus hîc sub simulacro Faustina visitur, L. II. c. 42. Ἀεὶ ἀγαθὴ νενόμισται ἡ μέχρι ζώνης τὰ κάτω ἐσκεπασμένα ἔχουσα, διὰ τοὺς μαζοὺς, οἱ εἰσὶ τροφιμώτατοι, γυμνούς τε ἔχειν καὶ ἐπιδέικνυσθαι. *Semper bona judicata est, quæ inferiores partes, usque ad Zonam velatas habet, propterea quod mammas, quæ maximum alimentum præbent, nudas habeat ac ostendat.* Turpia, inquit ARCHÆOPHILUS, non imbelli ratione honestatis umbrâ inducis. Assentior placito, idque ideò potissimùm, quôd turpia Gemmis expressa, credibile non sit: Quanquam Faustina famæ adeò intactæ non memoretur.

Id negare non ausim, respondit DULODORUS; Testem enim se sistit, quem suspicio est ex Gladiatore susceptum,

COMMODUS JACULATOR.

GEmma hæc, ut vides, duo capita Æthiopum exhibet, maris alterum, alterum fœminæ, dignô utrumque Commodianâ ætate, artificiô elaboratum, sed vix tantæ æstimationis, ut inter selecta reponerem, nisi adversæ, quæ auro obducitur, ectypon, quod ex Gypso expressum adjunximus, historici argumenti esset, & ænigma solveret. Equitem vides, citatô cursu in Pantheram ja-

culum vibrantem. Eques ſine ſtapedibus, in memoriam vocat morem antiquum, quô ſine ſtapedum ſubſidio equitare ſolebant. Et ſi probè intuearis Equitis hujus faciem, deprehendes, non alium eô præfigurari, quam Commodum Romanorum Imperatorem, tam exactis lineamentorum ductibus convenit cum eâ, quæ millenis in Numiſmatibus proſtat. Cum facie conſpirat & habitus Equitis. Jaculum vibrat, idque in Pantheram: Sic peritia artis jaculatoriæ adumbratur, quam in Commodo laudant idonei Scriptores. Audi Herodianum lib. I. c. 15. *Ita certa eſſe manus illius dicebatur, ut quodcunque deſtinaret, jaculô, ſagittâve contingeret. Erantque cum eo aſſiduè, Parthorum lectiſſimi ſagittarii, ac NUMIDÆ præſtantiſſimi jaculatores, quos Illetamen omnes longè artificiô ſuperabat.* Et paulò poſt: *Leones & PANTHERAS, aliaque id genus nobiliſſima animalia, currens in orbem, ſuperne jaculis confodiebat: Sic ut nec telum quisquam ſecundum, nec vulnus viderit, niſi lethiferum, nam ut primùm ſe fera concitaverat, ſtatim illam vel in fronte, vel in corde ſauciabat, nullo præterea uſus ſcopo, neque ad aliam corporis partem telo deſtinato, ſic ut pariter cum vulnere conficeretur. Cæterum beſtiæ conquirebantur undique, ac tum primùm vidimus, quæ ante in picturis mirabamur. Quippe ex India, ÆTHIOPIAQVE, itemque à meridie, & à ſeptentrionibus, quicquid incognitum prioribus ſæculis fuerat, confecit ille pariter atque oſtendit.* Quid clarius ad Gemmam noſtram dici poteſt? Conceptis verbis *Pantheras* inter animalia à Commodo confecta recenſet. Addit & *Jaculatores Numidas* circa eum fuiſſe: Imò & animalia ex *India* & *Æthiopia* eſſe conquiſita. Hæc omnia ſi cum Gemma conferas, facile apparebit, aut Regem aliquem Æthiopum, aut Jaculatorem Numidam, ut Imperatori Romanorum adularetur, peritiam ejus in jaculando, hâc in Gemma adumbrâſſe, ſuamque ſimul, & uxoris imaginem expreſſiſſe, ut ſe rei teſtem fateretur & ſuam ſimul famam æternitati ſacraret.

Ergo capita Æthiopum antiqua cenſes? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Eadem horum ſors eſt, reſpondit DULODORUS, quæ & aliorum. Non omnia quidem antiqua ſunt, non omnia tamen antiquorum etiam ex numero movenda. Exemplum Antiquorum non in propoſito tantùm habes, ſed etiam in eo, quod inter Gemmas Palatinas Conſtanti oppoſitum dedi. Ad fœminam in noſtrâ Gemmâ expreſſam, quadrat deſcriptio Virgilii in Moreto:

Afra genus, totâ patriùm teſtante figurâ
Torta comâ, labioque tumens, & fuſca colore.

Diſpar conjunctio! exclamat ARCHÆOPHILUS, Imperatoris Romani cum Æthiopibus? Quid miraris? excepit DULODORUS. Præſtat diſparitas Corporum, quàm Animorum. Illius Commodus & Æthiopes argumentum ſunt, hujus ſunt

ANTO-

ANTONINUS ET PLAUTILLA

Capita vides, non ſibi oppoſita, ſed jugata, id quod placidam matrimonii concordiam videretur adumbrare, niſi Antoninum & Plautillam exitiali diſcordiâ diſſediſſe, hiſtoria doceret. Herodianus legatur, luculentum aſſerto teſtimonium perhibebit.

Quid dicemus? ſubjecit ARCHÆOPHILVS. Quæ conjunctionis ratio? Eadem, reſpondit DULODORUS, quæ eſt Concordiæ communiter in Numiſmatibus Plautillæ expreſſæ. Vel votum concordiæ latet, vel concordiæ ſpes. Quin votum Plautilla conceperit: Quin ſpem concordiæ matrimonialis foverit, dubitari non poteſt, tot indubitatis, quæ proſtant, antiquæ elegantiæ monumentis rem fulcientibus. Sed irritum fuit votum! vana ſpes! Antoninus, qui ab initio neceſſitate magis, quàm voluntate eam duxerat, ne thorum quidem Laremque communem paſſus, adeò eam averſabatur, ut minaretur quotidie, occiſurum ſe ipſam, patremque Plautianum, ſimulatque ſolus imperium obtinuiſſet. Prævenêre fata Plautianum. Eò obtruncatò, Plautillam Severus cum fratre in Siciliam ſecundum Herodianum, in Liparam, ſecundum Dionem Niceum, amandavit. Sed Antoninus, obtentô Imperiô, quòd ſæpius minatus antea fuerat, eam obtruncans, perfecit. Sic nec dos, quæ tanta fuit, ut vel quinquaginta Imperatricibus ſufficiſſet, nec Venus, quæ in Numiſmatibus ejus Victrix appellatur, imò nec præſtantia formæ, quam haud adeò vulgarem cernis, vel concordiam potuit conciliare, vel Plautillam à mariti ſævitiâ defendere. Si odii cauſam quæris, audi Dionem Lib. LXXV. Δι' ὃν ταῦτα ὁ Αντωνῖνος τῇ τε γυναικὶ ἀναιδεστάτῃ ὄυσῃ ἀχθόμενος. *Impudentiſſima erat*, nec patre melior, qui omnia inquirebat, quæ Antoninus ageret; Adeò ut in Gemma nihil laudes, ſi non artificii ſublimitatem. Tam exacti ſunt lineamentorum ductus, ut collatis Numiſmatibus, cœcus ſit oporteat, aut omninò in Antiquitate hoſpes, qui famoſum hoc diſſidentium Conjugum Par non illicò agnoſcat. Eâdem facilitate ſe prodit

JULIA MÆSA.

Juliæ Domnæ ſoror, Sœmiadis & Mammeæ mater, avia & Elagabali & Alexandri. Quidni & Maritum addis? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Ideò reſpondit DULODORUS, quòd certa ejus apud Hiſtoricos mentio non ſit. *Julius, Vir*

Vir Consularis quibusdam vocatur, aliis *Avitus*. Tristanus utrumque nomen conjungit, additque cognomen *Lupi*. Si hunc sequaris, Maritus fuerit *Julius Avitus Lupus*. An ab hôc Julio, Juliæ nomen tulit? iteravit ARCHÆOPHILUS. Non ab hôc, respondit DULODORUS, sed à Julio Bassiano, ejus patre. At Lampridio, perrexit ARCHÆOPHILUS, *Varia* dicitur. Scio, reposuit DULODORUS, indeque *Juliam Variam Mæsam* dictam arbitrantur, nec abs ratione; Julius Capitolinus enim in Macrino *Mæsam vel Variam* vocat.

Mæsæ nomen me suspensum tenet, denuò reposuit ARCHÆOPHILUS, neque enim vel aliis id datum novi, vel etiam, unde deduci debeat, assequor. Posterius, subjecit DULODORUS, laudatus modo Tristanus docet: Mæsa, ad ejus placidum, Syriacè *Solem* significat, & Solis ex Urbe, Emesâ scilicet, Julia nostra non tantùm memoratur oriunda, sed & ipsius Solis Sacerdos fuisse, non minus ac nepos Elagabalus.

An ideò velata in Gemma visitur? excepit ARCHÆOPHILUS; Memini enim velum sanctitatis signum esse. Conjecturam non amoveo, respondit DULODORUS; Velatam enim in Nummis etiam Pietatem cernimus, imò & sacrificantes, non viros tantùm, sed & fœminas. In Mæsa autem adhuc Consecratio locum sibi vendicat, id quod fide Numismatis assero, in quo DIVA MÆSA AUGUSTA, non minus ac in Gemmâ, capite velato, CONSECRATIO autem in aversâ pavone, Mæsæ animam in cœlum ferente, exprimitur. Mentionem habet Cl. Vaillant, Præst. Tom. I. f. 135. Huic rationi forsitan eò lubentius assurrexeris, quò clariùs ex ipsâ Gemmâ etiam senectus innotescit, quam Herodianus apertè tangit, μακρῷ χρόνῳ, *longissimo tempore*, inter principalem potentiam enutritam, reversamque domi agitasse jam *anum*, diemque jam *extremæ ætatis* obiisse memorans.

In mentem, subsumsit ARCHÆOPHILUS, mihi venit Nummus Constantii, Consecrationi & ipse dicatus, capiteque velato insignis: Imò & imago Γερουσίας, *Senatus*, quam Celeberrimus Morellius, eôdem ferè habitu prodidit, quô & Mæsa in Gemma visitur. Senatûs imago, respondit DULODORUS, quid huc facere possit, non video, nisi forsan Mæsæ prudentiam sub ea recorderis, quâ non Elagabalum tantùm & Alexandrum, Imperiali fastigio imposuit, sed & labascentem Rempublicam erexit, & sustentavit. Magna ejus hâc in parte apud Authores laus est, sed ego, quod propositum vel maximè tangit, testimonium Consecrationis adduco, quod citatus suprà Herodianus reliquit, his verbis: ἡ μὲν Μαισὰ, πρεσβύτις ἤδη οὖσα, ἀνεπαύσατο τοῦ βίου. ἔτυχέ τε βασιλικῶν τιμῶν, καὶ, ὡς νομίζουσι Ῥωμαῖοι, ἐξεθειάσθη. *Mæsa jam extremæ Senectutis diem suum obiit, honores adepta Imperatorios, atque, ut mos Romanis est, inter Divos relata.* Sequitur

DECIUS,

Quem Authores unanimi consensu Trajano comparant, Imperatori & optimo & fortissimo.

An

An is hic eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, qui à Philippo contra Marinum in Illyricum miſſus, Marinoque occiſo, ab exercitu Imperator factus eſt? Is ipſe, reſpondit DULODORVS; At annos, regeſſit ARCHÆOPHILVS, tantùm quinquaginta is vixiſſe Egnatio memoratur, in Gemma autem provectioris ætatis non obſcura ſunt indicia, & Rugæ, & Calvities. Non in Gemma tantùm, reſpondit DVLODORVS, ſed & in Numiſmatibus ea proſtant, indeque, ſi quæ diſcrepantia foret, potius Egnatium deſererem; Sed nec Rugæ, nec Calvities tantæ ſunt, ut Quinquagenario negari debeant, radiat enim militaris adhuc & vegeta inter eas ſeveritas: Mixta eſt civilis ſeveritati comitas. Illa Virtutem adumbrat, quâ contra hoſtes depugnavit: Hæc bonitatem, quâ Senatum Populumque amplexus eſt.

Virtutem militarem, inquit ARCHÆOPHILUS, & bonitatem laudas, laudant & Hiſtorici, ſcio; Sed liceat, quod ſentio, proferre. In actionibus neutram obſervo An is virtute militari claruerit, qui contra Gothos depugnans ſemel fugatus, iterum victus & occiſus legitur? An is bonitate, qui acerrimus Chriſtianorum hoſtis exſtitit? Trajano eum comparâſti, quid autem Trajano dignum habuit? Civile ingenium, reſpondit DULODORUS, quô ad ampliſſimas dignitates provectus eſt, non ambitione, non emptis ſuffragiis: Quô in Imperatoriâ ſede non tantùm nihil egit, niſi quantum Senatus juſſit, ſed & Cenſoriam poteſtatem, Proconſulare imperium, jus Quintæ Relationis, & Tribuniciæ Poteſtatis, quæ hactenus Imperatores retinuerant, Senatûs Populique arbitrio permiſit. Quòd Chriſtianos perſecutus fuit, id inter crudelitatis indicia reponis; Sed quæsò ARCHÆOPHILE, annon & hoc cum Trajano commune habuit? An mirum hoc in homine Ethnico, cùm Chriſtiani ipſi, vel ſolam diverſitatem opinionum igne ferroque, etiam in fidei fratribus, ulciſcantur? An neſcis id factum pietatis Zelo hos excuſare, adeòque ſibi glorioſum ducere? Ea animæ humanæ debilitas eſt, ut ſuas quisque opiniones pro veritatis norma habeat, contrariasque omni conatu deſtruere nitatur: Ea perverſitas, ut quod verbo & ſpiritu Cœleſtis Arbiter voluit, igne & ferro propagandum arbitretur; Proinde non miraberis, quòd Decii in Chriſtianos odium ab his laudetur, ab illis culpetur: Quòd infelix ejus exitus, ab aliis proditioni Galli, ab aliis divinæ vindictæ adſcribatur. Altera ſententia Ethnicorum eſt, quorum ritus Decius defendit: Altera Chriſtianorum, quos evertit.

Tertiam adhuc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Pomponius Lætus ſuppeditat: *Decii*, inquit, *ut credibile eſt, ſe pro futura victoria devoverunt. Ita enim Deciorum nomen facere conſuevit.* Idem, reſpondit DULODORUS, etiam Vopiſcus videtur ſenſiſſe, *Deciorum & vitam & mortem Veteribus comparandam*, in Aureliano ſcribens. Sed immanis fuit differentia, quam latiùs deducerem, niſi Triſtanus noſter id jam egiſſet. Ad alium proinde Chriſtiani nominis hoſtem properamus, cujus rabies tantò turpior videtur, quantò non doctior tantùm, ſed & Chriſtiana in veritate oculatior fuit,

JULIANUS APOSTATA.

EFfigies, ut vides, ſtupendæ magnitudinis in Gemmâ radiat: Cui autem tribuenda ſit, licet liberum unicuique relinquam judicium, tamen, ut aliquid adferam, dicam quod ſentio. Julianum Apoſtatam collata ejus Numiſmata videntur arguere. Julianum Apoſtatam, an agnoſcam, meritò dubitem, objecit ARCHÆOPHILUS. Ammianum Marcellinum audiamus, de barbâ & habitu Juliani graphicè diſſerentem: *Mediocris*, inquit, *ſtaturæ fuit, capillis, tanquam pexiſſet, mollibus, birſutâ barbâ in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, ſuperciliis decorus, & naſo rectiſſimo, ore paulò majore, labro inferiore diviſo, opima & incurva cervice, humeris vaſtis & latis.* Horum pleraque ad Gemmam conveniunt, ſed acuta barba non convenit. Quod ad barbam attinet, reſpondit DVLODORVS, ea non ſemper acuta fuit, Numiſmata etiam rotundam & obtuſam referunt, uti infrà videbimus. Cœterùm in capillis, quorum mollitiem Ammianus notat, negligentiam cultûs obſerves, quem ipſe in allegato opere teſtatur. Ἐμοὶ δὲ οὐκ ἀπέχρησε μόνον ἡ βαθύτης τοῦ γενείου, ἀλλὰ καὶ τῇ κεφαλῇ πρόσθησιν αὐχμὸς, καὶ ὀλιγάκις κείρομαι. *Ego quidem*, inquit, *hâc prolixitate barbæ non contentus, caput habeo præterea ſquallidum, rarò tondeor.* Hæc quàm appoſitè Gemmam noſtram illuſtrent, ipſe vides. Si ad barbam revertaris, forſitan & illud adduxeris, quod ipſe ad Antiochenſes ſcribit. Ὑμεῖς δὲ φατὲ καὶ σχοινία δεῖν πλέκειν ἐνθένδε; *At vos etiam funes ex ea necti oportere dicitis:* Quod nec ipſum à cyrrhis in Gemma exiſtentibus abire videbitur, præſertim ſi addas Juliani reſponſum. Ἑτοίμως παρέχειν ἔχω ἢν μόνον ἕλκειν δυνηθείητε, καὶ μὴ τὰς ἀτρίπτους ὑμῶν, καὶ μαλακὰς χεῖρας ἡ τραχύτης αὐτῶν δεινὰ ἐργάσηται.

σχῆμα. *Id vobis perlibenti animô concedam, modo pilos poſſitis extrahere, neque eorum aſperitas veſtras molles & delicatas manus offendat.*

De comis & barba acquieſco, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At Corona Spicea, quomodo Juliano conveniat non video, neque enim vel in hiſtoriis, vel in Antiquitatibus tale quid me hactenus obſervâſſe memini. Corona ſpicea, reſpondit DULODORUS, in memoriam revocat, partim ſtudium vilitatis rerum venalium, partim contemtum Diadematis, quo ab initio Principatûs ægrè adduci potuit, ut id aſſumeret. Ammianus Marcellinus utriusque ſe teſtem ſiſtit, de ſtudio vilitatis Lib. XXII. *Inter præcipua*, inquit, *& feria, illud agere ſuperfluum videbatur, quod nullâ probabili ratione, ſuſcepto popularitatis amore, VILITATI STUDEBAT VENALIUM RERUM, quæ nonnunquam ſecius, quàm convenit, ordinata, inopiam gignere ſolet & famem.* De contemtu Diadematis, citatur idem Author Lib. XX. *Impoſitus ſcuto*, inquit, *pedeſtri, & ſublatius eminens, nullo ſilente Auguſtus renunciatus, jubebatur DIADEMA proferre, negansque unquam ſe habuiſſe, uxoris colli vel capitis poſcebatur: Eôque aſſirmante, primis auſpiciis non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera quærebatur, uti coronatus ſpeciem, ſaltem obſcuram, ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cùm id quoque turpè eſſe aſſeveraret, Maurus nomine quidam, poſtea Comes, qui rem malè geſſit apud Succorum anguſtias, Petulantium tunc Haſtatus, abſtractum ſibi torquem, quô ut Draconarius utebatur, capiti Juliani impoſuit confidenter.* Agnoſcis ARCHÆOPHILE, Juliano non tam dignitatis Imperatoriæ gloriam cordi fuiſſe, quàm ſalutem Populi: Agnoſcis idem beneficii in ſubditos eum contuliſſe, quod Ceres, frugum Genetrix, in genus humanum, adeòque mirum non eſſe, ejusdem etiam coronam hâc in Gemmâ ei tribui.

ARCHÆOPHILUS, hæc probabiliter, inquit, dicuntur. Si admittam, quid de Ægide adduces, quam pectori adaptatam cernimus? planè qualiter Minervæ, ex deſcriptione Virgilii Æneid. VIII.

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquammis ſerpentum auroque polibant,
Connexoſque angues, ipſamque in pectore Divæ
Gorgona, deſecto vertentem lumina collo.

Opportunè Virgilium citas, reſpondit DULODORUS, ex ejus enim verbis, non tantùm & ſquammas, & ſerpentes, & caput Gorgonis conjuncta docemur, quæ omnia etiam in Gemma noſtra radiant, ſed & pectori Palladis Ægidem appoſitam diſcimus, quæ alibi in Divæ clypeo viſitur, id quod ſupra ad Judicium Paridis dictum eſt. Pectore Palladis, inquam, bellorum præſidis, ſapientiæque & artium Deæ, cujus ſtudia Julianus impensè cùm fuerit ſectatus, quô ſymbolô ejus merita exprimi potuerant aptiùs? Sed alia ſe ſiſtunt. Elegantiſſimâ hâc in Gemmâ, non incongruâ conjunctione ſe efferunt

MAGNENTIUS, DECENTIUS, ET DESIDERIVS.



HÆccine, inquit ARCHÆOPHILUS, est notissima illa, sub Constantio, fratrum dicam, an Tyrannorum, Triga? quæ barbaris Parentibus orta, non verita est Imperiale fastigium vel per scelus conscendere? Est, inquit DULODORUS, nec opinor, cùm historia Tibi nota sit, pluribus de iis dicendum.

Imò, respondit ARCHÆOPHILUS, si paucis eam repetere dignaberis, perquam gratum feceris; neque enim memori mente cuncta recolo, & historiæ filum in Antiquitatibus contemplandis, gratissimam lucem suppeditare solet. Quoniam ita placet, ait DULODORUS, lubens Tibi morem gero. Dissidebat Constantini M. Soboles: Ceciderat fraterno robore Constantinus Junior. Constantem ultrices furiæ invisum reddiderant: Cùm ecce Magnentius, diro atroque ingenio, non Senatûs suffragio, non militum electione, sed per jocum in cœna, Imperator appellatur, appellatus ab Exercitu agnoscitur, & ne quid magnitudini obstaret, Constantis Domini sui cæde securitati suæ providet. Non tulit Constantius, qui de Constantini sanguine jam solus superarat, nec Occidentis damnum, nec fraternæ necis impunitatem. Viribus igitur coactis, hosti obviàm processit. Similiter & Magnentius, ne fortior videretur rapiendo, quàm tuendo Imperio, fratre Decentio Cæsare creato, Galliisque imposito, & ipse in Illyricum movit. Fiunt leves hinc inde velitationes, in quarum plerisque Constantianam virtutem Magnentii dolus superavit, donec ad Mursiam ingenti prælio succubuit, rebusque desperatis, cùm in Gallias refugisset, se ipsum transfodit. Fraternum exemplum secutus & Decentius, laqueo vitam exuit. Desiderius utroque melior, Victoris clementiam experturus, Constantium adiit, & ab eo liberaliter habitus est. Historiam habes, qualiter ferè apud Zonaram, Zosimum, Aurelium Victorem & Pomponium Lætum legitur. Illud non omittendum, Decentium Zosimo non *fratrem*, sed *Propinquum Magnentii* dici, militesque apud Ammianum ab utroque *Magnentianos* & *Decentianos* vocatos fuisse, durâsseque Tyrannidem tribus annis & sex mensibus.

De Magnentio & Decentio, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc abundè instruunt. De Desiderio adhuc dubium est, annon & ipse Cæsaris titulo insignis fuerit? Apud Authores, respondit DULODORUS, id non occurrit, sed exstat Numisma apud Stradam, in quo N. C. cognominatur. Vidi illud Numisma, regessit ARCHÆOPHILUS, etiam ab Illust. Mediobarbo prolatum, & jam recordor effigiem ibi barbaram esse, adeòque dubitari posse, an Desiderius hîc cum fratribus agnosci debeat? De Magnentio & Decentio, respondit DULODORUS, adeò capillorum conveniunt ordines, adeò lineamentorum suffragantur

gantur ductus, ut de iis dubium esse non possit, indèque facile judicium est, nec tertiam faciem alii, quàm tertio fratri, Desiderio nempe, tribui debere. Fateor in Numismate non barbam tantùm obstare, sed & faciei habitum, qui in Gemmâ sursum spectat, is in Numismate capite demissô visitur; Sed in mentem venit suspecta Numismatis fides, quod ærugine consumptum, facile potuerit spectatorem suum fallere; Neque enim verisimile videbitur, fratrem natu minimum, & qui paulò post Magnentii mortem, Cæsaream dignitatem deposuit, barbâ conspicuum cernere, cùm nihil tale in fratrum majore & medio occurrat? Id eò magis videtur asserendum, quòd utrinque Desiderii effigies, tam apud Stradam, quam in nostra Gemma ore aperto cernitur, indubitatò argumentò, conjecturam nostram adeò futilem non esse. Sed Tyrannos ut deseramus, sequenti in Gemma nos monet

IMPERATORIS IN PACE VIRTUS.

PLura sunt in Numismatibus Imperatorum, globos & hastas prætendentium, schemata. Alexander Severus, Gordianus Pius, & Constantinus M. globo, quem præferunt, hastam imponunt, eum quasi defensuri. Philippus Junior, dextrâ globum, sinistrâ hastam, & à tergo duo signa militaria habet, ut bellicâ virtute se orbem tuiturum ostendat. Numerianus dextrâ globum, sinistrâ hastam inter duos captivos exhibet, ut simul & victorias, bellicâ virtute obtentas, Orbi jactet.

In nostra Gemma, inquit ARCHÆOPHILUS, nec Captivi sunt, nec signa: Orbem non defendit Imperator, sed elevat: Imò & nudo corpore incedit, id quod in allegatis secus est. Eò rarior est hæc Gemma, respondit DULODORUS; Licet enim nec Captivi, nec signa appareant, arma tamen non negligit, sed jaculum humero impositum gestat, ambulatque inter Cassidem & Clypeum. Cassis & Clypeus securitatis instrumenta sunt. Hæc qui à tergo, & à fronte habet, quidni securus orbem sustineat? Cassis capiti muniendo, clypeus corpori tegendo inservit: Ita hîc & Imperatoris, qui caput Imperii est, & subditorum, qui corpus sunt, haud ineleganter adumbratur securitas. Imperator jaculum tenet, ut noscas, arma offensiva etiam in pace esse retinenda: Idem tamen cuspidem retrorsum vertit, ut significet, retinenda quidem, in hostem autem non temerè vertenda.

Eleganter hæc exsequeris, inquit ARCHÆOPHILUS. Sola nuditas adhuc restat, de quâ si docueris, ad alia properantem non morabor. Nuditas, respondit DULODORUS, boni Principis indicium est. Qui etiam in Pace se

contra cuſpides munit, cum ſceleris ultrix in pectore Nemeſis agitat. Qui Reipublicæ paternè proſpexit, is nullo munimine eget.

Integer vitæ, ſceleriſque purus,
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,

Inquit Horatius, de quocunque ſibi benè conſcio: Et apud Plutarchum in Apophthegmatibus Laconicis: Agaſicles interrogatus, quomodo Princeps ἀδορυφόρητος *ſtipatoribus carens*, tutò imperare poſſet? Si ſubditis ita imperet, inquit, ut Pater filiis. Quod hi de jaculis & ſtipatoribus, id ego de quocunque Corporis munimine aſſerere auſim. Solâ hic noſter Imperatoriâ Chlamyde ornatus eſt: Et Princeps bonus non veretur, in cujuscunque ſubditorum ſuorum ſinum ſe vel nudum demittere.

Forſitan, inquit ARCHÆOPHILUS, Imperatoris officium hâc nuditate adumbratur; Omnibus enim patere debet, qui omnium Pater eſt. Si ita ſentias, reſpondit DULODORUS, non refragabor, quanquam officium Principis ſub Orbe mihi latere videatur, quem Imperator noſter non deprimit, ſed extollit. Sub Orbe totum imperii ambitum, omnesque in imperio ſubditos intelligimus. Omnes imperator, quaſi manu ſuâ, non geſtare tantùm, ſed & extollere debet. Imperatores Romani, frequenter in Numiſmatibus, globum cum victoriolâ præferunt, non globo, ſed ipſis Imperatoribus laureas imponente, procul dubio, quòd Orbem victoriis ſui juris feciſſent, immortalemque gloriam eô factô meruiſſent. Non ita Imperator noſter. Orbem ſuſtinet nullis victoriis ſubactum, ſed Principis ſui ope ſublimem: Non alienâ gloriâ preſſum, ſed Auguſtâ Providentiâ felicem.

Nihil ſupereſt, inquit ARCHÆOPHILUS, quàm ut ſub hoc ſchemate *IMPERATORIS MARCHICI* auguſtiſſimam virtutem & intueamur & veneremur. Ipſe, ut video, Orbem ſuum, circumſtrepente undique bellorum furiâ, tranquillum tamen & in Pace, non ſervat tantùm, ſed & extollit: Pacis in ſolio, bellis providet: Hoſtes non laceſſit, ſed repellit: Aſylum eſt exulibus, Terror hoſtium, Amor Civium: Vigent undique Artes & Diſciplinæ: Florent Juſtitiæ munia, fervet commerciorum ſolertia: Securi ſunt ſubditi providente Principe, ſecurus Princeps ſuâ virtute. Uno verbo dicam: Orbis Teutonici Hic non Amor tantùm & Deliciæ eſt; Sed & Tutela, & Robur, & Gloria! Verè, hæc, ſubjecit DULODORUS, ſed ſi à me proficiſcerentur, vereor ut modeſtia Principis admitteret. Attamen cum eadem non Tua tantùm, ſed & Orbis Terrarum vox ſit, Tibique placeat ſub hoc Imperatoris ſchemate etiam felicitatem noſtram contemplari, illud tantùm moneo, Globo huic, ut meritis *Aquilæ Brandenburgicæ* conveniat, omninò imponendam Felicitatem, eamque fulgidam hinc Ubere Cornu, inde Caduceo, quorum illud omnigenæ abundantiæ, hic autem non Pacis tantùm, ſed & liberrimæ Religionis ſymbolum eſt. Sed hæc nunc non agimus. Propoſitum perſequimur. Imperatoris in Pace Virtutem commodè excipiunt

VIGI-

Digitized by

VIGILANTIA ET INDUSTRIA REBUS FELICITER AGENDIS NECESSARIÆ.



NIhil hâc in Gemmâ obſcurum eſſe poteſt. Vulpem Prudentiæ ſymbolum eſſe, facilè credideris. Facilè credideris, Gallum eſſe Induſtriæ: Idcòque, cùm Gallus hic currum trahat, Gallum autem inſidens currui vulpecula dirigat, quid eô ſchemate adumbrabitur, ſi non rerum actio, quæ Induſtriâ promovetur, Prudentiâ dirigitur?

Vulpem ferè ſimilem, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Leonh. Auguſtinum cernimus, eâ tantùm cum differentiâ, quòd duos illic Gallos currui junctos, hîc autem tantùm unum cernamus. Sed differt interpretatio. Vulpem, quam Tu prudentiæ ſymbolum videris ſtatuere, Auguſtinus ſymbolum aſtutiæ facit, additò Epigrammate:

En trahitur celeri mendax Vulpecula curru,
Verberat & vigiles callida ſemper aves.
Inſomnes volvit ſoller: aſtutia curas
Utitur aſſiduis, inſidioſa dolis.

Noſti DULODORE, quæ Vulpis apud Authores Elogia ſint. *Aſtuta* dicitur Horatio: *Fallax*, Ovidio. Oppiano ἀγκυλόμητις *verſipellis*, *verſuta:* Adeò ut neſciam, annon cum Auguſtino, potiùs vigilantiam fraudum hîc intelligendam exiſtimare debeam?

Ubi me audiêris, inquit DULODORUS, decernere licebit. Vulpes, me judice, non tantùm ob fraudes diffamatur, ſed etiam ob prudentiam laudatur. Oppiano non tantùm Ἀγκυλόμητις *verſipellis*, ſed etiam Ἀρηίος καὶ πινυτὴ dicitur, *Martia* & *prudens*. In Thracia Vulpes, locis rigentibus fluvium tranſitura, Plinio teſte lib. VIII. c. 28. aurem ad glaciem admovet, eôque modô craſſitudinem explorat. Id quod & Plutarchus refert, librô de Solertiâ animalium. Quod quæsò majus prudentiæ ſpecimen edere poſſet? Parturiens vulpes, Ariſtotele teſte, ita ſecedit, ut rarò capiatur, quod & ipſum hieroglyphicum prudentiæ eſt, non fraudes aliis intentantis, ſed ſibi ab aliorum inſidiis caventis. Equidem dolos ego non excluſerim; Cùm enim, ut dictum, non gallus tantùm, ſed & vulpes animal Martium fuerit, vulgatum autem illud,

Dolus, an Virtus? quis in hoſte requirat?

Tantas hodie in bello radices egerit, ut plures victoriæ ſtratagematibus obtineantur, quàm fortibus armis, quidni Prudentiam & induſtriam bellicam hîc adumbratas ritè dixero, quæ ab hoſtium inſidiis ſibi non tantùm cavet, ſed & in inſidiantes inſidias retorquet? Nec in bellis tantùm, imò & in Civili rerum adminiſtratione: Dolum bonum etiam Jura agnoſcunt, & ea vera eſt Prudentia, quæ ſolerter & commoda & pericula prævidet, illaque parandi, hæc evitandi rationes miniſtrat. Quidni ſub Vulpeculâ hæc commodè Tibi imagineris?

Abnue-

Abnuere non ausim, respondit ARCHÆOPHILUS, sed de Gallo miror, quomodo hunc Industriæ symbolum facias, cum tamen, secundum communiorem sententiam, Vigilantiæ is typus sit? Id quod etiam Augustinus secutus est. Vigilantia, respondit DULODORUS, hoc loco non sufficit. Licet prudenter vigiles, & vigilanter, quid agendum sit, consulas, consulta autem non industriè exequaris, non video, quomodo res procedere possint? Eleganter Sallustius: *Prius*, inquit, *quàm incipias, consultò, & ubi consulueris, maturè facto opus est.* Appositè ad Gemmam. Gallus in hàc non tantùm vigilat, sed etiam currum trahit, adeòque symbolum non vigilantiæ tantùm est, sed etiam industriæ. Mercurio sacratur, ob diligentiam annunciationis: Sacratur Marti, ob Pugnacitatem, &, quod caput rei est, Minervæ Ἐργάνῃ sivè *Operatrici* sacratur, id quod Pausanias El. posteriore docet, non aliam ob causam, quàm ob industriam, quâ ab Oriente sole ad Occasum, ab Occasu ad Orientem usque fervet, intentus mox pugnis, mox suorum nutritioni, mox indicandis temporum periodis. Acquiesco, inquit ARCHÆOPHILUS; Neque enim diutiùs morari nos convenit, cum adhuc alia supersint. Bene mones, respondit DULODORUS. Vocat nos

DESULTOR
OBTENTA IN CIRCENSIBUS VICTORIA PALMAM LEMNISCATAM ostentans.

Sineth incis.

EQuitem vides, & vides duos Equos ARCHÆOPHILE, eosque elegantissimo cœlo, haud ignobili Gemmæ incisos. Equorum numerus rem ad desultores deducit, id quod ex Numismate Gentis Martiæ, imò & Sepulliæ apud Goltzium in Cæs. Tab. 22. & Patini Famil. colligimus, in quô Desultor itidem duobus equis insignis est.

Numisma Gentis Martiæ, excepit ARCHÆOPHILUS, quin desultorem exhibeat, negare non possum; sed quanta illius à proposito sit differentia, ex collatione patebit. Utrinque quidem Eques pileatus est, sed hîc palmam gerit, illic flagellum vibrat: Hîc equi pededentim incedunt, illic effuso cursu volitant. Et quæso, nonne id proprium desultorum officium est, ut inter cursum ex equo in equum transiliant? Homerus Il. O. ℣. 679. rem apertè edocet:

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν ἐῢ εἰδὼς,
Ὅς τ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρας, συναείρεται ἵππους
Σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄστυ δίηται
Λαοφόρον καθ' ὁδὸν, πολέες τέ ἑθήσαντο
Ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες, ὁ δ' ἔμπεδον, ἀσφαλὲς αἰεὶ
Θρῴσκων, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλου ἀμείβεται, οἱ δὲ πέσονται.

Ut

Ut quum vir equis desultoriis uti benè sciens,
Qui postquam ex multis, quatuor congregavit equos,
Impellens ex campo magnam ad civitatem agitat
Publicam per viam, multique eum admirando spectarunt
Viri & mulieres; hic autem firmiter securè semper
Saliens, aliquando in alium alternat: illi autem volant.

Hunc Homeri locum eò lubentius protuli, quò plura simul nobis ob oculos ponit. *Primò* enim ex eo discimus, non Romæ tantùm, sed etiam antiquissimis temporibus apud Græcos, Desultores viguisse. *Secundo* de numero Equorum instruit, non semper duos tantùm Desultoribus fuisse, sed & quatuor. *Tandem* probe notanda vox κελητίζειν, quæ hîc pro Desultoris officio ponitur: Nonne hujus energiâ adductus, ritè rem ad victoriam quandam Olympicam retuleris, Celete obtentam?

Nullò modò, respondit DULODORUS; Aliud enim est ἵπποις κελητίζειν *Equis desultoriis uti*, seu *equos desultorio more transilire*, aliud κέλητι, *Desultorio Equo* victoriam reportare. Illud pluribus equis fit, hoc autem non nisi unò. Si ad Victoriam Olympicam respicere Tibi animus est, aliud ludorum genus proferas necesse est; Sed vereor, ut possis.

Συνωρὶς in mentem venit, subjecit ARCHÆOPHILUS, Pausanias enim in El. priore: Δρόμος δὲ δύο ἵππων τελείων συνωρὶς κληθεῖσα. Τριτῃ μὲν Ὀλυμπιάδι ἐτέθη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα. *Bijugorum integrâ ætate equorum cursus receptus Olympiade tertia & nonagesima.* Id in El. posteriore: τῷ τρωίλῳ δὲ τελείῳ τε συνωρίδι καὶ πώλων ἅρμασι, ubi expressè Currum à Synoride distinguit, proculdubio quòd hæc nihil aliud esset, quam ut priore loco dixerat, duorum Equorum cursus, quorum proinde victoriam in Gemma hâc agnosci debere, quidni ritè statuero? Addere potuisses & alium Pausaniæ locum in Laconicis, respondit DULODORUS, ubi de Euryleonida, νίκην δὲ ἵππων συνωρίδι ἀνείλετο Ὀλυμπικήν. *Victoriam EQUORUM SYNORIDE Olympicam obtinuit*; Quæ verba non minus ac superiora de equis loquuntur; Sed probe observandum, id oppositè fieri, non ad Currum, sed ad Synorida Pullorum, quorum alibi meminit. Cæterùm Synorida currum fuisse, facile probavero. Pausaniam audiamus de Apene loquentem. Ἦν γὰρ δὴ Ἀπήνη κατὰ τὴν συνωρίδα ἡμιόνους ἀντὶ ἵππων ἔχουσα. *Erat Apene*, inquit, *ad modum Synoridis, Mulos loco equorum habens*; Addamus Suidam, qui Ἀπήνην ἅμαξαν *currum* interpretatur, & Homerum, qui ἡμιονέην ἅμαξαν Odyss. Z. ℣. 72. quibus cum Pausania junctis, indubiè sequetur, etiam Synorida currum fuisse.

At Συνωρίς, objecit ARCHÆOPHILUS, propriè duos equos jugatos significat, nec energia vocis currum involvit? Id Tibi facile cesserо, respondit DULODORUS, nunc autem hoc non quæritur, sed potiùs, quâ significatione communiter apud Authores censeatur? Hesychius συνωρίδα explicat ἅρμα δίπωλον: & denuò, συνωρὶς, inquit, ἅρμα ἐκ δύο ἵππων, ἡ συζυγία. Intelligis ARCHÆOPHILE, solertissimum Grammaticum utrinque συνωρίδα pro curru sumere, illic cui duo equi, hîc cui duo pulli juncti sunt. Effatum cum Pausania ex asse convenit, cui, ut dixi, συνωρὶς ἵππων & συνωρὶς πολικὴ memoratur; Quod de distinctione Currûs à Synoride attulisti, id meam opinionem non ferit, ἅρμα enim eô Pausaniæ locô, non pro bigis pullorum, sive Synoride ponitur, sed pro quadrigis, quô sensu vocabulum ἅρμα sæpius etiam apud Pindarum legas.

Tela, infit ARCHÆOPHILUS, quibus Gemmam hanc Olympicis vindicaturus eram, mihi excussa sentio, interim tamen nec ratio succurrit, quæ Circensibus Romanorum eam addicat, multò minus quæ Desultori. Paribus equis, id est, duobus Romani utebantur in prælio, ut sudante altero, transirent

in ſiccum: Et Jul. Pollux inter alia equitum genera etiam ἀνίππους memorat, aitque, δύο δὲ εἶχον οὗτοι ἵππους καὶ ὁ ἕτερος προσήρτητο θατέρῳ, καὶ μεμελετήκεσαν μεταπεδᾶν εἰς ἑκάτερον. *Duos hi verò equos habebant, alter verò alteri adjungebatur, & in alium ipſi tranſilire ſtudebant.* Manilius lib. V.

Nec non alterno deſultor ſidere dorſo,
Quadrupedum & ſtabiles poterit deſigere plantas
Per quos vadit equos ludet per terga volantum,

Livius lib. XXXIII. *Numidæ quidam*, inquit, *deſultorum in modum, binos trahentes equos, inter acerrimam ſæpè pugnam in recentem equum, ex ſeſſo trauſultare ſolent.* Ubique Deſultores deſcribuntur, nullibi autem, quales in Gemma video. Antequam reſpondeam, ſubjecit DULODORUS, paucis notetur, apud Jul. Pollucem non Ἄνιπποι, ſed ἄμιπποι, vel, quod verius arbitrantur Docti, ἀμφιπποι legendum eſſe. Ἄνιπποι ſunt *equitandi rudes*, ſecundum eundem Pollucem lib. I. cap. XI. n. 12. aut *equis carentes*, ex vocis etymo; At ἄμιπποι ſunt *equis adjuncti*, aut *ipſi Equi copulati*, aut denique etiam *Equites, duos equos agitantes*, uti videre eſt apud Euſtatium ex Pauſania in allata ſupra Homeri verba, quanquam magis propriè dicantur ἀμφιπποι. Hos enim fuiſſe eosdem, quos latinè *deſultores* dixere, ex Æliano in Tacticis adſtruxeris: ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς εἰθισμένους μεταβάινειν ἀπὸ ἄλλων ἵππων ἐς ἄλλους. *Amphippos dixére, uti aſſuetos tranſilire ex aliis equis in alios.* Hæc ad Julium Pollucem præmittenda duxi. Quod ad Gemmam attinet, notandum, non eum Deſultoris habitum eâ exprimi, quô re ipsâ deſultat, ſed eum, quô, finito jam curſu, victoriæ præmium reportat. Id ex palma agnoſcis; Qui enim in Nummo Gentis Marciæ viſitur, nullâ palmâ conſpicuus eſt.

Palma, excepit ARCHÆOPHILUS, denuò me ad ludos Olympicos trahit. Victores cunctos ubique locorum palmam dexterâ prætuliſſe, ex Pauſania docemur, qui & Jaſium, quòd Equo in Olympicis viciſſet, dextrâ palmæ ramum tenentem, inter ſtatuas memorat. Addit & cauſam rei, quòd ſc. Theſeus ex Creta redux Victores Palmâ coronaverit. Hæc cum ita ſint, quidni ex inſigni Palmæ Olympionicen quendam hâc in Gemmâ expreſſum arbitremur? non quidem decurrentem, ſed poſt acceptam victoriam equos reducentem, Victoriæque præmium jactantem? Idem ſane & Pileus in capite indicare videtur, cùm ut ſupra ex Diodoro audivimus, Dioxippus Olympionices decenti Pileo ornatus fuerit, quod ideò ab Authoribus effingi Te memini ſtatuiſſe, quòd Pancratiaſtæ aut Olympionicæ eò habitu uti ſolerent. De Pileo, inquit DULODORUS, non adeò refragabor. Novi exempla Anſelmo Solerio coacervata in tractatu de Pileo pag. 166. ſeq. licet Henricus Kipping in Antiquitatibus R. diverſum videatur tueri, & Anacharſis Scytha, apud Lucianum de Gymnaſiis ad Solonem Athenienſem, Pileum ſe domi reliquiſſe memoret, ne ſolus habitu peregrino uteretur, cui Solon reſpondit: Aſſiduæ, ô Anacharſi, in cœno volutationes, & quos ſub dio in arena ſuſtinemus, labores nobis hoc præſtant præſidium adverſus radios Solis, neque amplius egemus Pileo. Illud tantùm dicam, Pileum non minus etiam Romanis in uſu fuiſſe, præſertim Deſultoribus, idque more à Polluce deſumpto. Audi Hyginum: *Cùm* (interfecto Caſtore) *ipſe* (Pollux) *ſtellam ab Jove accepiſſet, & fratri non eſſet data, ideo quòd diceret Jovis, Caſtorem ſemine Tyndarei & Clytemneſtram natos: ipſum autem & Helenam, Jovis eſſe filios. Tunc deprecatus Pollux, ut liceret ei munus ſuum cum fratre communicare: cui permiſit, ideoque dicitur alternâ morte redemtus. Unde etiam Romani ſervant inſtitutum, cùm* DESULTOREM *mittunt*, UNUS DUO EQUOS HABET, PILEUM IN CAPITE, DE QUO IN EQUUM TRANSILIT, *quod ille*

ſuâ

ſuâ & fratris vice fungatur. Quid propiùs ad Gemmam noſtram dici poteſt? Quid? annon Pileus eadem formâ conſpicuus, quâ Caſtorum eſſe ſolet, rem aperte evincit?

Negare non poſſum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed non in Pileo ſolo, imò, & quidem potiſſimùm in Palmâ opinionis meæ baſin poſui. Nihilò firmius, reſpondit DULODORUS, non enim Palmam hìc nudam cernis, ſed Palmam Lemniſcatam, qualis non in Olympicis, ſed Romæ tribuebatur. Id ex Cicerone pro Roſcio Amerino intelligere poteris. Infames ibi Capitonis Palmas recenſens, *Hanc primam*, inquit, de cæde nempe Roſcii, qui Capitonis fraude interfectus eſt, *eſſe Lemniſcatam audio, quæ Romæ deferatur.* Manet ſcilicet in Metaphora gladiatorum Orator, vocatque *Lemniſcatam*, quaſi maximè illuſtrem, idque ideò, quod Romæ primis victoribus Palmâ Lemniſcata tribueretur, ſecundis autem absque Lemniſco. Id quod de ludis Capitolinis docet etiam Joſephus Scaliger in Lect. Auſon. citatô illò ad Paulinum Ep. 20.

Et quæ jam dudum Tibi Palma Poëtica pollet,
LEMNISCO ornata eſt, quò mea Palma caret.

Palmam Lemniſcatam memoras, inquit ARCHÆOPHILUS; Quidni igitur & explicas, quid Lemniſcus fuerit? in Palma nihil video, præter exiguam faſciolam utrinque dependentem. Hæc ipſa, reſpondit DULODORUS; *Lemniſcus* vocabatur. Sextum Pomp. Feſtum audi? *Lemniſci, id eſt faſciolæ*, inquit, *dependentes ex coronis propterea dicuntur, quòd antiquiſſimum fuerit genus coronarum lanearum.* Sed Deſultorem noſtrum ſatis deſultoriè tractavimus. Alia ſe nobis offerunt, nec ipſa forſitan comtemplatione indigna. Prodit

SPHÆRISTA
PILÆ PAGANICÆ.



Chalced. incis.

FIgura nuda hâc in Gemmâ trunco arboris inſidet, & utrinque Pilam tenet. Pilæ, quas manibus tenet, indubitatum argumentum exhibent, Sphæriſtam hîc adumbrari. Ego potiùs δισκοβόλον credidero, inquit ARCHÆOPHILUS, idque ſuadente Propertiô, quô authore,

Miſſile δισκοβόλος *pondus in orbe rotat.*

Minus concinnè Poëtam allegas, reſpondit DULODORUS, illud enim, *in Orbe rotat*, non de figurâ diſci intelligendum, ſed de actu diſcobolorum, qui diſcos in aëre rotare ſolebant. Si de diſci figura quæras, non globi rotundi, ſed lentis inſtar orbicularem deprehendes, indeque cùm in Gemma noſtra globorum figura ad oculum pateat, facilè opinor, meæ ſententiæ adhærebis, non ad Diſcoboliam Gemmam referens, ſed omninò ad Sphæriſticam.

Sed plures fuêre Sphæriſticæ ſpecies, inquit ARCHÆOPHILUS, non apud Græcos tantùm, ſed etiam apud Romanos. Apud Græcos innotuit μεγάλη σφαῖρα, μικρὰ σφαῖρα, κενὴ σφαῖρα, καὶ πώρινος. *Parva Pila, Magna Pila, Pila inanis, &*

nis, & *Corycus*. Apud Romanos in uſu fuit *Follis*, *Trigonalis*, *Paganica*, & *Harpaſtus*. Ex omnibus his video Te *Paganicam* in Gemmâ agnoſcere, ſed velim cauſam ſcire, quæ judicium ſuggerat. Eam facile dedero, inquit DULODORUS. Si Hieronymum Mercurialem conſulas, quò authore dictæ Sphæriſticæ ſpecies innotuerunt, *Follis*, Pila magna fuit, *Trigonalis* fuit parva, *Paganica* trigonali latior, non ita tamen, ut eſt follis, laxa, ſed durior; *Harpaſtus* itidem erat parva. Ex his conſtat differentias generum ex diſſimili ferè magnitudine Pilarum deſcendere. Si Pilas propoſitæ Gemmæ examines, tantæ eæ non ſunt, ut manum integram adimpleant: Minorem tamen fuiſſe Trigonalem, inde conſtat, quòd in Numiſmate M. Aurelii apud Byzantios percuſſo, laudato Mercuriali teſte, quibusdam digitis eam contorſerint ludentes: Et cum Harpaſtus itidem parva fuerit, nec de hâc aliquid ſtatuendum. Quod ad follem attinet, is multò major fuit, quàm ut volam tantùm occupare potuerit. Supereſt ergò Paganica, quæ Trigonali latior, Folle anguſtior fuit, & proinde in noſtra Gemmâ expreſſa eſſe, haud abſurde creditur.

Si Romani tantùm hôc ludô ſe exercuiſſent, forſitan aſſentirer, regeſſit ARCHÆOPHILUS, cùm autem etiam Græcorum is fuerit, uti ſupra demonſtravi, judicium ſuſpendo, donec & de his docueris. Genera Græcis uſitata, reſpondit DULODORUS, hîc locum habere non poſſunt: Non σφαῖρα μεγάλη, ſive *magna Pila*, quia major fuit, quàm propoſita: Non σφαῖρα μικρὰ, Pila parva, quia fuit minor. Reſpondent ſcil. hæc duo genera Folli & Trigonali: Et ſi magnitudinem conſideres, medium genus, quod in Gemmâ cernimus, planè deficit; Neque enim vel σφαῖραν κενὴν, vel Corycum in medium adduxeris, cùm illa, vel ipſo Mercuriali teſte, tantæ magnitudinis fuerit, ut ipsâ difficulter luderetur, Corycus autem non liber, ſed in Gymnaſio ſuſpenſus, tantæ molis fuerit, ut impellentem, niſi dextrè exciperetur, non rarò proſterneret. Poſſem omnia hæc latiùs probare, ſed palmam præripuit laudatus Mercurialis, eumque ſecutus Faber in Agoniſtico. Id ex hactenus dictis indubiè conſtat, Gemmam non ad Græcos, ſed ad Romanos pertinere: Conſtat, non aliam Sphæriſticæ ſpeciem quàm Paganicam eâ adumbrari, id quod ex trunco, cui figuræ hæc inſidet, & arbore, quæ à tergo viſitur, adhuc luculentiùs apparet. Paganica enim dicta eſt à Pago, quòd communiſſimum hoc genus in Pagis præcipuè luderetur.

At in Gemma, inquit ARCHÆOPHILUS, Sphæriſta non ludit, ſed ut dicis, ſedet. Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, neque enim eò minus Sphæriſta eſt. Hercules non ſemper monſtra oppugnat, ſed interdum etiam quieſcens fingitur, nihilò tamen minus Hercules eſt. Secus autem, quæ in ſequenti Gemma exhibetur,

PRÆFICA.



MUlierem vides, vultu in lacrymas demiſſo, ante murum, aut truncum arboris, in novum ramum germinantis, cui urna impoſita eſt, ſedentem. Præficam

cam hanc esse, sive mulierem, ut Festus loquitur, ad lamentandum mortuum conductam, ex Admirandis Romanorum adstruitur, ubi in funere Meleagri Præfica simili ferè habitu occurrit, quò in nostra Gemma visitur. Conducebantur ejusmodi fœminæ, idque mercede, quod Lucilius Lib. XXII. Sat. testatur:

— — *Mercede quæ*
Conductæ flent alieno in funere Præficæ,
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

Quibus ex verbis & officium exprimitur. Flere solebant, non suò, sed alienò in funere, idque intensiùs, quàm ad quos defuncti luctus pertinebat. Audi Apologum Æsopi: *Dives duas habens filias, alterâ mortuâ, præficas conduxit; Quum verò altera dixisset: Ut nos lamentari nescimus, hæ verò non necessariæ sic vehementer plangunt! Mater ait; Ne mirare filia, si hæc ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt.* Et Horatium:

Quæ conductæ plorant in funere dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Dicunt & faciunt; neque enim solò fletu spartam suam obibant, sed & mortuos laudabant. Ita Nævius in Freto:

Hæc quidem herclè opinor Præfica est, nam
Mortuos collaudat.

Laudatio ut plurimùm cantu ad Tibias peragebatur, vocabaturque cantus is *Nænia.* Ita Festus: *Nænia est carmen, quod in funere laudandi Gratiâ cantatur ad tibiam.* Et Nonius: *Nænia ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ Præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* Carmen ineptum vocat & inconditum; nugis enim erat plenissimum. Inde Plautus in Asinaria Act. IV. Sc. 1.

Hæc sunt non nugæ, non enim mortualia.

Sed hæc de officio Præficarum paucis: In Gemma præter hanc cernitur Urnula trunco emortuæ arboris insistens. Emortua docere potest, Urnulam hanc non aliam esse, quàm Emortualem, in quales combustorum corporum cineres & ossa componere solebant, unde & *Cineraria* & *Ossuaria* dictæ sunt. Materia earum varia erat: Urna aurea Severi memoratur Spartiano, Trajani Eutorpio, Constantii Hectori Boethio, ut Antiquiores Hectoris & Achillis taceam, de quibus Homerus Il. 24. ℣. 795. Odyss. 24. ℣. 74. Ajacis apud Q. Smyrnæum lib. V. ℣. 652. Urnæ argenteæ mentio est apud Ammianum Marcellinum, est & apud Quintum Smyrnæum lib. III. ℣. 729. Sed auro inductæ æneæ meminit Virgilius lib. VI. Æn. Marmoreæ sive ex lapide porphyretico Xiphilinus: Fictilis, in quali & Ariadnam sepultam Pausanias in Corinthiacis memorat, Propertius lib. II. El. XII.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos,

& Epigramma Crinagori lib. III. Anthol. Cap. VI. in Philostratum:

Σὸς δὲ νέκυς λαφαρῇ κεῖσετ' ἐν ὀστρακίνῃ.
Tuum cadaver tenui jacet in testa.

Sed hæc latiùs exegit Kirchmannus de Funeribus Romanorum, nec arbitror operæ pretium, utpote rei notæ pluribus immorari.

At mihi, subjecit ARCHÆOPHILUS, bonâ Tuâ cum veniâ, haud ita leviter tangenda videtur hæc Gemma; Quid enim venustius occurrere poterit? Urnam hanc non nudam video, sed exornatam, qualiter & aræ solent. Video tunicam, nisi quòd exiguis rugis distincta sit, corpori presse adglutinatam; eô planè modô, quô madida solet. Hæc procul dubio cœlator non frustrà fecerit?

cerit? Accedit non exigua à Præfica, quæ in Admirandis Bellorii exstat, differentia. Illa enim velô caput obtexit, at hæc apertô vertice, nisi quòd tæniâ redimita est, capillos demittit; Illa manus prætendit, tanquam ultimum vale pronunciatura, at hæc in elevatum super lapidum struem alterum genu & manus imponens, & vultum demittens, quid nisi mutas lacrymas exerit? quid nisi luctum non variis gesticulationibus fictum, sed veris ac internis doloribus stupescentem? Caput certè in genu positum mœstitiæ signum esse, vel apud Theocritum vides, Idyll. XVI. ℣. 11. ubi Gratiæ, quòd frustra viam suscepissent, & indonatæ reversæ essent, Ψυχροῖς ἐν γονάτεσσι κάρη μίμνοντι βαλοῖσαι ἐνθ' ἄυη σφισιν ἕδρη, *Frigidis in genibus, capite manent posito, ubi squalida sedes eis est.* Hæc si mecum considero, labor ut non Præficam, sed mulierem verè lugentem, hic expressam arbitrer, & firmat opinionem Ovidius Fast. II. de Lucretia:

— — *Passis sedet illa capillis,*
Ut solet ad nati mater itura rogum.

Et Tibullus El. III.

Non Soror Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Desierat ARCHÆOPHILUS, DULODORUS autem, quoniam, inquit, Tibi ita videtur, orationem latiùs extendam. Præficarum & fœminarum verè lugentium ritus utrinque fuerunt iidem, nisi quod Præficæ fictis lamentationibus veros fletus superabant, uti jam supra monui. Hæc cùm ita sint, jam constat, ritus verè lugentium etiam Præficas observâsse, sed non omnes Præficarum, fuisse etiam vere lugentium: Proindeque si verè lugens hîc expressa indubiè videri posset, id quod Tibi lubens cesserim, cùm versus Tibulli admodum faveant, opinionem tamen de Præfica pari hactenus passu ambulaturam. Mihi quidem, ut in hac Gemma Præficam potius agnoscendam arbitrarer, suasit habitus ante urnam sedentis, qualem in Admirandis videre est: Suasit elatus super saxum pes, qui non ueri, sed affectati doloris indicium videtur: Adderem & tunicam madore corpori quasi adglutinatam, nisi & de veris luctibus talia proderent Poëtæ. Corippus de funere Justiniani Imperatoris:

Funduntur lacrymæ ritu nivis, imbre madebant
Cunctorum Vestes.

Et Ovidius in Epist. Ariadnes ad Theseum:

Aspice demissos lugentis more capillos,
Et tunicas lachrymis, sicut ab imbre, graves.

Demissos capillos, inquit, idque ex more Romano, teste Plutarchô in Quæstionibus; Nihil igitur obstat velum Præficæ ejus, quam ex Admirandis Bellorii citavimus, cùm ea non ex Romano, sed ex Græco monumento exhibeatur. Ad urnam coronatam ritè attulero Virgilium in Copa:

Quid Cineri ingrato servas benè olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Scilicet non Cadavera tantùm, & Lectos, quibus efferebantur; sed & Sepulcra coronabant, & Urnas. De Sepulchris latiùs Kirchmannus. De Urna insigne exemplum est apud Plutarchum in Philopæmene, cujus ὑδρίαν ὑπὸ πλήθους ταινιῶν τε καὶ στεφάνων μόλις ὁρωμένην, Urnam tæniis ac coronis adeò fuisse coopertam memorat, ut vix conspici potuerit. Sed de his, si ita Tibi videtur, plura alibi. Succedit

VICTI-

VICTIMA AD ARAM ADDUCTA.

INter pulcherrimas hanc Gemmam meritò reponimus. Artificii præſtantiâ nulli cedit. Concinna eſt figurarum delineatio: Succulenta juventus Citharœdi: Victimam ducentis formoſa gracilitas!

Veriſſimè judicas, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Non Tauro ſua deeſt manſuetudo, non Igni placida ſuper aram elevatio; Sed hæc utique Gemmam inſpicienti cuilibet patent. Quidni potiùs de re ipſa ordiris? neque enim intelligo, cur victimam ad aram potiùs adductam, quàm ſacrificium hîc ſtatuas? Id ideò ago, reſpondit DULODORUS, quia non omnis hâc in Gemmâ ſacrificii ritus exprimitur, ſed ille tantùm, quô victima electa ad aram ſolebat adduci. Atqui ara, inquit ARCHÆOPHILUS, ſacrificium apertè demonſtrat. Ara, reſpondit DULODORUS, tantùm locum ſacrificii, non ipſum ſacrificium indicat: Neque enim Victimarius hic victimam malleo conficit, neque alia quæcunque ſacrificiorum ſolemnia, ſed ſolus Lyricen viſuntur. Lyricen? inſit ARCHÆOPHILUS. Atqui nulla ejus in ſacrificiorum ritibus mentio eſt? Tibias & Lituos obſervâſſe memini; At quis Lyram memorat? Horatius, inquit DULODORUS, idque duobus in locis, ſemel Od. 36. lib. I. ubi pro Numidæ reditu, Soſpitalibus Diis gratias ſolvens, ita inſit:

Et Thure & FIDIBUS juvat
Placare, & vituli ſanguine debito,
Cuſtodes Numidæ Deos.

Et clariùs adhuc lib. IV. Od. 1. ubi Venerem allocutus, Illic, in Maximi domo, inquit:

Plurima naribus
Duces Thura, LYRÆQVE, & Berecynthiæ
Delectabere Tibiæ,
Miſtis carminibus.

Et quid? Nonne Nummi Lyram apertè in ſacrificiis exhibent? Sæculares Domitiani inſpice! Rem non negabis.

Hoc ſi ita ſit, regeſſit ARCHÆOPHILUS, duo mihi videor elicere: *Primò* quod jam ante monui, non tantùm victimam ad aram adductam, ſed ipſum ſacrificium hîc exhiberi; ſufficit enim ad hoc demonſtrandum vel unicus Lyricen. *Secundo*, Veneris hoc ſacrificium arbitror, id quod non Taurus tantùm indicat, ſed & nuditas figurarum. Taurum, quòd animal eſſet in Venerem fortiſſimum, ei Deæ immolatum, ſi rectè memini, Saubertus docet, de Sacrificiis Veterum, & Stuckius de iisdem appoſitè, *ut Gentilium ſimulacra & Idola*, inquit, *alia fuerunt nuda, eaque vel toto corpore, vel certis corporis membris, ſic ſacerdotes quoque &c.* Quid efficaciùs ad opinionem meam dici poteſt? Venerem certè interdum nudam, interdum ſeminudam conſpici, verius eſt, quàm ut demonſtratione egeat.

Acce-

Accedit & Sexus; Fœmina enim est, quæ ad aram appropinquat, & qui Lyram agitat, viriliter turget. Etiam minima observas, respondit DULODORUS. Si iis acquiescas, non refragabor, quanquam mihi nec Sexus, nec Nuditas, nec etiam Victima certi quid pro Venere videatur arguere. Sexum utrumque ad sacra, etiam aliorum Deorum, admissum, exemplo Flaminis Dialis patet, qui Plutarcho in Quæst. Rom. teste, pleraque sacra absque uxore peragere non poterat, eamque ob causam eâ mortuâ Flaminio decedere cogebatur. Si nuditatem respicias, etiam aliorum Deorum simulacra vel nuda fuere vel semi-vestita. Quis de Jove, Apolline, Neptuno, Mercurio, aliisque dubitat? quibus tamen omnibus taurum immolatum idoneò Authorum testimoniò probari potest.

Cælicolûm Regi mactabam in litore taurum,

inquit Æneas apud Virgilium. Et alibi:

Taurum Neptuno, Taurum Tibi pulcher Apollo.

De omnibus, inquit ARCHÆOPHILUS, Tibi cedam; at de Jove non cedo, notat enim Servius, Jovi non taurum, sed Juvencum immolatum, secundum eundem libro IX. ubi Ascanius:

Et statuam ante aras auratâ fronte Juvencum.

Contra Servium, inquit DULODORUS, Senecam Tragicum possem adducere, apud quem Chorus:

Primus Sceptrifero colla tonantibus,
Taurus celsa ferat tergore candido.

Possem Xenophontem in Cyropædia: τῷ Διὶ ἤγοντο Ταῦροι πάγκαλοι: & Julianum ad Libanium Ep. 27. ἔθυσα τῷ Διὶ βασιλικῶς ταῦρον λευκὸν. Sed de eô disceptare hujus loci non est; Quis enim dignoscat, an in Gemma nostra Taurus, an juvencus, an vacca expressa sit? Potiùs, quod nobis propositum est, disquiramus, an sc. sacrificium hîc, an autem ille tantùm ritus exprimatur, quò victima ad aram adduci solebat? Tu pro Sacrificio sentis, idque ob Lyristam; sed notandum, deductionem victimæ, solemnem fuisse actum, in solennibus præsertim sacrificiis, ideòque non tantùm ducentes ominibus electos, uti Cicero & Plinius testantur, ille de Divinatione, hic lib. XXVIII. c. 2. Sed etiam, uti Stuckius docet, præcessisse Tubicines, Tibicines, & Liticines, qui deinde etiam sacrificio assistebant, adeò ut Lyricen, quem & ipsum intra musicam sacram adhibitum diximus, pro sacrificio nihil faciat, sed omninò ad deductionem referri debeat; Eam enim sole meridiano clarius demonstrat funis, quem à cornibus hostiæ religatum, mulier ducens adhuc tenet. Appositè eam in rem Juvenalis:

Procul extensum petulans quatit hostia funem.

Multò aliter, qui sequentibus in Gemmis visuntur,

TAURUS ET BOVES,
ILLE THORIORUM, HI FERTILITATIS SYMBOLUM.

TUne Tauros à Bobus distinguis? inquit ARCHÆOPHILUS. Distinguo, respondit DULODORUS, idque cum vulgo Grammaticorum;

Licet

Licet enim Tauri etiam ſub Bobus intelligi poſſint, non tamen vice versâ, etiam Boves ſub Tauris. Tauri tantùm de maſculis dicuntur, adultis, & ἐνόρχεσι; Boves autem de omnibus bovini generis, etiam fœminis, aut vaccis.

Hæc ſi ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, unde colligas differentiam in Gemmis? Aut quid opus eſt, differentiam in his ſtatuere? Nonne perinde foret, ſi uno vocabulo uſus, etiam in priore Bovem agnoſceres? Non arbitror, inquit DULODORUS, idque ternam ob rationem: *Primò* enim ὄρχεις ad oculum patent: *Secundò*, ſalientis impetus vocabulò *Tauri* videtur aliquatenus expreſſus, θόρω enim Græcis *ſalio* eſt: *Tertiò*, idem ſalientis tauri ſimulacrum etiam ſub Familia Thoria videas.

Quid inde? perrexit ARCHÆOPHILUS, annon differentiam literarum obſervas, cùm illic T. hic autem Θ. ponatur? Ea nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, earum enim literarum permutatio novi nihil eſt. Inde certe & Thurini & Thorii Tauros ſignârunt, utrique non ob aliam rationem, quàm ut ad nominis ſui etymon alluderent.

De Thoriis fateri potero, regeſſit ARCHÆOPHILUS, cùm in iis ſalientis impetus Græco reſpondeat; At in Thurinorum Nummis Tauri non ſaliunt, ſed cornubus adverſa petunt, pedibusque arenam ſpargunt. Etiam de his fateberis, reſpondit DULODORUS; Si enim verum eſt, quod Eruditiſſimus Tollius in Fortuitis obſervat, Apollinem Thurium à Tauris dictum, eò quòd Tauri Chaldæis Θῶρ vocentur, jam Tibi conſtabit, aſſertum fragili fundamento non inſiſtere, eòque minus miraberis, ſi in Gemmâ priore, in quâ non tantùm Taurus, ſed Taurus *ſaliens* exprimitur, eô planè modô, quô & in Thoriorum Familia viſitur, Thorium quendam Caji Filium ſignificari arbitrer; Nomina enim per figuras cognomines exprimere antiquis inſolitum non fuiſſe, vel unicô, quod ſuprà ex Plutarcho protuli, Ciceronis exemplô firmatur, qui locô nominis Cicer appoſuit.

Ego, regeſſit ARCHÆOPHILUS, literas C. F. non Caji Filium, ſed *Cajus Fecit* interpretarer, eum indicando, qui Gemmam cælavit. Si hoc præferas, ſubjecit DULODORUS, non Cajus ſed Cronius is eſſe poterit, cujus Plinius meminit; Quanquam Artifices non literis initialibus, ſed integris nominibus ſuam gloriam in Gemmis à ſe cælatis conſecrare ſoliti ſint, id quod exemplis Dioſcoridis & Apollonidæ apud Sponium videas: Ut proinde tutiùs Caji Filium in noſtrâ Gemmâ retinendo, nomen Familiæ Thoriæ ſub Tauro agnoſcamus. Taurum, excepit ARCHÆOPHILUS, dubitem annon ad Signum Cœleſte referre debeamus? Si facias, reſpondit DULODORUS, per me licebit, cùm ne ſic quidem opinione meâ excidam, quid enim intereſt, Cœleſti an Terreſtri Taurô, ad exprimendum nominis etymon Thorii fuerint uſi? Sed nullum hîc Cœleſtis Tauri indicium eſt, ideòque in Terreſtribus ſubſiſtere tutius arbitror. Plura ſunt terreſtrium genera, inquit ARCHÆOPHILUS. Si in his ſubſiſtas, fortaſſe vel Bonaſum vel Biſontem hunc arbitraberis, feri enim quid videtur ſpirare: Et quidni Biſontem? cùm hos tantô impetu ferri, Pauſanias memoret, ut nullæ plagæ adeò validæ ſint, quæ eos ſuſtinere poſſint? Et Bonaſus & Biſons, reſpondit DULODORUS, ſetoſi & jubati fuerunt, id quod latiùs demonſtrat Per-Ill. SPANHEMIUS, Diſſ. III. Cùm igitur in Gemma nec ſetæ nec jubæ appareant, tutius eâ expreſſum vulgaribus accenſebimus.

Ad ſecundam Gemmam tranſeo, inquit ARCHÆOPHILUS, in quâ Boves, fertilitatis ſymbolum, Te agnoſcere, memini; Et cùm ſpica eis impoſita ſit, & aliâs labore boum Agricultura vel potiſſimùm promoveatur, rem negare non auſim; Illud tamen exquirere libet, annon Coloniæ alicujus hic typus ſit, eô quòd juncta cum bove vacca etiam in Numiſmatibus Coloniam adumbret? Non

juncta tantùm cum Bove vacca, respondit DULODORVS, sed Colonus junctam cum Bove vaccam agens, Coloniam adumbrat, idque duplici differentiâ. Signa enim militaria in quibusdam adsunt, in quibusdam desunt. Si adsunt, Colonia fuit militaris. Si desunt, fuit plebeja. In Gemmâ nostra cùm Colonus deficiat, nec aliundè etiam de loco quicquam colligi possit, neutrius rationem habendam, sed unicè in fertilitate, quæ spicâ designatur, subsistendum esse, ritè pronunciavero. Spicas excoquit, quem sequenti in Gemma contemplamur,

SOLIS IN LEONE FERUOR.

Sard. incis

LEonem video, inquit ARCHÆOPHILUS. Solem non video: indeque potiùs ad notissimam ferociam respicerem, quâ non tantùm Cervorum catulos confringere, in Oves & Pastores irruere Homero, sed & Xerxis Camelos invâsisse Herodoto, Elephantorum catulis insidiari, Straboni Leones memorantur. Plura ejusmodi coacervare posses, regessit DULODORUS, & fateor, neque de bobus rem incertam esse: Ita enim Virgilius L. IX. Æneid.

— *Leo speculâ cum vidit ab altâ*
Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Advolat. — — —

Et Ælianus Hist. Natur. L. V. c. 39. Leones, author est, bobus insidiantes, omnes exterrere, ut unum arripiant & devorent. Unde & Callimachus in Hymno Apollinis vers. 92. Leonem βοῶν οἰνιν Ευρυπύλοιο, *Boum Eurypili raptorem* vocat: Quæ utique de Leonum in Boves ferociâ abundè testantur; Mihi autem, cùm res notissima sit, in eâ subsistere non est visum, idque ideò, quòd in ejusmodi figuris Mystica significatio hauq absurdè videretur concurrere.

Si hanc respicias, inquit ARCHÆOPHILUS, fortasse sub Leone, Taurum prosternente, Potentiam intellexeris, opulentis infestam. Leonem Potentiæ symbolumesse, nemo nescit: Nemo nescit, Taurum symbolum esse opulentiæ, & quid potentia contra opulentos possit, si non aliundè, certè ex bellis elucet. Non diffiteor, inquit DULODORUS, neque hanc interpretationem rejecerim, quanquam nec de Sole displiceat; Quid enim prohibet, ut sub Leone, Solem in Leonis signo adumbratum credamus? Leonem Soli sacrum, ob perpetuam vigilantiam, ejusdem Æliani testimonio patet: Et Solis calorem Leoni tribuere, Poëtis insolitum non est. Verba Germanici in Arato, circa finem Tibi testem sisto:

— — *Catulus vestigia servat*
Hic quo dicta Leo, sævisque caloribus ardet.

Hæc de Leone, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem Taurus à Leone prostratus? Terram indicat, respondit DULODORUS, id quod ex Tabula Heliaca clarum est, quâ officium boni Coloni adumbratum esse, in Fasciculis meis docui. Taurus ibi à Viro confossus, Terram indicat, ab Agricolâ subactam, non minùs ac in Gemmâ nostrâ à Leone prostratus, Terram fervore

Solis

Solis commorſam. Appoſitè Raviſius Textor, citante Geſnero; *Sol in Leone*, inquit, *menſe Julio, Tunc æſtatis calor vehementiſſimus, terras adurit, exſiccat flumina, & fruges concoquit.* Frugibus infeſtæ ſolent eſſe Porcæ, quarum ex Genere fuit &

SCROFA ROMANORUM A TROIANIS INSIGNE.



SCroſam cum ſucculis, inquit ARCHÆOPHILUS, in Veſpaſiani & Titi Numiſmatibus me vidiſſe memini, eodem ferè modô, quô & in hac Gemma; Sed Interpretes eam communiter ad Judæorum contumeliam referunt, quaſi Scroſis, poſt victoriam Titi Judaicam, unà cum ſucculis ſuis, liberè per univerſam Judæam vagari & oberrare liceret, unde ante à Judæis excludebantur. Ita Oiſelius ad Tab. XVI. n. 11. Ita & Illuſt. Mediobarbus ſub Tito pag. 121. Indeque neſcio, quâ ratione ductus, diverſi quid in Gemma ſtatuas, cùm tamen nihil in ea occurrat, quod aliud ſuadere poſſit, ſimilitudine tantâ, ut vel Gemmam ad Numiſmata, vel Numiſmata ad Gemmam expreſſa, non abſurdè credas. Similitudinem fateri poſſum, excepit DVLODORVS, utut fortaſſe non adeò exacta ſit: Imò nec contumeliam & opprobrium Judæorum inficior; Licet enim nulla in Nummis illis ſubactæ Judeæ mentio ſit, ex facto Hadriani tamen, qui Judæos rebellantes denuò compreſſit, & Portæ Æliæ Capitolinæ, quô nomine Hieroſolymam vocavit, Suem impoſuit, facilè apparet, eòdem etiam Veſpaſianum & Titum reſpexiſſe; Sed hoc aſſertum meum non evertit, quid enim obſtat, ut, quod Judæis contumeliæ ceſſit, Romanis glorioſum putetur?

Id non ſufficit, regeſſit ARCHÆOPHILUS; Probandum enim Suem, abſque reſpectu ad Judæos, Romanorum gloriæ appoſitam: Probandum, fuiſſe Romanorum inſigne, & quidem à Trojanis deductum, id enim Te ſtatuere, niſi fallor, modò intellexi. Utrumque agam, inquit DULODORUS. Romanorum gloriæ Suem cum ſucculis appoſitam, facilè dabis, ſi memineris, inter auſpicia Progenitorum eam numerari, indeque ſub ilice cum fœtu jacentem, etiam ab Antonino Pio ſignatam eſſe, planè qualiter Æneæ apparuit, qualiter & Helenus apud Maronem vaticinatus eſt:

Littoreis ingens inventa ſub Ilicibus Sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit.
Is locus Urbis erit, requies ea certa laborum.

Et ipſe Poëta alibi:

Ecce autem ſubitò atque oculis mirabile monſtrum
Procubuit, viridique in litore conſpicitur Sus:
Quam pius Æneas Tibi enim Tibi, Maxima Juno,
Mactat, ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.

Res nota eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem ad Nummos Veſpaſiani & Titi, proindeque etiam ad Gemmam ritè allegetur, dubitem. Illic

enim Sus cum fœtu triginta capitum jacet, hîc autem cum duobus tantùm ſuc-culis graditur. Minimum, reſpondit DULODORUS, Suem cum ſuc-culis probant, etiam absque reſpectu ad Judæos, Romanis glorioſam fuiſſe, inde-que cùm Gentem Suibus inimicam deviciſſent, eò concinnius ad exprimendum id facinoris aſſumi potuiſſe. Non meo conjecturam ex genio hauſi. Caſſio-dorus eam ſuppeditat, de Sue Hadriani in Chronico locutus: *His* (Severo ſcil. & Sylvano) *Coſſ.* inquit, *Ælia Civitas, id eſt Hieruſalem, ab Ælio Hadriano condita eſt, & in fronte ejus portæ, quà Bethleem egredimur, Sus ſculptus in marmore, ſignificans Romanæ poteſtati ſubjacere Judæos.* Nulla hîc contumeliæ Judæorum mentio, ſed Sus tanquam ſignum Romanæ potentiæ allegatur. Unde? ſi non à notiſſima illa ſub Ilice jacente, quæ Trojanis errorum finis, ſedisque certæ au-ſpicium fuit? Et quid ſi ſub Sue hâc non tàm animal, quàm ipſi Romani lateant? Romanos à Trojanis oriundos, nemo dubitat; Scrofam autem non tantùm Tro-janorum quorundam inſigne fuiſſe, ſed & Italis *Trojam* dictam, Meſſala Corvi-nus obſervat. En verba! *Troja*, inquit, *vulgò Italicè Latinèque Scroſa vel Sus dicitur, cui vocabulo licentiâ ſui alluſit Poëta: quod animal, quia ejus nomen Urbi Trojæ congruebat, aureo vexillo armorum ſtatuit Antenor, abſumtæ Urbis Trojæ memoria.* Vides ARCHÆOPHILE, animal hoc, licet aliàs obſcœnum, ta-men & Trojanis patriâ profugis, & ortis inde Romanis, tantæ gloriæ fuiſſe, ut illi Patriam, hi autem Imperium eô adumbrarent, adeòque non miraberis, ſi in Num-mis Veſpaſiani & Titi, Gemmâque proindè noſtrâ, ipſos Romanos intelligam, liberè per Judæam vagantes. Non Sues tantùm, ſed & Romanos odio proſe-quebantur Judæi: Indeque cùm & nomen & res conveniebant, quô ſymbolô potuerunt aptiùs & Gentem devictam exagitare, & ſuam ſimul victoriam, pote-ſtatemque ſignificare? Quanquam aliàs Romanorum inſigne, quam & hac in Gemma oſtendo,

AQVILA

Fuerit, Κάρτιστος τε καὶ ὠκιστος πετεηνῶν, uti Homero dicitur Il. Φ. ν. 253. A-vium & fortiſſima & celeberrima.

Aquila, excepit ARCHÆOPHILUS, per ſe equidem novi nihil eſt, ſed in Gemmâ tàm conſpicua, opere elevatô, expreſſam, non memini me vidiſſe, inde-que impatientiùs expecto, quæ ejus ratio eſſe poſſit? Anceps hæreo, inquit DULODORUS, tanta enim de Aquilâ prædicantur, ut difficile ſit, certi quid ad propoſitam ſtatuere. Noſti ARCHÆOPHILE, Aquilam apud Romanos Conſecrationis ſymbolum fuiſſe: Noſti fuiſſe ſymbolum Potentiæ. Si huc re-ſpicias, non refragabor, eôdem enim modô, quô hîc cernitur, etiam occurrit in Numiſmatibus Auguſti. Augu-

Augusti, regessit ARCHÆOPHILUS, & Consecratio & Potentia ex Numismatis adversâ elucent, at in Gemma nostra ne minimum earum vestigium apparet. Mihi potiùs Gentilium superstitio locum habere videtur, constat enim, Aquilam iis maximè divinam visam, indeque & honoratissimam. Thebanos certe & Ægyptios eam coluisse, Strabo author est, & aliunde liquet, in Aquilas Deos interdum se mutâsse. Exempla sunt in Jove Aquilâ, Ganymedem rapiente, in pluribus Antiquorum monumentis: In Venere in Aquilam mutata, Jovemque Olorem insequente, apud Hyginum. Nec hanc rationem rejecerim, excepit DULODORUS, quanquam eò recurrere necesse non sit. Occurrunt & inter homines, non tantùm in Aquilas mutati, qualis apud eundem Hyginum est Merops in Coo Insula, & Periclymenus apud Ovidium Met. XII. Sed etiam ab Aquilis servati. Elegans fabula est apud Ælianum L. XIII. c. 21. de Sacchora Babyloniorum Rege, quem infantem ex turri præcipitem, Aquila suptervolans excepit, & in hortum deportatum leniter deposuit: Elegans historia apud Pausaniam, de Aristomene, quem & ipsum in foveam dejectum, Aquila incolumem detulit, indeque passis alis scuti ipsius insigne fuit. Quid videtur ARCHÆOPHILE, annon ad Gemmam hoc appositè?

Fateor, inquit ille, licet nondum subsistam. Memoriam enim subit Aquila regnorum auspicium, quales fuerunt, quæ Ptolemæam Lagi Filium nutrivit apud Suidam: Quæ Gordio aranti apparuit, apud Ælianum L. XIII. c. 1. Annon & hæ potuerunt Gemmam meruisse? cùm constet alteram & in Numismatibus prostare? Poterunt, inquit DULODORUS, Imò poterit & ea, quam Pyrrhus nutriit gaudentem, si quis Pyrrhum Epirotam vocaret. Videri de ea potest, præter Ælianum & Plutarchum, Tzetzes L. III. Hist. 134. Gemmas Pyrrhum habuisse ejus Achates apud Plinium evincit, in quo IX. Musæ cum Apolline visebantur Catharam tenente, si non arte, tamen, quod majus est, sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut singulis Musarum sua redderentur insignia. Sed quid diutiùs vagamur? De Gemmis solutis hæc sufficiant. Succedunt

ANNULI,

Quorum originem quidam ad Prometheum referunt, si fabulosè, tamen ab Antiquitate non adeò remotè, constat enim, etiam ante Trojana tempora Annulos Græcis in usu fuisse.

Ante Trojana Tempora? regessit ARCHÆOPHILUS; Atqui Plinius id apertè negat, idque ideò, quòd Homerus nusquam Annulorum meminerit, cùm tamen & codicillos missitatos Epistolarum gratiâ indicet, & conditas arcis vestes, & vasa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non Annuli notâ: Et quale est, quod Eruditissimus Kirchmannus in tractatu de Annulis ait, & Authorum suffragio demonstrat? Græcos ante inventum Annuli Signatorii usum, lignis à vermibus exesis, res quasvis signasse? Scio, respondit DULODORUS, & Plinii & Kirchmanni placita, magis tamen movet & Pausanias & Ptolemæus Hephæstion, quorum ille Lapidem cœlatum, aureôque Annulô inclusum Phoco Æaci filio, à quo Phocis denominata est, ab Jasco datum esse, hic autem & Helenam Lapide, cui Pan piscis insculptus erat, pro sigillo usam memorat. Helenam certe sub Trojana tempora vixisse, ipsa Troja testatur, cui excidii causa perhibetur, & Phocus adhuc ante Jasonem vixit, utpote à Peleo occisus, cujus ex fratre nepos Jason erat, qui paucos ante Trojani belli annos expeditionem Colchicam suscepit. Quod ad ligna à vermibus exesa attinet, id non excludit Annulorum usum, si non antiquiorem, saltem coëtaneum; Si enim Hercules rei Au-

thor fuit, uti ex Philoſtephano Heſychius tradit, utique Hercules Jaſoni coævus fuit. Sed hæc in medio relicta ſunto: Apud Hebræos & Ægyptios res notior eſt, id quod ex facto Judæ, & Hiſtoriâ Joſephi apparet, quorum ille Gen. 38. ℣. 18. Nurui ſuæ Thamari Annulum cum Monili & Virga, concubitûs pignus dediſſe, Hic autem Gen. 41. & apud Joſeph. lib. II. c. 3. à Pharaone Annulo ſignatorio donatus legitur. Ab Ægyptiis potuerunt accepiſſe Græci, & inde veteres Italiæ Populi. De Sabinis memorant Dionyſius & Livius. De Tuſcis Florus. Romani etiam ſub Regibus Annulis uſi ſunt, id quod ex ſtatuis probat Plinius lib. XXXIII. c. 1. Sed quid in Veſtibulo diutius ſubſiſtimus? Jamdudum nos exſpectat

ANNULUS
EX
INTEGRA GEMMA
cum capite
GALBÆ.

EUm ecce, & opere & pretiô fulgentiſſimum! Raritas eò major eſt, quò certiùs affirmare poſſum, pauciſſimos hodie ex integrâ Gemmâ exſtare. Succineorum quidem, & Eburneorum, meminit Artemidorus Lib. II. c. 5. Et reverâ etiam in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico Succineus eſt, imò & integer ex Chriſtallo, quos tamen ob ruditatem ſculpturæ Tibi oſtendere, quàm operi elegantioribus tantùm deſtinato inſerere malim. Si Dactyliothecam Gorlæi ſcruteris, ne unicum quidem invenies; Is enim, qui numero 101. expreſſus eſt, licet ex Sarda integra feratur, Palam tamen auream cum Circulo Argenteo exhibet, cùm in noſtro omnia, & Orbiculum, & Pala, ſeu Funda, & etiam Gemma ex integra Sarda elaborata ſint. In Gemma Caput Galbæ ſculptum eſt. Capita, ut Deos taceam, de quibus in ſequenti, in Gemmis Sigillaribus cernere, nihil novi eſt. Plinius refert Gemmam cum vultu Pacori, Regis Parthorum. Pauſanias Author eſt, Magiſtratus Lacedæmoniorum imagine Polidori, in ejus honorem, pro ſigillo uſos eſſe. Polybius lib. XV. ſcribit, Ariſtomenem Agathoclis imaginem in Annulo geſtaſſe. Alexandri M. Effigie Auguſtum, & ipſius Auguſti ſequentes Principes ſignâſſe, Suetonius narrat. Ut alia taceam, quæ in laudato Kirchmanni opere memorantur. Cùm Annulus hîc ex integra Gemma ſit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, indeque conſtet, non plebeji alicujus fuiſſe, non abs re quæſierim, annon ipſe Galba eô uſus fuerit? Id mihi perſuaderem, reſpondit DULODORUS, niſi Dion. Lib. LI. Sigillo Galbam à Majoribus accepto, ni quo Canis fuerit è prora proſiliens, expreſſe notaret uſum. Forſitan aliis eam

ceſſerit

cesserit, subsumsit ARCHÆOPHILUS, id quod de Constantino M. legimus, apud Constantinum Porphyrogenitum, in libro de Administrando Imperio, cap. 53. Forsitan etiam Libertorum aliquis cum gestaverit? Libertos sane à Claudii Principatu ad Vespasianum usque, dedisse jus Annuli Aurei cum imagine Principis gerendi, Plinii testimoniô constat. Quidni qui Aureum aliis cedebant, ipsi Gemmeo fuerint usi? idque eò magis quòd de insolentia Libertorum Galbæ Dio Cassius apertè testetur. Hæc incerta quæstio est, reposuit DULODORUS. Magis ad rem facit, quod prædictus Plinius addit, ex gestatione Annuli cum vultu Principis, magnam exortam esse occasionem criminum, id quod sub Tiberio maximè viguit: Magis etiam, quod Suetonius refert, cùm milites non nisi ferreis Annulis uterentur, tamen ex Equestri ordine delectis, usum Aureorum Galbam reliquisse: Imò sub eodem, in munitione oppidi, quod sedem belli delegerat, repertum esse Annulum opere antiquô, scalpturâ Gemmæ Victoriam cum tropæo exprimente. Utrumque, si non de capite Galbæ, tamen de Annulorum sub Galba usu testabitur. De Capite Galbæ nota sunt Suetonii verba: *Staturâ*, inquit, *fuit justâ, Capite præcalvo, Oculis cæruleis, aduncо Nasô* &c.

De calvitie & aduncitate nasi, excepit ARCHÆOPHILUS, res ex Numismatibus nota est. Illud mirari subit, quî Suetonius inter alias Cognominis *Galbæ* Etymologias, etiam eam ponere ausus sit, quòd præpinguis fuerit visus, quem *Galbam* Galli dicant. In Numismatibus certè, imò & in hac ipsa Gemma adeò macilentus visitur, ut cutem vix ossibus hærere censeas. Idem, respondit DULODORUS, etiam infrà ad ejus Caput marmoreum observabis; Sed mirum non est, cùm hæc ipsa in senio macilenta cutis, pinguedinem juventutis demonstret, eôdem modô, quô & in Julio Cæsare, quem & ipsum, ut alibi notavi, Suetonius teretibus membris, & ore paulò pleniore fuisse scribit, & quod addendum, apud Dionem, à Venere quendam se formæ florem habere, ipse voluit persuadere, cùm tamen omnia ejus Numismata simili macie conspicuum hactenus dederint. Tempora in his distinguenda sunt. Qui Juvenis pinguedine superbiit, quid mirum, si senex in maciem & rugas conciderit? Præsertim si curarum & avaritiæ tormina accedant, quorum utraque Galba habuit, altera quidem ad Reipublicæ felicitatem, suamque gloriam, altera ad perniciem utriusque, æternamque sui contumeliam.

Desierat DULODORUS; At ARCHÆOPHILUS, ignosce inquit, quòd elegantissimum hoc Κειμήλιον nondum seponendum arbitrer. Duo adhuc se oculis meis ingerunt: Alterum artificis genium commendat, Alterum in dubium Antiquitatem vocare posset. Dubium nascitur ex Capillis, quos infra lauream adhuc in frontem descendere video, cùm modò ex Suetonio notaveris ipse, *Galbam capite PRÆCALVO fuisse*. Artificis genium non tam ex lineamentis faciei, non tam ex laureæ concinnitate, quàm ex Aure noscendum arbitror. Aurem ex candidâ Gemmæ venâ expressit, cùm reliquum ubique caput carneo rubore fulgeat. De Aure, respondit DULODORUS, fateor elegantiam & raritatem, vel Naturâ Gemmæ famulas manus Artifici præbente, vel Artifice Gemmæ Naturam ingenioso cœlo rei propositæ applicante. Sed negari non debet, Artificem & in reliquis operam præstitisse Posterorum memoriâ non indignam. Quod de Capillis memoras, id & mihi olim dubium movit, sed acquievi, cùm Numismata inspicerem, locumque Suetonii penitiùs trutinarem. *Præcalvo* omninò legendum, & ita cum in reliquis tantùm *Calvo* occurreret, in Libro optimo legi, Torrentius observat. Præpositio *Præ*, in voce *Præcalvo*, non est intensiva, sed notat locum, ubi calvus fuerit, in anteriore scilicet capitis parte: Ea Calvities non mediam super frontem apparebat, sed super utrumq; frontis la-

tis latus. Talem certè & Numiſmata oſtendunt & allegatum ſuprà, inferiùsque ponendum Caput Galbæ marmoreum. Accedit & iliud ex fide Numiſmatum, quòd ad tegendam calvitiem, capillos frontem verſus ſedulò vocaverit, eandem procul dubiò ob cauſam, quâ & Julius Cæſar, ne ſibi tanti Imperii Dominatori Calvities dedecori foret. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, quòd non appoſititiâ co.nâ uſus fuerit, uti de Othone, ſucceſſore ejus, memoratur Id mirum non eſt, reſpondit DULODORUS, cùm coma appoſititia mollium & effœminatorum geſtamen fuerit, Galba autem antiquæ ſeveritatis, & ſeveræ ſenectutis Imperator, ſuô exemplô non Milites tantùm, ſed & Cives à mollitie revocare intenderit.

Hæc cùm ita ſint, utique vides, Dulciſſime ARCHÆOPHILE, nec de Antiquitate eſſe dubitandum, nec de fide Artificis; quanquam negare non auſim, Adulationem interdum, quod hodiernùm fieri aſſolet, in exornandis Principum vultibus non minus frivolam eſſe, quàm ingenioſam. Sed procedit

ANNVLVS AVREVS CUM SARAPIDE.

DE Annulorum Aureorum vetuſtate & uſu, pluribus præfari operæ pretium non arbitror. Alterum ex aureo Phoci apparet, cujus ſupra mentionem fecimus; Alterum ex laudato Kirchmanni tractatu peti poteſt, ubi latiùs docet, apud Romanos Aureorum Annulorum uſum primò ſolis Legatis, mox Senatoribus, tandem & Equitibus conceſſum fuiſſe: Quanquam etiam Plebejis, ob rem benè actam, & ſub Imperatoribus etiam Libertis, dati fuerint. In propoſito Sarapis radiat, Ægyptium Numen, ſed quod in plerisque etiam Græciæ Urbibus, imò & ab ipſis Romanis cultum fuit. Prius teſtantur Numiſmata Rhodiorum, Λαπηθῶν in Cypro, Ægyalenſium, aliorumque, quos videre potes apud Rev. Harduinum. Poſterius apud Catullum El. 10. ubi Vari ſcortum:

Volo ad Serapin deferri,

Ad Poëtam ait: Serapidis videlicet templum extra urbem Romam fuiſſe, Dione teſte conſtat, adeò ut hactenus definire nobis non liceat, an Romanus, an Græcus, an verò Ægyptius fuerit Annuli noſtri vel Artifex, vel Poſſeſſor.

At Ego, inquit ARCHÆOPHILUS, neſcio annon ſatis firmâ ratione, nec Græcum, nec Romanum, ſed omninò Ægyptium aſſerere auſim. Primò enim Numen ipſum Ægyptium eſt. Secundò tam apud Romanos, quàm apud Græcos prohibitum lego, Dei cujusdam imaginem Annulis exprimere. De Romanis colligas ex Plutarcho in Numa: De Græcis eſt ſcitum Pythagoræ, ἐν δακτυλίῳ

δακτυλίῳ εἰκόνα θεοῦ μὴ περιφέρειν, de quo & videri poteſt Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum. Quid ais DULODORE? An ex his non colligam, Annulum hunc nec Græcum nec Romanum, ſed omninò Ægyptium eſſe? Dubium hoc, reſpondit DULODORUS, ex Kirchmanno noſtro videris hauſiſſe; Sed audi, quæ idem paulò poſt: *Apud Romanos*, inquit, *etſi fas non erat, Deorum formas Annulis inſculpi, video tamen illos hunc morem mutaſſe, & cùm aliorum, tum Ægyptiorum Numinum imagines in Annulis geſtaſſe, unde Plinius lib. II. cap. 7. Aliis nullus eſt Deorum reſpectus, aliis pudendus: Externis famulantur ſacris, ac digitis Deos geſtant: Et Lib. XXXIII. cap. 3. Jam vero etiam Harpocratem ſtatuasque Ægyptiorum Numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Ex his utique conſtat, Romanis hunc Annulum non poſſe abjudicari. De Græcis quî ſtringat argumentum tuum, non video, neque enim Pythagoræ placita communiter fuêre recepta, quod vel ex Amethyſto intelligas, apud Celeber. Sponium, cui Apollonides, Græcus Gemmarum cælator, de quo Plinius videri poteſt, Ἄρτεμιν Ὀρείτιν, *Dianam Montanam* inſculpſit; Sed de his ſatis diu luſimus. In Sarapide plura occurrunt contemplatione noſtrâ non indigna.

Serapidem, reſpondit ARCHÆOPHILUS, in Theſauro Palatino Cap. I. Gemma XX. Achate exciſum dediſti, ibidemque de Sole ſubterraneo interpretatus es, cui & herbæ calatho appoſitæ, & Iſiaca Bembi Tabula ſuffragari videatur, utroque aſſerente, caput Serapidis variorum metallorum, radicum & lapidum generibus fuiſſe compoſitum, quod utique & Numen ſubterraneum apertè demonſtraret, & ſimul rationem frondium calatho appoſitarum in aprico poneret, ſi id perpetuum foret; Sed ignoſce DULODORE! Rurſus dubium in medium adfero. Calathum apud Goltzium in Nummis Rhodiorum & ΑΛΙΗΘΕΩΝ ſtriatum video: Apud Oiſelium in nummo Juliani, video circulis aliquot, imò & punctis inſignem: Apud Gorlæum num. 122. cernitur corbis inſtar, lineis decuſſatim ſe interſecantibus. Quod quæsò in his ſubterranei Solis veſtigium? Quod de Sole ſubterraneo dixi, regeſſit DULODORUS, id ad frondes calatho affixas ut adferretur, neceſſe fuit, nec arbitror erit, qui rem ſtabili ratione diluere poſſit. Solem ſubterraneum autem tantùm ſub Sarapide latere, nec ego, nec ullus Doctorum aſſeruerit. Sub Sarapide enim cœlum intelligi: Imò Oſirim, Plutonem, Bacchum, Serapidem, Apim, Oceanum, Solem, Sirium, idem Numen denotare, ſupra abundè demonſtratum dedi: Quæ ſi recorderis, ARCHÆOPHILE, agnoſces opinor, uti Solem ſubterraneum præfigurare videtur Serapis, calathô frondiferô inſignis, ita vel Nilum, vel Oceanum is, cujus calathus circulis continetur, id quod etiam ad ſtriatam forſitan ſentias, niſi potius modium frumenti arbitreris, uti eum, qui ex virgis decuſſatim connexis conſtat, aliorum fructuum: Scilicet, quod in universâ Gentilium Theologiâ evenit, ut unum Deum variis ſchematibus præfiguraverint, id & in Serapide videtur factum, ut varias ejus potentias variis etiam inſignibus diſtinguerent. Id eò facilius credas, quò apertius Apollo apud Apoſtatam in Oratione ad Solem, unum tantùm reliquos omnes facit:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς τε Σάραπις.
Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol, unusque Serapis.

Hæc ut ut ſe habeant, alias tamen de Serapide opiniones adhuc recenſet Suidas, non Jovem tantùm quibusdam, aliis autem Nilum, eò quòd aquæ menſuram geſtaret, viſum aſſerens, ſed & eorum opiniones referens, qui Joſephum, aut Apidem Regem Memphidis opulentiſſimum credidere, qui quòd famis tempore Alexandrinis victum præbuiſſet, divinis poſt mortem honoribus fuerit cultus, erectô templô, in quo bos aleretur, agriculturæ ſymbolum ferens. Loculo enim A-

pis, Gr. Σορὸς dicto, memoratur impositus, indeq; nomen Σάραπις, & labente tempore Sarapis descendisse. Quanquam id doctissimo Vossio non probetur, qui potius rationem inde deducendam arbitratur, vel quòd Apis & Osiris idem Numen fuerint, vel quod Hebr. *Sor* & bovem & Principem significaret, id quod Josepho apprime convenit, qui & Princeps fuit, & providentiâ suâ famis tempore necessitatibus Ægypti consuluit, & simul effecit, ut Agriculturæ studium non exiguo cum Regis commodo procederet.

ARCHÆOPHILUS, cum DULODORO aliquantisper auscultasset: Hæc, inquit pleraque apud Authores habentur, nec opus est diutius eis immorari: Quin potiùs doceas, quà mente Veteres Deorum simulacra in Annulis gestârint? Id ipsum respondit DULODORUS, ex Dei merito colligas. Qui modiô insignitus est, quòd famis tempore frugum ubertatem præbuisset, is procul dubio Annulari Gemmæ ideò insculptus est, quòd idem beneficii speraret, qui Annulum fieri curavit, vel gestavit. In Calatho frondifero latius spei suæ carbasa videtur explicâsse. Latent omnia & Arborum & Herbarum genera, eaque non fami tantùm serviunt, sed & sanitati. Huc si respicias, intelliges opinor, cur Serapis radios, & Æsculapii Sceptrum cum serpente, in allegato Antonini Pii Numismate apud Seguinum, Gemmaque supra tibi ostensa ferat: Intelliges, Ethnicum Annuli nostri possessorem, utrumque Serapidis auxilio se obtenturum sperâsse, eôdem modô, quô & Julius Cæsar, qui Venerem armatam Annulo insculptam ferebat, non tantùm, quòd generis illa Princeps esset, sed etiam quòd quendam ab ea formæ venustatem captaret, uti supra ex Dione diximus, & simul victorias ejus auxilio, ab hostibus sibi eventuras speraret. Quicquid sit, dignum est hoc Κειμήλιον, quod vel peritissimos exerceat. Tanta est artificii præstantia, ut & Barbæ Comæque capillos Tibi videaris numerare posse: Tam mascula frontis lenitas, tantusque faciei lævor, ut non sine admiratione spectes; Sed ecce! Succedit

ANNULUS AUREUS CUM PANE ET HIRCO IN ONYCHE.



MInuta est hujus Gemmæ scalptura, sed & ipsa non exiguô perfecta artificiô. Pana vides & Hircum! Illum prout à Statuariis effictum Herodotus in Euterpe docet, Caprinâ scilicet Facie, & Hirci Cruribus: γράφουσι, inquit, καὶ γλύφουσι δὶ ζωγράφοι καὶ δὶ ἀγαλματοποιὸι τοῦ Πανὸς, καθάπερ Ἕλληνες, τώγαλμα αἰγοπρόσωπου καὶ τραγοσκελὲα. *Pingunt & scalpunt Pictores & Statuarii sicuti etiam Græci, Panos imaginem, Caprinâ facie, & Hirci cruribus.* Homerus Αιγοπόδην vocat & διπέρωτα *Capripedem & Bicornem:*

Ἀμφὶ

Ἀμφὶ μοι Ἑρμείαο φίλου γόνου ἔννεπε Μοῦσα
Αἰγοπόδην, δικέρωτα, φιλόκροτον.
Dicite Mercurii prolem mihi, dicite Muſæ,
CAPRIPEDEM, cantûs & amicum, deinde BICORNEM.

Quibus ex verbis etiam, Pana Mercurii filium fuiſſe, diſcimus. Equidem ſunt, qui Jovis & ὕβρεως id eſt *Contumeliæ:* Alii, qui Penelopes & omnium Procorum: Alii denique, qui Jovis & Calliſtûs aſſerant, uti videre eſt apud Lil. Gyraldum. Ariſtippus ex Jove & Nympha Oeneide procreatum maluit: Alii Penelopes & Ulyſſis filium putârunt: Alii ex Æthere & Nereide natum aſſeruére: Achæus Poëta è Cœlo & Terra; Sed communior ſententia de Mercurio & Penelope teſtatur, Mercurium aſſerens, cùm Penelopen in Taygeto, Patris Icarii armenta paſcentem amaret, nec aliter eâ potiri ſperaret, in hircum pulcherrimum ſe vertiſſe, cujus captam Penelopen vel amore, vel fallaciis, Pana peperiſſe, hirco non abſimilem. Hæc ſententia, forſitan eò plauſibilior erit, quò accommodatior eſt, non tantùm ad formam Panos, ſed etiam ad Gemmam noſtram. Non ipſe tantùm hircinam formam præfert, ſed & cum Hirco, prioribus pedibus in eum aſſurgente, ludit; Quæ autem poterit eſſe conjunctionis, quæ formæ caprinæ ratio alia: Si non Præfectura pecorum, Paſtoriumque munus? Ab eo certè Orpheo in Hymno ἀιγιμελὴς *caprarum curator*, Virgilio *Ovium cuſtos*, Ovidio & Silio *Deus pecoris* dicitur, & apud Horatium lib. IV. Od. 12.

— *Deus, cui pecus & nigri*
Colles Arcadiæ placent.

Addere poſſem & antiquiſſimum Poëtarum, qui in Hymno non tantùm νόμιον, *Paſtoralem* vocat, ſed etiam re ipsâ Paſtorem Ovium aſſerit factum, cum Dryopis amore teneretur; Sed propiùs forſitan eſt, quod apud Theocritum Idyll. I. legitur, *Caprarios eum metuiſſe, eique hircum dono dediſſe.* Pro fideli ſcil. cuſtodia ei Hircum immolatum Ibycus, citante Natali comite, canit:

Ὦ Πὰν Φερβομέναις ἱερὰν Φάτιν ἄτυε πόιμναις
Κυρτὸν ὑπὲρ χρυσέων κεῖλος ἰεὶς δονάκων.
Ὄφρ' αἱ μὲν λευκοῖο βεβριθότα δῶρα γάλακτος
Οὐθασιν ἐς Κλυμένου πυκνὰ φέρωσι δόμον,
Σοὶ δὲ καλῶς βωμοῖσι παριστάμενος πόρις ἀιγῶν
Φόνιον ἐκ λασίου στήθεος ἅμὰ ἐρύγη.
O Pan, paſcendis gregibus cuſtodia fida,
Ut labra aurata addita ſunt calamis:
Fiſtula dulce ſonet, Nivei quo munere lactis
Ad Clymeni portent ubera plena caſas
Vir tibi caprarum ſtructam mox ſtabit ad aram,
Villoſoque cruor deſluet è jugulo.

Benè hæc obſervas, reſpondit ARCHÆOPHILUS, quanquam rei baſin mihi non videaris aſſecutus. Pan non ideò vel Hirco conjungitur, vel Hircinâ formâ effictus eſt, quòd gregibus præfuerit, ſed ob fœcunditatem, quâ tanquam Naturæ univerſæ Deus, ſemina rerum producere, & ſimul fœcundare creditur. Hunc quâ formâ Gentilium cæcitas effingeret, ſi non ejus animalis, quod membri ſalacitate cætera ſuperaret? Id apertè docet Diodorus, interprete Rhodomano: *Pudenda*, inquit, *non apud Ægyptios tantùm, ſed apud alios quoque non paucos, in Myſteriorum ritibus habentur, ut à quibus generatio animalium promanat. Panes etiam & Satyri eandem ob cauſam in veneratione ſunt apud homines. Quocirca etiam imagines ipſorum in fanis plérique dedicant, arrectis ita membris, ut Hirci naturam imitentur. Hunc enim pecudem ad coitum ferri procaciſſimè tradi-*

tur. Vides DULODORE, quæ ratio Caprinæ formæ sit? Quæ ratio sit Capri, coram Pane assurgentis? Nondum video, inquit DULODORUS; Si enim Pana Deum Naturæ statuas, quidni potiùs admittam opinionem Servii, qui figuram ejus longè aliter interpretatur. *Pan*, inquit ad Eclog. II. *Deus est rusticus, in Naturæ similitudinem formatus, unde & PAN dictus est, id est, OMNE; Habet enim cornua in radiorum Solis & cornuum Lunæ similitudinem: Rubet ejus facies, ad ætheris imitationem: In pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem: Pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras: Caprinos habet pedes, ut ostendat terræ soliditatem: Fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam Cœli, in qua septem soni sunt, ut diximus in Æneide, septem discrimina vocum.* Καλαυρόπα *habet, id est pedum, hoc est baculum recurvum, propter annum, qui in se recurrit, quia hic totius Naturæ Deus est.*

Hæc eleganter respondit ARCHÆOPHILUS, & ingeniosè dicuntur, quanquam asserto meo, adhuc inhærendum arbitrer. Quod de Capro dixi, id non tantùm ex Diodoro, sed etiam ex Herodoto adstruxeris, quorum uterque asserit, Ægyptiis non Pana tantùm, sed & ipsum Hircum divinis honoribus affectum, eodemque *Mendes* vocabulo utrumque fuisse appellatum: Scilicet quæ crassa mentis humanæ ignorantia impudicè ab initio descripserat, ea politiore doctrinâ imbuta Posteritas ab infamiæ nota liberare voluit, non futili sanè conatu, uti enim Hirci procacitas originem dedit formæ, ita universi Natura, quam sub Pane Veteres intellexerunt, influxu suo generationem, quô meritò Hircus extollitur, promovet: Indeq; constat & ratio, cur Mercurii filius vocitetur, Mercurius enim vis divina & voluntas est, à qua universi Natura descendit: Constat, cur quibusdam filius Jovis, cùm hic universi conditor perhibeatur.

Audacter philosopharis, respondit DULODORUS, sed mihi ad Gemmam respicienti non videris contrariari. Facilè Tibi cesserim, Prudentiores Panos figurâ universi Naturam expressam arbitratos. Orpheus id indubiè ostendit. An autem hoc obstat, ut Pastorium munus figuræ originem fatearis dedisse? Pastorium munus antiquissimum fuit. Primordia hominum fuere simplicissima. Simplicitas Deorum simulacra invexit, ad rerum, quas oculis usurpabant, desumpta imagines. Considera Panos effigiem? ad Hircinam formam efficta est; Cur non ad formam passeris, alîusve animantis, salacitate non minore præditi? Respondendum sanè, quòd Pastoribus antiquissimis Hirci capacitas propior esset, & quotidie in sensus incurreret, ea enim & ratio fuit Ægyptiis, cur non Pana tantùm, sed ut observâsti, etiam ipsum Caprum colerent, adeò ut Annulum nostrum, in quo uterque occurrit, non tam ad rerum universitatem referre, quàm ad Pastoriam felicitatem debeas restringere.

Ulteriùs non refragabor, subjecit ARCHÆOPHILUS, video enim Pana apud Homerum, ὄυρεα αἰγοτόεντα, *montes capris frequentes*, percurrere, quô factô quin caprum potuerit obviàm habere, dubium non videtur; Sed illud scire velim, si ad Pastoritiam omninò referri debeat Pan cum Hirco ludens, quî in Annulo aureo ejus simulacrum exhibeatur? Quid? an Pastorum hoc ornamentum fuit? Pastores, respondit DULODORUS, antiquissimis temporibus non Plebeji fuere. Apud Mendesios, Herodoto teste, Caprarii præcipuo honore afficiebantur, & ex his unus maximè, qui si decesserit, ingens toti Mendesiæ luctus proponebatur. Apud Trojanos etiam Regum filii pastores erant, id quod exemplo Paridis constat, de quo supra diximus. Sed opus non est rem notissimam pluribus exequi. Si non Pastor hunc Annulum tulerit, at potest ditior aliquis, ut Pana suis gregibus propitium vel exoraret vel testaretur: Poterit Princeps aliquis, ut hieroglyphicè ostenderet, se suis subditis esse, quod Pan erat pecoribus.

bus. Hoc adeò abſurdum non eſſe, teſtimoniô Homeri evinci poteſt, qui Agamemnonem Regem, non unô in locô, ποιμένα λαῶν *Populorum paſtorem*, vocat: Sed ad alia pergimus. Præſtò eſt

ANNULVS AVREVS CUM NOMINE VIBIANÆ Ex Sardæ vena candida exciſo.

QVænam fuerit hæc *VIBIANA*, ex Authoribus, quos quidem Ego de ea conſului, non innoteſceret, niſi aliud venerandæ Antiquitatis monumentum aliqualem ſaltem ejus notitiam affunderet. Inſcriptionem Aræ dico, quam Polæ in Illyrico ad S. Vicum exſtantem, ex Petro Martyre, Gruterus refert. En exemplum:



Ex hac inſcriptione diſcimus: *Primò*, Vibianam noſtram Equitis Romani filiam fuiſſe: *Secundò*, Vibianæ nomen à *Vibia* derivatum, quod Etymoogiæ genus apud Romanos inſolitum non fuit, quanquam in Vibia Gente, hactenus non apparuerit: *Tertiò*, diſcimus & rationem Nominis Græci ex loco Aræ; Illyricum enim, ubi eam Petrus Martyr invenit, Græciæ conterminum fut: *Quartò* Vibianam jam matrimonio junctam fuiſſe, ex vocabulo *Matrona*, quò ſenſu Juno *Matrona Tonantis* dicitur Virgilio, & quid ſi, ex noſtro Annulo, Græco cuidam, matrimonio junctam fuiſſe, contendas?

Id tantò lubentiùs admiſero, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quantò certiùs conſtat, Annulum etiam Antiquis, nexûs conjugalis arrham fuiſſe: An autem ferreus, an aureus? an cum, an ſine Gemma? de eo, ſi me hôc locô doceas, non opinor, præter inſtitutum feceris. Pro ferreo & Gemmâ carente, reſpondit DULODORUS, teſtem Plinium citant: Pro aureo Tertullianum & Iſidorum. Res ita componitur, ut aureus quidem pronubus credatur, ferreus autem & Gemma carens ſymbolum τῆς οἰκουρίας *curæ domeſticæ* ſit, quamvis & conſtet, etiam domi non tantùm ferreis, ſed & aureis uſas, idque ad ſignandum ea, quæ domi cuſtodienda ſunt, uti videre eſt apud Clem. Alexandr. lib. III. Pæd. & D. Hieronymum ad Principiam virginem.

Secundum hæc, regeſſit ARCHÆOPHILUS, diſcernere non potero, an hic Annulus Vibianæ pronubus fuerit, an verò uſus domeſtici? id quod ex diſputatione Tua me confecturum ſperabam. Neutrum ego ſtatuerim, reſpondit DULODORUS; Non poſterius, quia ſi ſignandi causâ fuiſſet, procul dubio non elevatis literis fulgeret, ſed omninò in Gemmam inciſis, ut eædem elevatæ in re ſignatâ redderentur. Non prius, quia ſi pronubus fuit, procul dubio, is fuerit, quem Vibiana Sponſo ſuo dedit, ut adſpectu Nominis ſui, fidei ſcilicet ſibi promiſſæ is admoneretur: Sed hic fuiſſe non poteſt, Annulus enim minor eſt, quàm ut viro geſtatus credi poſſit.

Si nec Pronubus fuit, regeſſit ARCHÆOPHILUS, nec usûs etiam domeſtici hic Annulus, quò eum referam non video; Neque enim ſolûs ornatûs causâ geſtatum, ſatis innuit Nomen, neſcio quid raritatis in Annulis continens. Dicam quod ſentio, reſpondit DULODORUS. Natalitius Annulus videri poteſt, geſtatusque non tàm in memoriam Nominis, quàm Generis. Audi Plautum in Curculione, Scenâ penult. Cùm Planeſium virgo dixiſſet:

Hinc ſervavi ſemper mecum unâ Annulum.

Miles ejus frater, inſpectô Annulô, ſubjungit:

— — *Prob Jupiter!*
Hic eſt, quem ego Tibi miſi Natali Die,
Tam facilè novi, quàm me.

Satisfacit ratio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non tantùm ob Authoritatem Plauti, ſed etiam ob Annuli parvitatem; Hinc enim facilè perſuaſeris, adhuc Juvenculam eô fuiſſe uſam; Sed heus! an etiam fœminis fuit jus Annulorum Aureorum? Id utique, reſpondit DULODORUS, ex eodem Plauti loco planum eſt, ut taceam Juris Conſultos, ex quibus Cœl. Rhodiginus obſervat, fœminas Jus Aureorum Annulorum impetrare poſſe. Cœterùm de parvitate Annuli noſtri adhuc dicendum, eam non indubiè ætatis indicem eſſe, cùm etiam grandiores parvos Annulos in digito minimo geſtâſſe legantur. Talis Annulus *Acares* dictus eſt. Audi Pollucem lib. V. c. 16. ubi mundum muliebrem deſcribit. Τὰ δ' ἐν τοῖς δακτύλοις, δακτύλιον, δακτυλίδιον, σφραγίδιον, σφραγίδας. Οὕτω γάρ τοὺς ἐπιήμιους δακτυλίους ὠνόμαζον, τοὺς τὰ σήμαντα, ἢ λίθους ἐν αὐτοῖς ἔχοντας. περὶ δὲ τῷ σμικρῷ δακτύλῳ ἐφόρουν, ὃ ἈΚΑΡΕΣ ἐκάλουν διὰ σμικρότητα. καὶ ἕτερον κορίανον, τῷ λιχανῷ παιρτημένον. *Quæ verò in digitis, Annulus, Condulus, Sigillum, Signatorius; Sic enim ignatos Annulos vocabant. Sigilla autem, Gemmas continentes. Digitô autem minimô Annulum geſtabant, qui ἀκαρές, propter parvitatem, dicebatur, & alter Corianeum dictus, medio aptatus digito.* Sed ad alia tranſimus. Succedit

ANNU-

ANNULUS AUREVS OCTOGENUS CUM DEA VALETUDINE Jaſpidi inciſa.

DUo ſunt, quæ Annulum hunc commendant: Figura exterior, & inciſum Valetudinis ſimulacrum. Figura octogena eſt, qualem & inter argenteos aſſervo. Valetudinis Simulacrum eôdem modô hîc viſitur, columnæ accline, & dextrâ Serpentem præferens, quô & in Numiſmate M. Acilii Triumviri, eâ tamen cum differentiâ, quòd hîc ſiniſtrâ, quæ in Numiſmate vacua eſt, Sceptro inſignis ſit. Sceptrum Valetudo geſtat, ut ejus divinitatem intelligas. Columnâ nititur, ut intelligas firmitatem. Adderem & de Stolâ, & de Serpente; Sed hæc ſuprà jam ſub Salute vidimus.

An igitur Salus cum Valetudine eadem? inſit ARCHÆOPHILUS. Sunt qui opinentur, reſpondit DULODORUS, idque ideò, quòd vix apud Romanos Valetudo Dea innotuerit, ſed omnia pro valetudine vota, Saluti offerrentur. Mihi tamen aliud videtur, non tantum, quòd Valetudinis Deæ Martianus meminerit, id quod Urſinus obſervat, ſed etiam, quòd Acilius in Nummo, Salutem à Valetudine diſtinxerit; Scilicet ut Salus, ſive Hygeia, Æſculapii filia fuit, ita fuiſſe & Valetudinem Urſini conjectura eſt, idque non abs ratione; Plures enim Æſculapii filias fuiſſe, idoneô Authorum teſtimoniô conſtat. Plinio lib. XXXV. cap. 11. quatuor memorantur, Hygeia, Ægle, Panacea & Jaſo. Suidas in Ἡπιόνη quintam addit Ἀκεσώ. Græcorum hæc Nomina fuêre, quos imitati Romani, licet Salutem ab antiquo coluerint, tamen & Valetudinem honoraſſe, quidni ex hactenus allatis ritè putentur? Quidni eandem hanc fuiſſe, quæ Græcis vel Ἰασώ, vel Παναίκεια, vel Αἴγλη, vel Ἀκεσώ?

Electio hîc datur, inſit ARCHÆOPHILVS, velim tamen ſcire, quam Tu cæteris præferas? Vel Παναίκειαν, inquit DULODORUS, vel Ἀκεσώ; idque eam potiſſimùm ob rationem, quòd affinia harum Nomina ſint cum nominibus Aciliorum, in quorum Nummo Valetudinis ſimulacrum exhibetur.

At Illuſtris Patinus, perrexit ARCHÆOPHILUS, non Valetudinem, ſed Triumvirum Valetudinarium in eo legit, idque eâ ratione, quòd credibile non ſit, urbem tam potentem & peſti obnoxiam, ut ipſe Galenus ait, locis caruiſſe, in quos per peſtilentiam receſſio fieret. Conjectura hæc ſunt, inquit DULODORUS, & quidem idoneâ baſi deſtituta. Ipſe Patinus agnoſcit, apud Veteres ejusmodi Triumviros non occurrere, nec opus eſt, ut nota generis, quod ille arbitratur, perpetua ſit, cùm ſufficiat, unô aut alterô eam monumentô eſſe expreſſam.

In

In mentem adhuc venit dubia Valetudinis appellatio, subjecit ARCHÆOPHILUS. Valetudo apud Authores tam pro mala, quàm pro bona sumitur. Id nihil obstat, respondit DULODORUS, hîc enim Valetudinem non ut affectionem corporis, sed ut Deam consideramus, quæ ex opinione Gentilium morbos pellere, viresque restituere valuerit: Indeque adhuc clarius est, Valetudinem non abs ratione à me vel Παναίκειαν vel Ἀκεσὼ putari, cùm altera *Medicatricem*, altera *omnium morborum Curatricem* significet.

DULODORO Annulum adhuc tenente, ARCHÆOPHILUS alios contrectabat, inter quos

ANNVLVS AVREVS CUM CAPITE TRAJANI RADIATO in Sapphiro.



EJus pulchritudine captus ARCHÆOPHILUS: Pretium huic & Natura, inquit & Artificium conciliant. Quàm gratus est cœruleus in Gemmâ color! quàm jucunda διαφάνεια! Cœlum Te aspicere arbitreris, purissimâ serenitate lucidum! Quàm excellens sculpturæ sublimitas! Ad oculum patet divina Trajani effigies, non Lauro coronata, sed Radiis ornata, quale coronæ genus etiam in Nummis occurrit. Quàm artificiosa capitis profunditas, in Gemmâ nec mole exiguâ, nec nobilitate vulgari! Gemmam laudas, inquit DULODORUS, nec id abs ratione, quanquam veram laudis rationem non videaris assecutus. Summa raritas ejus in scalptura consistit; Pliniô enim teste, Sapphiri scalpturæ inutiles credebantur, intervenientibus Chrystallinis Centris, & in tota Gorlæi Dactyliotheca, ne unicum quidem Sapphirum videas, adeò ut κειμήλιον hoc verè inter præstantissima simul & rarissima reponere ausim.

At Annulus, inquit ARCHÆOPHILUS, videtur aliquid ex novitate trahere? Rectè sentis, respondit DULODORVS, Annulum enim & ipse modernum judico, sed id Gemmæ nihil detrahit, cùm non artificium tantum ævo Trajani dignissimum, sed omnia præterea genuinæ Antiquitatis indicia eam commendent. De Trajano latior erit dissertandi campus, & ad Numismata & ad Statuam ejus. Hîc produci adhuc posset Annulus Aureus cum Pastore & Ove fœtus lactante in Sarda: Produci plures alii, interque eos duo ἄλυφοι, quorum alter dextras junctas exhibet, alter Serpentis figurâ in circulum convolvitur; Sed pars ex his nihil rari continet, pars ex iis illustrabitur, quæ ad argenteos dicentur. Inter hos in limine se sistit

ANNU-

ANNVLVS ARGENTEUS CUM CAPITE CRISPINÆ ONYCHI INCISO.

ANnulis Argenteis Libertinos usos esse, Isidorus ait; Apud probatæ fidei Authores nihil hactenus de iis sibi observatum, Kirchmannus author est. Nihil? subjecit ARCHÆOPHILUS; Atqui Kirchmannus ipse Plinium citat Lib. XXXIII. cap. 12. Ubi fœminæ plebis compedes sibi ex argento fecisse memorantur. Kirchmannus certè per *Compedes*, Annulos intelligit, indeque plebejarum id gestamen fuisse colligit. Scio Kirchmanni assertum, respondit DULODORUS, sed vereor ut subsistere possit; Compedes enim eò locô pro Ornatu calceorum sumi debere, ex Capite tertio ejusdem Libri patet, ubi idem Author de fœminis: *Tu Brute*, inquit, *mulierum pedibus aurum gestari tacuisti:* Quò respiciens cap. 12. ritè persequitur: *Argentum succedit aliquando & auro, luxu fœminarum, pedis compedes sibi ex eo facientium quas induere aureas mos tritior vetat:* Mos tritior vetat aureas gestare; Uti enim usus auri non apud Legatos semper, non semper apud Equestrem ordinem resedit, sed etiam ad Plebejos & Libertinos devolutus est, uti supra diximus; ita & usum argenti, non tantùm Libertinorum, sed etiam Plebejorum & Equestrium tandem fuisse, nescio an ex hoc loco non evincere possim; Neque enim *Plebis*, sed *pedis* eô locô legendum censuerim. Fulciunt opinionem sequentia Plinii verba: *Vidimus*, inquit, *& ipsi Arellium Fuscum, motum Equestri ordine, ex argento Annulos habentem.* Hunc locum allegare Kirchmannus debuisset, & ritè, si non de Equestri, saltem de Plebejo ordine demonstrâsset.

ARCHÆOPHILUS hæc, inquit, utique admiserim, an autem apud Plinium dictô locô *pedis compedes* legi debeat, valde dubitaverim; Primò enim Harduinus, qui de restitutâ verâ lectione egregiè hîc exultat, vocem *plebis* ex Manuscripto Codice retinuit: Deinde, quid *pedis compedes?* Nonne in voce *compedes*, jam *pedis* vocabulum comprehenditur, adeòque addi necessarium non esset? Nullô modô, respondit DULODORUS; *Compedes* enim, non à *pede*, sed ab *impedimento* dictas, Nonius Author est. Non pedis semper, sed & aliarum partium vincula erant; *Compedes Manûs* dixit Varro in Prometheo lib. I. eodem Nonio citante: *Compedes Corporis* Cicero I. Tuscul. Sed de his satis lusimus. Ad Crispinam convertimur, cujus effigiem hâc in Gemmâ elegantissimè expressam cernimus. Confer Numismata ejus, non faciei tantùm lineamenta, sed & ornatum capitis deprehendes ex asse respondere.

ARCHÆOPHILUS, ne temerè rem dijudicaret, Numismata inspexit, Gemmâque ad ea examinatâ, quod contra dicam, inquit, non habeo. De Nomine autem sæpè miratus sum, cùm Romanæ mulieres Gentis suæ nomina ferre

 sueve-

ſueverint, quſi Criſpina, quam Bruttii Præſentis bis Conſulis filiam fuiſſe Capitolinus aſſerit, nullo patrii generis nomine inſignis ſit? Solum cognomen in Nummis viſitur, nec aliundè lux clarior affulget. Cognomen ſolum, reſpondit DULODORUS, in Nummis Auguſtarum poni, inſolitum non eſt. Exempla habes in Agrippina, Domitilla, Plotina, Sabina, Fauſtinis, aliisque. Ne tamen nomen Gentis in Criſpina ignoremus, facit non tantùm Pater ejus, quem Bruttium dictum, rectè ex Capitolino obſervaſti, idque contra Occonem, qui falsò vel Burri vel Prutii filiam fecit; Sed etiam & quidem potiſſimùm Numiſma Græcum Theſauri Regis Gallorum, in quo ΒΡΟΥΤΤΙΗ Criſpina omninò vocatur. Meminit ejus, de deliciis noſtris meritiſſimus Joh. Foy Vaillant, inter Colonias Tom. I. pag. 321. adeò ut potiùs mireris, quòd moribus Marito conveniens Criſpina, tamen ultrices ejus manus effugere non potuerit. Ob adulterium repudiatam, inde & Capreas relegatam, tandemque & occiſam, apud Dionem legimus, licet & Commodus adulteriis fuerit inquinatiſſimus. Sed is Tyrannorum mos eſt, quod in ſe probant, in aliis damnant, & vel ſic crudelitati ſuæ fomitem ſuggerunt. Non abſolvo Criſpinam. Non formæ protervitas tantùm, ſed & Numiſmata Genii laſciviam teſtantur. Quid in iis frequentius, quàm Venus & Victrix & felix? Quid frequentius quàm Hilaritas & Lætitia? Equidem & Junonem cernimus, tam Lucinam quàm Reginam, ſed altera arrogantiam innuit, altera fœcunditatis cupidinem, non minus ac Ara, quæ DIS GENITALIBUS inſcripta proſtat. Noli mihi vel Pudicitiam, vel Concordiam opponere: Pudica malebat videri, quàm eſſe, indèque nec Concordiæ fructum ſenſit, licet votis publicis, ipsâque Veſtalium ſanctimoniâ, matrimonio adſpirantibus. Sed nihil in his, quod opis indigeat. Ad alia tranſire par eſt. Prodit

ANNULVS ARGENTEVS
ἌΨΗΦΟΣ ſive GEMMA CARENS
CUM
CAPITE MERCURII
Ex ARGENTO.

ANnulus hic, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, contemplatione noſtrâ indignus non eſt. Ἄπειροι Græcis dicebantur, quòd Gemmis carerent. Julium Pollucem audiamus Lib. VII. c. 33. Tit. 7. τὸν δὲ περιφερῆ καὶ Ἄλιθον δακτύλιον, ἀπείρονα καλοῦσι. *Annulum circularem indeterminatum & Gemmâ carentem INFINITUM vocant* Kirchmannus hoc loco Ἄπειρον legendum cenſet, nec abs ratione, cum Ariſtoteles lib. III. Φυσικῆς Ακροάσεως cap. 11. καὶ γὰρ τοὺς δακτυλίους ἀπείρους Φασι τοὺς μὴ ἔχοντας σΦενδόνην. *Annulos*, inquit *illos, qui palâ carent*, ἀπείρους *eſſe ajunt.* Artemidoro ἄλιθοι vocantur lib. II. Ἄλιθοι, inquit, ἀκερδεῖς τὰς ἐγχειρήσεις σημαίνουσι, διὰ τὸ ἄλιθον. λῖθον γὰρ καλοῦμεν ὥσπερ λίθου τὸν ἐν Δακτυλίῳ οὕτω δὴ καὶ τῶν χρημάτων ἀριθμόν. *Qui lapillis carent, minimè lucroſos aggres-*

greſſiones ſignificant, propterea quòd ἀλήφους non habent, ἄλφον enim vocamus tum lapillum, tum etiam pecuniarum numerum. Minus opportunè, ſubjecit DULODORUS, hæc Authorum loca hîc loci conjungere videris. Licet enim à Kirchmanno jam propoſita ſint, tamen ad genus Annuli noſtri demonſtrandum non conſpirant. Quid enim? an Annulus Ἄλφος καὶ Ἄλιθος ſtatim etiam περιφερὴς καὶ ἄπειρος? Utique Mercurius, hîc in orbiculo, Gemmæ locum occupat, adeòque Annulum rotundum & continentem eſſe non ſinit?

Facilè reſponderim, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Non ideò Annulus Ἄπειρος & περιφερὴς vocatur, quòd nullâ figurâ diſtinguatur, ſed quod nullâ Gemmâ aut Palâ quaſi dirimatur. De Gemmâ teſtatur Pollux, de Palâ Ariſtoteles, uterque locis ſupra allatis, eôdem ſanè modô, quô & Terra ἄπειρος dicitur, ſi nullo mari dirimatur, licet in ſe montoſa ſit, & urbibus fluviisque ſe commendet. Res mihi valdè dubia videtur, regeſſit DULODORUS. Tutiùs ſanè Annulum noſtrum Ἄλφον ſtatuimus, idque ſecundum allegatum Artemidorum, Gemmâ enim caret, licet figurâ non careat. Sed illud mirari ſubit, excepit ARCHÆOPHILUS, quomodo Ἄλφον ſtatuere audeas Annulum cum Capite Mercurii, Lucri Dei, cùm tamen ἀλήφους minimè lucroſas aggreſſiones ſignificare, ex eodem Artemidori loco conſtet? Notandum, inquit DULODORUS, non hîc per ſomnum nos Annulum Ἄλφον videre, ſed talem, qualem ſuperſtitioſus aliquis Mercurii Cultor, digitô inſertum, ut veriſimile eſt, geſtavit, an lucri cauſa? incertum eſt; Mercurius enim non Mercatorum tantùm Deus fuit, aut Paſtorum, aut Furum; ſed & Viatorum, Palæſtritarum, aliarumque & Artium & Scientiarum. Sermonis Deum appellatio Græca evincit, quâ ἑρμῆς id eſt, *interpres* dicitur: Religionis, Aſtrologiæ, & Muſicæ inventorem Hiſtoria celebrat. Pro velociore Mundi ſenſu, motum mentis ſuſcitante, Julianus Apoſtata veneratus eſt. Ut alia taceam, quæ paſſim apud Mythographos leguntur. Formam hîc notare operæ pretium eſt, non quidem à communi alienam, ſed talem, qualis Artibus & Scientiis, à Mercurio inventis, quadrare videtur. Juvenis eſt, & ſine fuco formoſus, directâ facie, Pileo Libertatis tectus, velocitatis inſignibus ornatus; planè qualem ad Scientias captandas accedere decet. Hæc cùm ita ſint, annon Viator aliquis? annon Palæſtrita, aliûsve alicujus Artis Candidatus hunc Annulum geſtare potuit? Annon & aliquis Mortis memor? Notum enim eſt, à Mercurio animas ad Orcum deduci creditas, undè Claudiano

— — *Commune Profundis*
Et Superis Numen. — —

ARCHÆOPHILUS, his contentus, ad alia properabat; Igitur ſequens, inquit,

ANNVLVS ARGETEUS
ΑΛΙΘΟΣ CUM LITERIS
I. O. M.



Nihil peculiare videtur habere; Literas enim I. O. M. de Jove Optimo Maximo ut interpreteris, non video, quid obſtare poſſit.

Si Annulum respicias, respondit DULODORUS, nihil est, fateor; Sed si Annuli usum, vereor, ut ea ratio sola sit. Annulum signatorium esse, patet ex Literis incisis; Si autem signum hujus Annuli cerâ exprimatur, non amplius leges I.O.M. sed omninò M. O. I. quod forsitan nomen ejus est, qui Annulum gestavit, quique, ut simul & nomen suum ederet, & Jovis Optimi Maximi tutelæ se commendaret, literis his initialibus usus fuit. An M. Oppius Jaso? an M. Oseireius Januarius? an M. Ostorius Italus? an M. Ovinconius Ingenuus, aliusve? incertum est. Apud Gruterum certè D. Oppius Jaso. L. Oseireius Januarius. C. Ostorius Italus. P. Ovinconius Ingenuus, aliique occurrunt. Occurrunt apud Reynesium Sextus Octavius Januarius, & D. Octacilius Jovinus, unde conjectura formari potest, annon exiguâ prænominis mutatione, quæ Romanis insolita non fuit, vel M. Otacilius Jovinus, vel M. Octavius Januarius hîc debeat intelligi? Sed nihil decido. Potiùs ad Annuli formam aciem intendo, qui licet ἄλιθος sit, Ἄπειρος tamen, sive *indefinitus* dici non potest, cùm expressæ Literæ, quadratumque circa eas ornamentum eum abundè definiant. Subit alius

ANNVLVS ARGENTEUS SERPENTIS

Figurâ elaboratus.

Hunc & raritas commendat, & Mysticus sensus. Raritas, quòd nullibi hactenus talem vulgatum recordor: Sensus Mysticus Serpentis, de quo plura passim. Serpentem Salutis, & Æsculapii, suprà ad ejus sacrificium vidimus. Serpentem Palladis Numismata Alexandri & ΓΟΡΤΙΝΙΩΝ ostendunt. Si ad hæc attendas, forsitan eum, qui Annulum nostrum gestavit, ad Salutem, Prudentiæque & Victoriarum gloriam arbitraberis respexisse.

Imò verò, respondit ARCHÆOPHILUS, cùm Serpens caudam devorans Mundum, & caudam sub gutture occultans Tempus & Annum præfiguraverit, uti Pier. Valerianus docet, ego potiùs ad Æternitatem hunc Annulum retulero. Admitterem placitum, respondit DULODORUS, si caudam Serpens hic vel occultaret vel devoraret; Cùm autem neutrum agat, potiùs ad Gloriam respexero, quam cùm ejus cupidine, vel maxima ducatur hominum pars, quid mirum, si & Annuli nostri possessor affectaverit? Lustremus præsagia Veterum; Cicero Lib. I. Divinat. docet, Roscium, pusionem adhuc, in Selonio, campo Lanuvini agri, educatum, & in cunabulis dormientem, Nutrici, lumine appositio, *Serpente circumdatum* visum esse, reque ad haruspices à Patre delatâ, responsum, nihil eô puerô clarius, nihil nobilius fore. Ælius Spartianus de Severo Imperatore inter omina Imperii memorat, quòd dormienti in stabulo *Serpens caput cinxerit*, & sine noxa, expergefactis & acclamantibus familiaribus, abierit. Simile quid de Maximino Juniore refertur: Simile de Aureliano, ut taceam Helenum

lenum & Cassandrum, quorum sensoria cùm circumlamberent Serpentes, futuros vates, vatum responsum fuit. Ego sanè his prodigiis admonitus, ut illi Serpentis ambitum gloriæ auspicium habuerunt, ita & possessorem Annuli nostri, nihil aliud hâc figurâ intendisse crediderim, quàm gloriam: Quamvis difficilis futurus non sim, si quis aliud quid firmis rationibus demonstraverit.

Facis ut ingenuum decet, subjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi firmius quid in promptu non est, ideoque ad alia transeundum arbitror. Id agam, respondit DULODORUS, & quidem relictis Argenteis, quanquam adhuc supersint, quorum contemplatio non parum voluptatis præbere posset. Ad Ferreos descendo, inter quos exhiberi meretur

ANNVLVS FERREUS
CUM CAPITE
SOCRATIS
IN SARDA.

EX Plinio constat, Annulos Ferreos, Antiquissimis Romanorum bellicæ virtutis insigne fuisse, gestasse eos Judices, gestasse Equites, gestasse Triumphantes. Quid de Sponsalitiis memorem, de quibus suprà? Quid de domesticis, quos Legati usurpabant, depositis post Legationem aureis? Lacedæmonii in memoriam veniunt, qui Ferreis Annulis etiam Plinii ætate usi sunt. Seleucum recordor, cui Mater, ad bellum eunti, Annulum Ferreum dedit, quem antea concubitûs præmium ab Apolline acceperat, cujusque in Gemmâ anchora insculpta erat, Genitale Seleucidarum insigne, id quod ad eorum Numismata latiùs deducetur. An ex his non colligas Annuli ferrei dignitatem?

Id agerem, regessit ARCHÆOPHILUS, nisi Isidorus obstaret, Annulum Ferreum Servorum gestamen afferens. Iis, respondit DULODORUS, id sumi debet de temporibus, quibus luxus, Romanorum & virtutem variavit & virtutis insignia; Quanquam & diversitas morum inter populos concurrat, cùm apud Athenienses etiam Servis nequissimis ferreo Annulo signare permissum, Alexander ab Alexandro observet. Romanis licet paulatim eviluerit, adeò ut luctûs insigne fuisse & Suetonio in Aug. Cap. 101. & Livio Lib. IX. memoretur, priscæ tamen severitatis tenaces adhuc fuére Judices quidam sub Augusto, qui in Annulo Ferreo memorantur: Fuére Illustres, Præturâ functi, quos avorum suorum memoriâ in Annulo Ferro consenuisse, Plinius author est.

Anxiè dignitati obstetricaris, inquit ARCHÆOPHILUS, & si verum est, quod ab initio dixisti, Socratis scil. caput in Gemma exhiberi, jam mihi videbitur & ad constantiam tanti Philosophi & integritatem respexisse, quicunque hujus Annuli author est. De Capite Socratis, respondit DULODORUS, nescio an dubitare possis. Notissima est ejus effigies. Ex gemino Antiquitatis κειμηλίῳ

eam protulit Urſinus: Imò integrum de eo tractatum edidit Joh. Chifletius, ubi plurima ejus ectypa videri poſſunt. Ubique proſtat, qualiter in noſtro Annulo, qualiter Platoni & Xenophonti deſcribitur, *Sileno* ſcil. *ſimilis, recalvus, ſimo naſo, oculis emiſſitiis*, id quod Silenus ipſe fatetur apud Julianum in Cæſaribus, & ulteriùs declarat Per-Ill. *SPANHEMIUS*, in eruditiſſimis ad eundem notis. Cæterùm non inconcinnè de Conſtantia Socratis philoſopharis, quanquam & addere poſſis, quod de Epicuri imagine, Cicero memorat, *eum non in Annulis modò, ſed etiam in Poculis habere*, quibusdam magnæ curæ fuiſſe, procul dubio hoc fauſti omnis & Generi & Nomini arbitratos; Licet enim apertum hactenus teſtimonium de Socrate non habeamus, tamen propter univerſas ejusmodi Gemmas, quæ hodiénum ſuperſunt, vix aliud cenſueris. Et quid? Nonne Antiquis cô honore fuerit, quô fuit parentum noſtrorum memoriâ diſertiſſimo Mureto? Audi Lipſium de rectâ pronunciatione Linguæ Latinæ cap. 2. cum Mureto confabulantem: *Socrates ille Tuus*, inquit, *quem ita amas, ut in ANNULO geſtes*: Scilicet, quod Seneca in Epiſtola XI. philoſophatur, id obſervâſſe credibile eſt eos, qui Virorum Illuſtrium imagines circumtulêre. *O felicem illum*, inquit, *qui non adſpectus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur Tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Lælium: Elige eum, cujus Tibi placuit & vita & oratio, & ipſius animum ante Te ferens & vultus, illum ſemper Tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum!* Sed ad alia pergo. Sequitur

ANNULUS FERREUS
Cum
CAPRARIO Deprehendente CARPUM
ULTIMO TEREBINTHI RAMO INFESTUM.

SImilem omninò Gemmam, inquit ARCHÆOPHILUS, in Theſauro Palatino, pag. 95. Te exhibuiſſe memini; Sed nihil ibi de Terebintho, multò minus de ultimo Terebinthi ramo protuliſti. Pellem tantùm, ſolitum Paſtorum veſtitum dixiſti, ſed quô Authore? Caprum non Viti tantùm & Palmæ, ſed promiſcuè arboribus noxium eſſe, authoritate Plinii affirmaſti, ſed ubi verba? Tandem cùm aliud non ſuccurreret, Ovidium citaſti, qui de Capro vitem rodente ita canit:

Palmite debueras abſtinuiſſe Caper!
Quem ſpectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In Tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Sed

Sed quid hæc ad Gemmam, in quâ nec Vitis, nec Palmes? Fateor, reſpondit DULODORUS, minus oportunè locum à me citatum eſſe, oportunius enim ad aram MSC. Pighiani quadraret, in cujus dextro latere, Caper ad vitem aſſurgens, uvas appetit: Fateor, nec de habitu Paſtorio me ſatisfeciſſe, nec etiam verba Plinii citaſſe; Sed hæc ipſa cauſa eſt, cur Gemmam hanc denuô proponendam cenſuerim. Utrinque, quod illic omiſſum eſt, hîc ſupplendum erit. De habitu Paſtoris non alium adduco, quàm Theocritum, qui cùm Paſtoria luderet, Paſtorum habitum ignorare non potuit. Ita ille Idyll. 7.

— — Καί τιν' ὁδίταν
Ἐσθλὸν σὺν μόισαισι κυδωνικὸν ἔυρομες ἄνδρα.
Ὄνομα μὲν Λυκίδας, ἦς δ' αἰπόλος, οὐδέ κε τίς μιν
Ἠγνοίησεν ἰδών, ἐπεὶ αἰπόλῳ ἔξοχ' ἐῴκει.
Ἐκ μὲν γὰρ λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο
Κναικὸν δέρμ' ὤμοισι, νέας ταμίσοιο ποτόσδον.
Ἀμφὶ δὲ οἱ στήθεσσι γέρων ἐφίγγετο πέπλος.
Ζωστῆρι πλαικερῷ. ῥοικὰν δ' ἔχεν ἀγριελαίῳ
Δεξιτερᾷ κορύναν.

— — *In quendam Viatorem*
Bonum, cum Muſis, Cydonicum incidimus Virum,
Nomine quidem Lycidam; Erat autem Caprarius, neq; quisquam eum
Ignoraſſet aſpiciens, quoniam Caprario egregiè ſimilis erat;
Nam ex birſuto, & Villoſo Hirco gerebat
Albam pellem humeris, novum coagulum redolentem:
Circum autem ejus pectora vetuſtum pallium erat adſtrictum
Cingulo textili: Curvum autem ferebat ex Oleaſtro
Dextrâ pedum.

Quid concinnius ad habitum Caprarii? quid concinnius ad Gemmam noſtram dici poteſt? Plinii verba ſunt lib. VIII. cap. 50. ubi licet de capris fœminis dicat: *Morſus earum arbori exitialis* eſt, tamen etiam de maribus eum intelligi poſſe, ex ipſo contextu patet, cùm promiſcue de utroque genere eo in capitulo loquatur. Sed magis ad Gemmam idem Bucolicus in Epigr. I.

Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος ὗτος ὁμαλὸς
Τερμίνθου τρώγων ἔσχατον ἀκρέμονα.
Aram cruentabit, cornutus Hircus iſte Villoſus,
Terebinthi comedens ultimum ramum.

Hic certà locus aſſertum meum in tuto ponere videtur. Ultimus enim in eo ramus ad oculum patet, & ſi Terebinthi folia Tibi nota ſint, eò minore dubiô placitum excipies.

DULODORUS, his ita deductis, ad Numiſmata tranſiturus erat. At ARCHÆOPHILVS, Tune, inquit, Dactyliothecæ jam ſatisfactum arbitraris? Cùm tamen præſtantiſſimarum Gemmarum non contemnenda adhuc ſuperſit copia? Non eas dico, quæ hactenus illuſtratis magno numero interſperſæ, vulgaria continent; Sed eas, quæ ſeorſim adhuc diſpoſitæ, & raritate fulgent & artificio. Quid ais DULODORE? nonne & has ſuô lumine dignaberis? Dignarer, reſpondit ille, ſi indubiæ Antiquitatis forent. Noſti, Deliciarum noſtrarum Cultoribus judicium adeò ſubactum hodie eſſe, ut facilè detegant, ſi quid ex novitate miſceatur: Noſti palatum adeò tenerum, ut vel ex parte nauſeam totius capiant: Proinde, cùm Antiqua Tibi promiſerim, quâ ratione addere potero, quæ novitatis ſuſpicionem, vel me judice, movent?

An ergò nova hæc eſſe pro certo affirmas? regeſſit ARCHÆOPHILUS. Neutiquam, reſpondit DULODORUS, ſed nec pro certo affirmare poſſum, eſſe

esse Antiqua. Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, non tantùm artificium & Genius cum Antiquitate convenire, sed & recondita in plerisque eruditio latere videtur, proindeque, si me amas, DULODORE, non gravaberis, paulisper adhuc in Dactyliotheca subsistere. Id agam, reposuit ille, quoniam ita jubes, illâ tamen cum cautione, ut quæ deinceps prolaturus sim, pro indubiè antiquis me non habere, quilibet sciat; Quanquam interim non tantùm artificium, Antiquitatis genium, reconditamque eruditionem admirer, liberamque cuique electionem relinquam, quid antiquis, quid modernis accensendum judicet.

Vix ea locutus erat DULODORUS, cùm fulmineos tormenta fragores circa urbem ingeminârunt, mistusque cum jubilis exultantis plebeculæ clamor, ELECTOREM BRUNSVICENSEM adventare nunciavit. Socer is ELECTORIS BRANDENBURGICI est, eôque majore tunc cum honoris pompâ à Genero recipiebatur, quò amiciore affectu, etiam in æquali culmine, quò Familiam suam suâ virtute extulerat, Domum Brandenburgicam amplexabatur. Igitur DULODORUS, subsistamus, inquit, ne intempestivâ diligentiâ negligamus id, quod reparari non potest. Gemmas crastino die persequemur, Tu autem & hoc simul patientiæ præmium habebis, ut Pontem illum Magnificum, quem Elector noster immensis sumtibus excitavit, Regio planè transeuntium Triumpho intuearis illustratum. Læto animo ostensam à DULODORO spem excepit ARCHÆOPHILUS; Igitur, quòd præter hæc etiam dies inclinare videretur, salute sibi mutuò datâ, compositisque rursus, & occlusis, nobilioris Antiquitatis thesauris, ad forum digressi sunt, & publicam intuituri introitûs Electoralis pompam, & votivo simul DIVINUM PAR prosecuturi jubare.

Hoſphorus heſternis temulentum
plauſibus agmen
Splendidiore polo rurſus dimoverat, & jam
Aureus elatâ ſurgebat lampade Titan.

Repetiit Electorale Gazophylacium ARCHÆOPHILUS, primumque ſub ingreſſum, ingentes, inquit, Tibi gratias debeo, honoratiſſime DULODORE, non tantùm, quòd Antiquitatis Gazas mihi pandere digneris, ſed etiam, quòd Solennitates publicas, & divina planè Jovis MARCHICI molimina contemplandi mihi anſam præbueris. Anceps hæreo, an prius de Ponte, an prius de Introitu dicam. Hic antiquos illos Triumphos adumbrare videbatur, quos, hoſtibus devictis, Imperatores Romani ducebant: Ille ſtupendas illas humanæ ſolertiæ moles, quibus olim Tiberis ſuperbiebat. Noſti DULODORE, *Pontem Molvium*, qui ab Æmilio Scauro factus, ab Auguſto refectus eſt: Noſti *Pontem Ælium*, quem Hadrianus exſtruxit: Imò & *Janiculenſem*, & *Tarpejum*, ſive *Fabritium*, quem ſuô ævô *Lapideum* dictum, Porphyrius ſcribit: Et *Esquilinum* & *Palatinum*, quorum ille quondam *Ceſtius*, hic autem *Senatorum* dicebatur.

Quid hi ad propoſitum? ſubjecit DULODORUS. Aptiùs jactabitur *Pons Triumphalis*. Huic enim fornicum numero *Pons Electoralis* reſpondet. Imò, perrexit ARCHÆOPHILUS, Operum magnificentiâ eundem ſuperat. Statuis Deorum Romani Templa ſua exornârunt, ſed hîc utrôque Pontis in latere, artificiô, ſi non priſcô, certè priſcæ ſublimitatis æmulô, radiantes vidi, MATREM DEORUM cum Leonibus, SATURNUM cum Falce, JOVEM cum Aquilâ & Fulmine, JUNONEM cum Pavone, MARTEM cum Tropæo, HERCULEM cum Clava & Leonis exuviis, PALLADEM cum Haſtâ & Noctua, DIANAM cum Pharetra & Canibus, APOLLINEM cum Lyra & Tripode, MERCURIUM cum Gallo & Caduceo, NEPTUNUM cum Delphino & Tridente, ÆOLUM cum Sceptro & Ventis; adeò ut Pons hic verè PANTHEON appellari poſſet, niſi glorioſiore cognomento, ab Auguſto Conditore, FRIDERICIANUS diceretur. Equeſtrem M. Aurelii Statuam hodienum jactat potentiſſima illa Orbis quondam Domina, Gentiumque Dea; Sed ecce! Etiam Regia Electoralis Brandenburgica habet, quod non noſtra tantùm ætas, ſed & poſtera ſæcula mirentur. EQUESTREM dico FRIDERICI III. Electoris undiquaque Glorioſiſſimi, STATUAM, qui medium juxta Pontem, digno tantâ Majeſtate Genio fulget, Diis quaſi præpoſitus,

qui omnia Deorum decora ſublimi virtutum jubare adæquat. Sed quid ingenii culpâ tanti Principis detero Gloriam? Erunt & noſtrô Sæculô Homeri: Erunt Marones, qui ingentia DIVINI HEROIS merita digno conſecrabunt carmine! Id dubium non eſt, ſubjecit DULODORUS, indeque ſi ita Tibi videtur, ad conſtitutum revertemur. Annuente ARCHÆOPHILO, Bono omine, perrexit DULODORUS, poſt Triumphum Electoralem, ipſo in limine ſe nobis oſtendit

TRIUMPHUS VENERIS ELEGANTISSIMUS.



HAnc Gemmam Per-Illuſtris EBERHARDUS à DANCKELMAN, ut omnia Gloriæ Brandenburgicæ dare ſolet, SERENISSIMO & POTENTISSIMO ELECTORI NOSTRO nuper obtulit, dignum tantâ Majeſtate munus, ſive artificium conſideres, ſive rem expreſſam. Multa vidi, ſuaviſſime ARCHÆOPHILE, arte non vulgaria; Sed apertè fateor, me pauca vidiſſe, arte tantâ elaborata, quantâ propoſitum κειμήλιον eſt. Quid Venere amabilius? an credas Cnidiam, Praxitelis opus, hanc ſuperâſſe? & quam benè ſub Venere Leonibus triumphante Solium Electorale Tibi imagineris, Fortitudinis & Conſtantiæ viribus adeò venuſtum, ut & Cupidines ei applaudere, & Urbium ſylvarumque Numina accinere videantur. Sed Panegyrico hîc locus non eſt, Antiquitatis Gazas nos memini luſtrare. En Venerem cum telo, curru ſublimem! En Cupidines, quorum alter Leonum bigas agitat, alter cum ſerto, Matri imponendo, in aëre volitat! En Hymenæum cum Cithara præcedentem! Concordiam & Gratiam cum facibus comites! Tandemque & Pana ſequentem, cui

Fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis,

Non otioſa pendet, ſed planè talem ſe oſtendit, qualem apud Theocritum Pan ipſe jubetur afferre, Idyll. 1.

Περὶ χείλος ἑλικτάν.
Circum labra revolutam.

Sed à Venere incipiendum, de cujus nec Venuſtate nec Nuditate pluribus arbitror dicendum, cum utraque & in Antiquitatis reliquiis, & in Poëtarum deſcriptionibus frequentiſſimè occurrat. Venuſtatis palmam ei Paridem adjudicâſſe jam ſuprà vidimus, & Nuditatem, de qua ibidem conqueſtus es, amiciſſime ARCHÆOPHILE, hîc ad ſatietatem usque contemplari potes. Egregiè jocaris, ſubjecit Ille, quanquam ut verum fatear, nec propoſito noſtro deſis. Gemmam ego ſtupeſcens haëtenus inſpexi. Nunc votum addo, ut ejus ad augurium Gloria BRENNI æternùm triumphet! Illuſtriſſimusque DANCKELMANNUS, tam inſignis Cimelii Magnanimus olim Poſſeſſor, in ſeros annos feliciter agat! Spes inde eſt, ut reliqua omnia, ita & Electoralium Antiquitatum Cumulos, novis quotidiè acceſſionibus augendos, novisque deliciis auream candi-

candidioris famæ tubam impleturos! Gemma propoſita inſigni fulget & artis ſublimitate, & triumphi raritate, ſed ignoſces DULODORE, ſi ignorantiam meam fatear. Multa video, quæ mihi vel dubia, vel etiam à Venere aliena videntur. Non equidem de Cupidine loquar cum corona Myrtea volante. Cupidinem Veneris filium nemo neſcit, & Myrtum Deæ ſacram, vel millenis Poëtarum locis adſtrui poteſt. *Myrtia* ſive *Murtia*, teſte Plinio, dicitur ipſa Venus, & Myrtum *Maternam* apud Virgilium appellat Æneas. Unde & Ovidius de Arte Lib. III. de eadem.

Dixit & è Myrto (MYRTO nam vincta capillos
Conſtiterat) folium granaque pauca dedit.

Sed quid de re nota pluribus agam? quin ea profero, quæ dubium movent? Talis eſt Hymenæus, quem præcedere ais cum Lyra. Ovidius Hymenæum non cum Lyra, ſed cum Facibus canit:

Conde Tuas, Hymenæe, faces!

Et Catullus:

Manu pineam quate tædam!

Quo Authore nec omninò nudus eſt, ſed tempora ſuaveolentis floribus Amaraci cingitur, niveoque pede luteum ſoccum gerit.

Addere poſſes & Flammeum, reſpondit DULODORUS, quod & ipſum Hymenæus capere jubetur, apud eundem Catullum. Sed notandum, hæc inſignia ejus fuiſſe, ubi nuptiarum ſolennitati aſſiſteret. Reliquo tempore Muſicis inſtrumentis eum operam dare, ex Claudiano docemur. Cùm nuptialis ab urbe plauſus ad aures Veneris perveniſſet, eaque Hymenæum inter amores quærere,

— — Platano tunc ille ſub alta
Fuſus, inæquales cerâ texebat avenas,
Mœnaliosque modos, & Paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, oriúque recurſu
Diſſimili tenuem variabat arundine ventum.

Venus, cui genius ejus notiſſimus erat, cùm eum reperiſſet, ita alloquitur:

— Nunquamne Puer, dilecta relinques
Carmina, maternis nunquam ſatiabere donis?
Dedite Muſarum ſtudio, nimiumque Parenti,
Æmule! Quid medio tecum modularis in æſtu?
Jamne Tibi ſordent CITHARÆ? jam luſtra Lycæi,
Atque pecus cordi?

Quid Hymenæus?

Reſtitit, ut vidit Venerem, digitisque remiſſis
Ad terram tacitò defluxit fiſtula lapſu.

Quid amplius? cum cauſam plausûs edidiſſet, Veneremque de Palladii & Celerinæ nuptiis edocuiſſet, appoſitè ſubjicit:

— Marcentes cupio quaſſare Coronas
Et vibrare Faces, & noctem ducere ludo.

Ex his Claudiani utique vides, non tantùm, Hymenæum Faces & Coronas extra nuptias non geſtaſſe, ſed Muſicæ tum operam dediſſe, vel Ruſticæ, vel Urbicæ. In Gemma noſtra Ruſticam videtur Pani ceſſiſſe, ſibi autem Urbicam reſervâſſe; Idque non abs ratione. Invehitur in fiſtulam Mnaſalcus Epigr. Lib. I. c. 3. n. 3.

Α Σύριγξ, τί τοι ὧδε παρ' Ἀφρογένειαν ὄρουσας
Τίπτ' ἀπὸ ποιμενίου χείλεος ὧδε πάρει,
Οὗτοι πρῶνες ἔθ' ὧδ' οὐδ' ἄγχεα. πάντα δ' ἔρωτες,
Καὶ πόλος. ἀ δ' ἀγρία μοῦσ' ἐν ὄρει νέμεται.

Fistula quî huc ad Veneris fanum profiluisti?
Quid à pastoris labiis hîc præsto es?
Non hic colles amplius, neque valles; At cuncta amores,
Et desiderium. Hæc verò rustica Musa in monte pascitur.

Notari certè meretur, quod apud Claudianum *de Cithara* dicitur: Notari, quòd *nimium Parentis Æmulus* Hymenæus vocatur. Parens enim secundum quosdam fuit Apollo, cujus Cithara familiare instrumentum fuit. Secundum quosdam & Clio, quæ & ipsa, in Nummo Pomponiæ Gentis, Citharam præfert. Appositè utrumque; Neque enim Citharas Hymenæo jam sordere, vel mirari, vel in eo reprehendere potuisset Venus, nisi solitum hoc ejus fuisset, Venerique gratissimum instrumentum. Sed ne unicô hôc argumentô, me Hymenæum determinare arbitreris, audi quid præcipuè moverit. Ante currum eum cernimus, non aliam ob causam, quàm quòd Veneris, rerumque Venerearum Dux esset, Talem enim Hymenæum Catullus vocat:

— — *Huc aditum ferat*
DUX BONÆ VENERIS;

Claudianus ducem Thalamis à Venere ipsâ præfectum meminit:

Hunc Musâ genitum legit Cytherea, DUCEMque
Præfecit Thalamis.

Dux Veneris & Thalamorum, quidni in principio Triumphi agnoscatur? præsertim cùm & forma accedat, ad quam ejusdem Claudiani testimonium se sistit.

Dulce micant oculi, niveas infecerat igni
Solque pudorque genas, dubiam lanuginis umbram
Cæsaries intonsa tegit.

Cæsaries ad oculum patet, ad oculum patent & niveæ, non genæ tantùm, sed & integrum corpus. Et ut totius Triumphi Ducem & Inspectorem agnoscas, respicit, tanquam sequentes observans, an justo ordine procedant, muniaque sua diligenter exequantur. Claudianus denuò ad rem:

— — *Nullum vinxisse cubile*
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.

Capio rationes Tuas, amantissime DULODORE, respondit ARCHÆOPHILUS, & jam Hymenæum Tecum agnoscere nullus dubito, id tamen peto, ut de ortu ejus, antequam ad alia progrediamur, pauca adhuc digneris addere.

Ortum, inquit DULODORUS, Varii variè tradiderunt. Catullus Uraniæ genus appellat. Proclus apud Photium Terpsichores filium censet. Asclepiades ex Calliope & Apolline natum asserit. Martianus Bacchi & Camœnæ. Alii Cliûs, Alii Veneris filium faciunt. Tantas componere lites meum non est. Musicæ tamen studium in plerisque elucere, omninò est dicendum, id quod Servio teste, & Cornelius Balbus firmat, licet de Parente à reliquis & ipse diversus: *Hymenæum* ait, *Magnetis filium, Musicæ Artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi Patris & Alteæ religiosis cantibus celebrat, exspirasse, propter quod Vitalis honor nuptiis attributus, ut celebratio nominis ejus nuptiarum jungendarum perpetuum nomen esset.* Alii, qui Veneris & Liberi filium arbitrantur, primum Nuptiis prosperè usum: Alii Nuptiarum inventorem tradiderunt. Alii fabulam de Hymenæo Attico adferunt, adeò pulchro, ut adolescens puella crederetur. Omnia videri possunt apud laudatum Servium. Ne in his prolixior sim, Te ipso monente, ad alia transeundum arbitror. Duas puellas, quas cum Facibus cernis, ex earum numero forsitan arbitraberis, quas Claudianus *Idaliæ Famulas*, & *Idaliæ Sorores* vocat, variis Deæ ministeriis deputatas:

Largos

— — *Largos hæc Nectaris imbres*
Irrigat, hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multiſidum diſcrimen arat, ſed Tertia retrò
Dat varios nexus, &c.

Philoſtratus Puellas circa Venerem canere teſtatur, iisque & Stolam & Zonam & Tunicam, imò in genere Veſtes, mirum in modum expreſſas, tribuit, planè qualiter hæ Puellæ in Gemma incedunt. Claudianus non tantùm in genere *famulas* nominat, ſed etiam in ſpecie de *Gratia* & *Concordia* docet, ad quas & Hymenæum Venus ipſa:

Tu feſtas, Hymenæe, faces: Tu GRATIA flores
Elige: Tu geminas CONCORDIA nectle coronas.

Gratias Veneris comites facit Seneca Benef. 3. Homerus, Eas Venerem lavare, & oleo immortali ungere, canit. Horatius Gratias & Nymphas conjungit, aitq; cum Venere ſaltare.

Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Lunâ,
Junctæque Nymphis GRATIÆ decentes,
Alterno terram quatiunt pede.

Addere poſſes & Nereides, interlocutus eſt ARCHÆOPHILVS, cùm & his ſtipatam Venerem in æde Neptuni apud Iſthmum Pauſanias memoret, ſed quid hoc ad rem? In propoſita Gemma Gratiarum, utpote quæ nudæ erant & connexæ, ratio nulla eſſe poteſt: Et quomodo erit vel Concordiæ vel Nympharum, antequam demonſtres, Faces Eas Veneri prætuliſſe? Faces in nuptiis, vel à Pueris, vel à Servis geſtabantur, teſtantibus, Catullo Epithal.

— — *Tollite Pueri Faces.*

Et Heſiod in Scuto Herculis:

— — Πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει,
Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας ἐιλύφαζε
Χερσὶν ἐνὶ δμώων.

— — *Multus Hymenæus excitabatur,*
Et procul ab ardentibus facibus fulgor reſplendebat
In manibus FAMULORUM.

Ita & in Triumpho Veneris, vel ipſi Hymenæo hoc videtur convenire, de quo ſuprà, vel ſaltem Cupidinibus, quos & ipſos faces geſtare ſolitos, jam dudum conſtat.

Hæc Ego non negavero, reſpondit DULODORUS, quanquam ab opinione mea me nondum dimoveant, neque enim Heſiodi locus ambiguitate caret cum etiam de ancillis intelligi poſſit, voce δμώων & has ſignificante, neque quod de Gratiis moves, perpetuum fuit. Quomodo obſecro apud Homerum in Hymno, Venus & ſola & veſtita Anchiſæ aliqua Gratiarum videri potuiſſet, ſi Gratiæ nunquam vel veſtitæ vel ſingulæ apparuiſſent? quomodo Venus uni, ut flores eligeret, apud Claudianum potuiſſet injungere, ſi non, niſi ſororibus nexa fuiſſet? Quid? an jam oblitus es, quid ſuprà ad Gratias docuerim? Antiquiſſimis ſc. temporibus non nudas, ſed veſtitas fuiſſe? non tres ſed duas quibusdam memorari? Eôdem modô nec pueri ſemper faces in Nuptiis prætulêre, ſed & fœminæ. Theodoſius ap. Claudianum cum Stiliconem liberis ſuis Tutorem conſtitueret:

Pertædas, quas ipſa Tuo Regina levavit
Conjugio,

inquit: Et apertius interpres Apollonii Rhodii ad Lib. IV. Arg. v. 808. ubi Juno:

Αὐτὴ δὲ σέλας χείρεσσιν ἀνέσχον
Νυμφίδιον.
Me quoque non piguit flammas præferre jugales.

Addit: Ὅτι τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμοῦντων ἐν τοῖς γάμοις δαδουχεῖν ἔθος ἦν. καὶ Ευριπίδης ἐν Φοινίσσαις Φησίν, Ἐγὼ δὲ οὔτέ σοι πυρὸς ἀνήψα Φῶς νόμιμον, Ἐν γάμοις, ὡς πρέπει μητρὶ μακαρίᾳ. Ἥρα οὖν Φησὶ δαθουχῆσαι τῇ θέτιδι, διὰ τὴν πρὸς αὐτὴν ἔυνοιαν μητρὸς ἔργον ἐπιτελοῦσα. *Olim matres nubentium in nuptiis solebant faces præferre, & Euripides in Phœnissis dicit (ubi Jocaste Polynicen filium, qui jam uxorem, ipsâ insciâ duxerat, alloquitur) non ego Tibi ignu legitimum in nuptiis lumen incendi, ut decet matrem beatam. Juno ergò dicit, faces prætulisse Thetidi, ut opus perficeret matris ad benevolentiam erga ipsum.* Quid videtur ARCHÆOPHILE, jamne soli sexui virili hoc officium relinques? An incongruum erit, vel Nymphas, vel alias Veneris ministras faces in ejus Triumpho ferre? Atqui nec ipsam Venerem hoc facere puduit, apud Propertium Lib. IV. El. 3.

Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa Facem.

Hoc si Venus, an in Concordia & Gratia id mirum?

Minimè verò, respondit ARCHÆOPHILUS, his potiùs cum gratia agnitis, ad Venerem regredior. Telum, nisi fallor, sibi ipsi intentat, uti Cupido Leonibus. Quid? an Venus telô insignis? an Cupido sine alis, & Veneris Auriga? Mihi hæc & ipsa à receptis Poëtarum opinionibus diversa videntur. Annon Cupido ubique alatus? Annon Venus ubique vel Pomo vel Speculo, aliisve ejusmodi cum insignibus radiat? Et quod rei caput est, annon vel Passeribus, vel Cygnis, vel Columbis vehitur? Annon à Leonibus eam abstinere, Ovidius canit:

— — *Fortibus abstinet apris,*
Raptoresque lupos, armatosque ungvibus Ursos
Vitat, & armenti saturatos cæde LEONES.

De Venere & Cupidine, retorsit DULODORUS, facilè satisfecero. Sagittas Veneri tribuit Moschus Id. II. ℣. 75.

— Ἀνωΐστοισιν ὑποδμηθεὶς βελέεσσι
Κύπριδος.
— *Inopinatis domitus SAGITTIS*
VENERIS.

Et Lucretius Lib. IV. ℣. 1046.

Sic igitur VENERIS qui TELIS accipit ictum.

Theocritus eam *ferire*, author est Idyll. 29. Et apud Silium Italicum Lib. VII. Tela sua se Cupidinibus dedisse gloriatur ipsa:

— — *Omnia parvis*
Si MEA TELA dedi, blando medicata veneno.

Ex quibus utique constat, Tela Veneri fuisse, nec audiendam, nisi de bellis, apud Coluthum, ubi οὐ βέλος ἕλκω *telum non exerceo*, ad Paridem, inquit; Eadem enim paulò ante de telo amoris:

Κέντρον ἄγω καὶ τόξον ἀείρω.
Stimulum ago & arcum tollo.

De Cupidine alis carente in memoriam venit Virgilius lib. I. Æn. sub finem, ubi Cupido in Ascanii formam transiens:

— — — *Alas*
Exuit — —

Quid

Quid ſi idem fecerit Veneris Auriga futurus? Currum Veneris Cupidinem agitaſſe, licet oloribus junctam, ex allegato Silio conſtat:

Tum matris currus niveos agitabat olores,
Tempora ſollicitus litis ſervâſſe Cupido.

Quid ſi ad quorundam opinionem alis caruerit? Elegantes eam in rem ſunt Eubuli verſus apud Athenæum, elegans eſt Alexidis in Abſciſſo:

— — Λέγεται γὰρ λόγος
Ὑπὸ τῶν σοφιστῶν μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν
Τὸν Ἔρωτα.
— — *Creber ſermo eſt*
Apud Sophiſtas, NON VOLARE DEUM
AMOREM.

Ariſtophon in Pythagoriſte apud eundem & rationem addit, cur eas amiſerit, & quâ occaſione:

Εἶτ' οὐ δικαίως ἐστ' ἀπεψηφισμένος
Ὑπὸ τῶν θεῶν τῶν δώδεκ' εἰκότως ἔρως,
Ἐτάραττε κἀκείνους γὰρ ἐμβάλλων στάσεις,
Ὅτ' ἦν μετ' αὐτῶν, ὡς δὲ λίαν ἦν θρασὺς
Καὶ σοβαρὸς ἀποκόψαντες αὐτοῦ τὰ πτερὰ
Ἵνα μὴ πέτηται πρὸς τὸν οὐρανὸν πάλιν,
Δεῦρ' αὐτὸν ἐφυγάδευσαν, ὡς ἡμᾶς κάτω,
Τὰς δὲ πτέρυγας ἃς εἶχε τῇ νίκῃ φορεῖν
Ἔδοσαν περιφανὲς σκῦλον ἀπὸ τῶν πολεμίων.
Tum etiam juſto decreto eſt ejectus
A Diis ex concilio duodecim Amor ſuô meritô;
Illos enim conturbabat, excitabatque ſeditiones,
Si quando unà cum illis eſſet, quæpropter nimis audaci
Ac petulanti ac ſuperbo alas præciderunt,
Ne in cœlum iterum volare poſſet:
Et damnatum exilio huc ad nos depulerunt,
Ablatas verò pennas geſtandas Victoriæ
Dederunt, præclara hoſtis ſpolia.

Sed de Leonibus præcipua ſubit difficultas; Neque enim, ſi corticem fabularum reſpicias, vel unicum teſtimonium attuleris, quô Leones Veneris currum ſubiiſſe adſtruas. Equidem apud Nonnum, Venere pariente, inter alia animalia, Leo ſaltâſſe, labroque manſueto dorſum Tauri oſculatus memoratur; Sed quid hoc ad propoſitum? Leonis calorem, & in Venerem propenſionem, in medium adducere conabar, de quibus Geſnerus luculenter, præſertim cùm eadem ratio & Paſſeres & Columbas currui Veneris adjunxerit. Firmabant opinionem Leones & currui Cupidinis admoti, de quibus infrà. Inde ſanè de Venere, probabili ratione mihi videbar concludere. Si tamen minus Tibi ratio placet, en aliam, quam aperuit Per-Illuſtris SPANHEMIUS, cui tantò lubentiùs aſſuraimus, quantò majore meritò venerationem ſui Vir Excellentiſſimus & Orbi Literato & Æternitati intulit. Leones Is Veneris currui ideò junctos arbitratur, quòd Venus Syris Phœnicibusque eadem fuiſſet cum Dea Syria, Dea autem Syria eadem cum Cybele ſive Matre Deorum, cujus currum Leones absque dubio ſubibant. Deam Syriam cum Rhea ſive Matre Deorum eandem eſſe, ex Luciano adſtruxeris: Σημεῖα δὲ ἡ θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ῥέην ἀπικέεται. λέοντες γὰρ μιν φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, &c. *Multa ſigna adſunt Deæ, quæ Rheam videri faciunt. Nam & Leones ipſam ferunt, & tympanum habet, &c.* Eandem Deam Syriam

Syriam esse Venerem, Plutarchus Author est, in Vita Crassi. Οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχαὶς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ Φύσιν νομίζουσι. Veneris sanè habitu Dea Syria nuda in nummis Βεριτίων occurrit apud Cl. Vaillant. Aliis Astarte vocatur, & apud Lucianum Cestum, Veneris insigne, præfert. Cicero: *Quarta*, inquit, *Venus Tyria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur.* Et Suidas: *Astarte, quæ apud Græcos Venus dicitur.* Pausanias cum triplicem Venerem, Cœlestem, Popularem, & Apostrophiam memorâsset, *Cœlestem*, ait, *omnium primos Assyrios coluisse, ab his Paphios in Cypro acceptum sacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Palæstina Ascalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cytheriis communicasse.* Ex quibus facilè tibi imagineris, Venerem nostram ad antiquissimi apud Assyrios Veneris cultum esse elaboratam, idque apertissimo Ptolemæi testimonio lib. II. Tetrabibli. Οἱ περὶ τὰς χώρας ταύτας, σέβουσι μὲν ὡς ἐπὶ πᾶν τὴν Ἀφροδίτην ὡς μητέρα θεῶν, ποικίλοις καὶ ἐγχωρίοις ὀνόμασι προσαγορεύοντες. *Qui eas incolunt regiones, plerumque Venerem ut Matrem Deûm venerantur, & variis, patriisque nominibus indigitant.* Non defuit cultûs ratio. Veneris appellatione superius terræ hemisphærium intelligebant, teste Macrobio: Et terram sub Matre Deorum latere, nemo ambigit, adeò ut quæ Lucretius ad Leones Matris Deûm cecinit, etiam ad Venerem adferre nobis liceat:

Hanc veteres Grajûm docti cecinêre Poëtæ
Sedibus in curru bijuges agitare leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes,
Tellurem, nec posse in terra sistere terram.

Sed Venerem vidimus, Cœlestem illam, cui Hymenæus præcinere, Concordia & Gratia prælucere, Leones capita submittere, Numen universi adspirare & universi domitor coronam ferre solet. En aliam planè, si non habitu, tamen fortuna à Cœlesti dissidentem!

VENUS
ΠΑΝΔΗΜΟΣ seu POPULARIS



in Cameo.

Ea est, non Leonibus vecta, sed ab Hirco tracta: Non duobus, sed uno. Non telum præferens, sed facem ostentans. Non deest Cupido. Et Hirco insidet, & Cornu inflat. Hirco insidet, qualiter in Familia Fonteja, qualiter & Pueri, in Anthol. L. I. c. 33. Ep. 28. quem locum Per-Illust. SPANHEMIUS suggessit:

Ηνία δή τοι παῖδες ἐνὶ Τράγε φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἵππια τερπομένους.

Habenas

Habenas Tibi pueri, Hirce, purpureas
Imponentes, & birſutum capiſtrum in os,
Equeſtria ludunt Dei apud Templum certamina,
Ut ipſos portes blandè exhilaratos.

In noſtra Gemma non tantùm puer eſt, ſed puerorum princeps Cupido, Isque non habenas moderatur, ſed, ut dictum, cornu inflat. Digna Populari Venere muſica! dignus triumphus!

Venerem ego, excepit ARCHIÆOPHILUS, non niſi unam hactenus credidi, Tu autem duas ſtatuis, Cœleſtem & Popularem: Quis autem aſſerti author? Et unde Vulgaris Tibi notitia exſurgit? Pauſanias, reſpondit DULODORUS, ad utrumque ſe ſiſtit. Ita ille in Eliac. Poſt: Ἔστι δὲ Ἀφροδίτης ναὸς, καὶ τὴν μὲν ἐν τῷ ναῷ καλοῦσιν οὐρανίαν, ἐλέφαντος δὲ ἐστὶ καὶ χρυσοῦ, τέχνη Φειδίου. τῷ δὲ ἑτέρῳ ποδὶ ἐπὶ χελώνης βέβηκε. Τῆς δὲ περιέχεται μὲν τὸ τέμενος ὑριγκῷ, κρηπὶς δὲ ἐντὸς τοῦ τεμένους πεποίηται καὶ ἐπὶ τῇ κρηπίδι ἄγαλμα ἀφροδίτης χαλκοῦν, ἐπὶ τράγῳ κάθηται χαλκῷ. Σκόπα τοῦτο ἔργον. Ἀφροδίτην δὲ πάνδημον ὀνομάζουσι. *Eſt,* inquit, *Veneris ædes. Quæ ibi colitur*, οὐρανίαν *COELESTEM Venerem vocant. Ejus ex ebore & auro ſignum eſt, Phidiæ opus, altero quidem pede teſtudinem premit. Ara ipſa Maceriâ eſt circumſepta: Intra Maceriam Crepido ſuper quâ Veneris, quam* πάνδημον *POPULAREM nominant, ſignum ex ære. CAPRO INSIDET ex eâdem fabricato materiâ, Scopæ opus.* Hæc Pauſanias, qui & alibi Tres Veneres ſtatuit, *Cœleſtem, Popularem* & *Apoſtrophiam*, additque cognomina impoſuiſſe Harmoniam: *Uraniæ*, purum ſignificans, & corporum cupiditate vacantem amorem: *Popularis*, ob Venereos congreſſus: *Apoſtrophiæ*, quò ab exlege cupiditate & inceſtis ſtupris hominum genus averteret. Vides ARCHIÆOPHILE, non fruſtrà me Veneres diſtinxiſſe, non fruſtrà Popularem in Gemma agnoſcere. Caper enim, cui ea inſiſtere dicitur, hîc ab ejus curru religatus cernitur, animal tantæ libidinis, ut etiam mulieres cum eo coiviſſe, imò & ipſum præterea pro Deo cultum, uti jam ſuprà notavimus, Herodoto memoretur.

De Hirci natura, inquit ARCHÆOPHILUS, nemo inficias ibit, at de Venere πανδήμῳ permitte pauliſper adhuc dubitem. Apud Phurnutum lego, Venerem *Uraniam*, *Pandemon*, & *Pontiam* dictam eſſe, quòd in Cœlo, Terrâ, & Mari vim habere exiſtimaretur. Et Apollodorus Venerem Πάνδημον Athenis, ait, vocatam, quòd ad forum antiquum poſita eſſet, in quo ſoleret Πᾶν δῆμος *omnis Populus* ad conciones convenire. Nonne hæc Etymologia convenientior? Eòdem res cadit, inquit DULODORUS; Sive enim ab omni populo Athenienſi, ſive ab omni populo terreſtri nomen deducas, ubique tamen ex Numinis poteſtate Venereos congreſſus intelliges. Adeò his dediti ſunt mortales, ut omnes ſatyrion bibiſſe credas, præſertim ubi ver appropinquaverit, tunc enim teſte Oppiano Κυνηγετ. A. ℣. 388. ſeqq.

Καὶ κάπροι πυρόεντες ἐοπχμάζουσι σύεσσι,
Καὶ χίμαροι λασίοισιν ἐφιππεύουσι χιμαίραις,
Καὶ δ' αὐτοῖς, μερόπεσσιν ἐν ἔαρι μᾶλλον ἔρωτες,
Ἔαρι γὰρ ΠΑΝΔΗΜΟΣ ἐπιβρίθει ΚΥΘΕΡΕΙΑ.

Et apri ignei incumbunt ſuibus,
Et Hirci birſuti inequitant Capris;
Quin etiam ipſis hominibus vere magis fervent amores,
Vere namque PUBLICA *ingruit* VENUS.

Publica? inſit ARCHÆOPHILUS; Atqui ſuprà *Popularem* appellâſti? Utrum nomen præferas, reſpondit DULODORUS, perinde eſt, imò poteris etiam cum Lucretio *Vulgivagam*, & cum Apulejo I. Apolog. *Vulgarium* vocare, ſimulque Tibi in mentem revocare Nicandrum in tertio Colophoniacῶν apud Athenæum, ubi Solonem primum, ait, Παυδήμου Ἀφροδίτης Ἱερὸν, *Veneris vulgaris templum* conſtituiſſe ex pecunia proſtitutarum.

Egregium, inquit ARCHÆOPHILUS, procul dubio fuerit Deæ ſacrificium! Tale fuit, reſpondit DULODORVS, quale merebatur, cui Caper gratus, ei Capra oblata eſt. Lucianus ſe teſtem ſiſtit. In Dialogis meretricis ex ore matris ad Muſarium filiam, *ſi amatorem*, inquit, *invenerimus, qualis Chærea fuit, Veneri* Παυδήμῳ *immolandum cenſeo* λευκὴν μηκάδα *candidum capram.* Sed hæc deliciis ſuis fruatur. Sequentibus in Gemmis

VENUS ΕΠΙΠΟΝΤΙΑ ſive MARINA

in Cancro

Se nobis offert, non qualis ex mari egrediens ab Auguſto in delubro divi Patris dedicata eſt, Græcè Ἀναδυομένη dicta, uti Plinius memorat; Sed Delphino illic inſidens, hîc inſiſtens: illic divaricatis pedibus, qualiter alibi Cupido ſolet, hic erecto corpore, qualiter & Palæmon puer, apud Pauſaniam, in Corinthiacis. Delphines Veneri ſacros eſſe, manifeſtum eſt ex Statuis & Signis Deæ, quibus non rarò delphinus affictus cernitur; Manifeſtum eſt ex Gellio, cui delphines *Venerei* audiunt. Non caret Conſecratio ratione; quid enim Venus arrogantiùs vel equitare, vel calcare poterit, ut in maris incolas vim ſuam ſignificet extendi? quàm aquatilium principem, de cujus genere Oppianus, Ἁλιευτικῶν. B. ℣. 539. ſeqq.

Ὅσσον γὰρ κούφοισι μετ' ὀιωνῖσιν ἄνακτες
Ἀιετοὶ, ἢ θήρεσσι μετ' ὠμηστῆσι λέοντες,
Ὅσσον ἀριστεύουσιν ἐν ἑρπυστῆρσι δράκοντες,
Τόσσον καὶ Δελφῖνες ἐν ἰχθύσιν ἡγεμονῆες.

Quantum leves inter aves reges
Aquilæ, aut feras inter crudiferas Leones,
Quantum excellunt in reptilibus Dracones:
Tantum etiam Delphini inter piſces ſunt principes.

Non diſplicet ratio, inquit ARCHÆOPHILUS, modo grave non ſit, de maritimo Veneris & ortu & dominatu quædam addere, fateor enim me rem, licet vulgò notam, nondum penitùs imbibiſſe. Dubium movet Germanicus Cæſar,

ſar, qui ad Aratum, Venerem ex ovo, cœlitùs in Euphratem delapſo, memorat prognatam. Id quorundam opinio fuiſſe poterit, reſpondit DULODORVS, communior autem, eſt de ortu marino; De eo enim, præter Orpheum, cui πουτογενὴς Venus dicitur, docet egregius Heſiodi locus Theogon. ℣. 190. ſequentibus, ubi cum à Saturno Cœlum exſciſſum, teſticulosque in mare projectos memorâſſet, ſubjecit:

Ὡς φέρετ' ἀμπέλαγος πουλὺν χρόνον, ἀμφὶ δὲ λευκὸς
Ἀφρὸς ἀπ' ἀθανάτου χροὸς ὤρνυτο. τῷ δ' ἐνὶ κούρη
Ἐθρέφθη. πρῶτον δὲ κυθήροισι ζαθέοισιν
Ἔπλετο, ἔνθεν ἔπειτα περίῤῥυτον ἵκετο κύπρον
Ἐκ δ' ἔβη αἰδοίη καλὴ Θεός.

Sic ferebatur per pelagus longo tempore, circumcirca verò alba
Spuma ab immortali corpore oriebatur: in ea puella
Inutrita eſt: Primùm verò ad Cytheras divinas
Vehebatur. Inde tum circumfluam pervenit ad Cyprum.
Prodiit verò veneranda formoſa Dea.

Hæc de ortu inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS; Quis autem de Dominatu? Leander apud Muſæum, reſpondit DULODORUS; Cujus verbis, quid obſtat, quò minus & Te alloquar?

Ἀγνώσσεις ὅτι κύπρις ἀπόσπορος ἐστὶ θαλάσσης
Καὶ κρατέει πόντοιο?

Ignoras, quod Venus nata eſt è mari
Et dominatur ponto?

De Tritone, inquit ARCHÆOPHILUS, adhuc dubium eſt an id monſtrum à Veneris famulitio fuerit? An purum figmentum Tritones ſint, an verò re ipsâ tales inveniantur? A famulitio Veneris fuiſſe, reſpondit DULODORUS, infrà docebimur. An purum figmentum fuerint, an non, anceps diſquiſitio eſt. Si Plinium audias, poſterius credideris; Is enim Lib. IX. c. 5. *Tiberio Principi*, inquit, *nunciavit Olyſipponenſium Legatio, ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu conchâ canentem Tritonem, quâ noſcitur formâ.* En publicum teſtimonium, cui quis contradicat? Concha canentem facit, qualiter in altera Gemmâ viſitur, qualiter & Virgilio memoratur, cui eam ob cauſam *Canorus* audit.

De Venere, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nondum acquieſco. Rationem ortûs doceri cupiam, incongruum enim videtur, Mari natam, quæ Hominibus potiſſimùm imperat. Phurnutus ſatisfaciet, reſpondit DULODORUS. *Conſentaneum*, inquit, *eſt, Venerem nullam aliam ob cauſam è Mari natam perhiberi, quàm quòd ad omnium Generationis cauſam motu & humiditate opuſſit, quæ utraque in Mari abundant.* Sed quid diutiùs in Mari moramur? quin potius ſequentes Gemmas inſpiciamus, in quibus

VENUS ET CUPIDO



Viſuntur, in alterâ quidem ſe invicem amplexantes, in alterâ autem, illa cum telo, hic autem (liceat Ovidii verſum propoſito accommodare.)

Ante Deam matrem cornu tibicen adunco.

Ad primam Gemmam, inquit ARCHÆOPHILUS, in mentem mihi venit Cupido, ſub habitu Aſcanii Didonem decipiens, de hoc enim Virgilius Lib. I. Æ.

Ille ubi complexu Æneæ, colloque pependit,
Et magnum falſi implevit Genitoris amorem,
Reginam petit: hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet, inſcia Dido,
Inſideat quantus miſeræ Deus!

Admitterem placitum, reſpondit DULODORUS, ſi alæ deeſſent, illas enim Cupidinem, cùm Aſcanium ſimularet, exuiſſe, jam ſuprà monui. De Venere Cupidinem amplexante, imò & oſculante ſuccurrit Nonnus L. XXXIII. ℣. 143. ſeqq.

Μέσον ἀγκὰς ἑλοῦσα γαληνιόωντι προσώπῳ
Πεπταμένῳ πήχυνε, γεγηθότι κοῦρον ἀγαστῷ,
Γούνασι κουφίζουσα φίλον βάρος. ἑζομένου δὲ
Καὶ στόμα παιδὸς ἔκυσε, καὶ ὄμματα.
Medium in ulnas trahens ſerenâ fronte
Volantem amplexa fuit gaudenti puerum manu,
Genibus elevans ſuave onus, ſedentis verò
Et os pueri oſculata eſt & oculos.

Quid concinniùs ad Gemmam dici poteſt?

Nihil, inquit ARCHÆOPHILUS, & ſi de Cupidine, cornu inflante, ſimiliter doceas, habebo quod mihi gratuler. Ut poſſim, reſpondit DULODORUS, non abs re dubites, neque enim niſi his in Cimeliis, Cupidinem cornu ſonorum, vel vidiſſe memini vel legiſſe, quanquam res præter Antiquitatis genium non ſit. Conſtat enim, Cupidinem non ſemper telis & facibus, ſed & muſicis inſtrumentis conſpicuum fuiſſe: Exemplum eſſe poteſt & in ſequentium priore

CUPIDO MUSARUM,



in Cameo

Eſſe poteſt ille, quem, Pauſaniâ teſte, Pauſias fecit. Verba addo ex Corinthiacis: Παυσίου γράψαντος βέλη μὲν καὶ τόξον ἀφειπὼς ἔρως, λύραν δὲ ἀντ' ἀντῶν ἁρμένος φέρει.

Φέρει. *Pausia*, inquit, *pingente, Cupido abjectis arcu & sagittis Lyram tenet.* Si Lyram tenuit Cupido, quid mirum si hic fistulam, & supra cornu? Idem scil. de Cupidine forsan dixeris, quod suprà de Hymenæo, quem & ipsum fistulam inflâsse ex Claudiano docui: Scilicet Lyram aut Citharam ad amores urbicos, Fistulam autem & Cornu ad pastoritios pertinere.

An quod hæc instrumenta Nuptiis adhiberent? inquit ARCHÆOPHILUS. Fortassis, respondit DULODORUS, neque enim alia ratio succurrit. Quanquam quid prohibet & ad Musas respicere, quarum & sanctitatem & pietatem Ara demonstrat, quæ utrâque in Gemmâ visitur.

Ad Musas? excepit ARCHÆOPHILUS; Atqui in Musas Cupidini nullum imperium esse, Venus apud Lucianum in Dialogis Deorum ait. Locus pro me facit, inquit DULODORUS; ipse enim Cupido respondet: Αἰδοῦμαι αὐτὰς, σεμναὶ γάρ εἰσι, καὶ ἀεί τι Φροντίζουσι, καὶ περὶ ᾠδὴν ἔχουσι, καὶ ἐγὼ περίσταμαι πολλάκις αὐταῖς, κηλούμενος ὑπὸ τοῦ μέλους. *Has revereor*, inquit, *sunt enim vultu pudico ac reverendo. Præterea semper aliquo tenentur studio, semper cantionibus animum intentum gerunt, quin ipse etiam non rarò illis assisto, carminis suavitate delinitus.* Addere hìc possem Ludos, Cupidinis honori apud Thespienses celebratos, in quibus, Pausania teste, non tantùm Athletis, sed etiam Musicis, præmia posita sunt. Addere possem illud Euripidis: Μουσικὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει καὶ ἀν ἄμουσος ἦ τὸ πρὶν. *Musicam docet amor, quamlibet ejus rudem prius.* Id quod Plutarchus allegat Sympos. I. & in Amator. explicatione ex amantium genio desumtâ, quòd omnia sua vel tristia vel jucunda carminibus complecti soleant, unde nec absurdè Antiqui, & ex Helicone Amorem in Gymnasium adductum, sint fabulati.

De Ara mihi incertum est, inquit ARCHÆOPHILUS, an amoris ea sit, an Musarum? Mihi pro Musis sentire placet, respondit DULODORUS, idque ideò, quòd verisimile sit, Cupidinem non sibi, sed Musis carmen modulari, non sibi sed Musis victimam mulcere. Aræ Musarum meminit Pausanias, & donum Musarum agnam fuisse, qualis in Gemmâ secunda visitur, ex Theocrito constat:

Αἰκα ταὶ Μῶσαι τᾶν ὀΐδα δῶρον ἄγωνται
Ἄρνα τὺ σαφίταν λαθῇ γέρας. αἰ δὲ καρέσκῃ
Τήναις ἄρνα λαφεῖν, τὺ δὲ τὰν ὄιν ὕστερον ἄξεις.

Si Musæ agniculam domo abduxerint,
Agnum tu pinguem accipies donum: sin placeat
Illis agnum accipere; Tu autem Ovem posterius abduxeris.

Palma adhuc restat, inquit ARCHÆOPHILUS, Musis enim Laurus convenientior videtur, quod id arborum genus in Helicone frequentissimum fuerit. Helicon, inquit DULODORUS, in Bœotia fuit, & Palmarum Bœoticarum meminit Pausanias. Sed eò recurrere necesse non est: Ad Amorem fulvæ tectum velamine palmæ, non absurdè forsan protulero Amoris Magistrum, qui cùm leges amandi præscripsisset, laboris præmium Palmam expectabat:

Dicite, Jo pæan! & jò bis dicite pæan!
Decidit in casses præda petita meos.
Lætus amans donet viridi mea carmina PALMA!

Sed ad Aram revertitur contemplatio,

ΕΡΩΣ, ΙΜΕΡΩΣ καὶ ΠΟΘΟΣ
AMOR, APPETITUS & DESIDERIUM,

Eam circumstant, de ignibus certantes, non nudo, sed coronato, impositis lapidi. Ad Amores hæc pertinere, & Ætas, & apparens à tergo Ala evincunt: Evincunt Ignes super ara flammantes: Evincit Corona, quæ procul dubio myrtea est.

Duos hactenus Cupidines credidi, inquit ARCHÆOPHILUS, Ἵμερος καὶ Ἀντέρωτα, de quibus & suprà Te docere memini. De Terno mihi adhuc obscurum est, non minus ac de distinctis, quæ adfers, eorum nominibus. De Terno amore, respondit DULODORUS, Meleager queritur in Anthologia. Lib. I. c. 27. pr.

Τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι ὧραι,
ΤΡΕΙΣ δέ με θηλυμανεῖς διστροβολοῦσι ΠΟΘΟΙ.

Sunt Charites Ternæ, tres pulchræ horæque puellæ
Et DESIDERIUM me petit inde TRIPLEX.

De Nominibus est Pausaniæ testimonium: Σκόπα δὲ ΕΡΩΣ, καὶ ΙΜΕΡΩΣ καὶ ΠΟΘΟΣ, ἰδέᾳ διάφορα ἐστι κατὰ ταυτὰ τοῖς ὀνόμασι καὶ τὰ ἔργα σφίσι. *Scopæ*, inquit, *sunt AMOR, APPETITUS & DESIDERIUM, tàm diverso inter se habitu ac facie, quàm diversa sunt nomina ex ipsis Numinum potestatibus indita.*

At quæ differentia? inquit ARCHÆOPHILUS. In gradibus videtur consistere, respondit DULODORUS, id quod vel ex ipsâ nominum Etymologia adstruxeris. Ἔρως simplicem amorem denotat, quâ rem amamus, nondum autem ad eam potiundam trahimur. Ἵμερως non simplicem amorem, sed eum significat, quô rem amatam, licet non actu, tamen votis expetimus; Descendit enim ab ἱμείρω, quod ex Ἵεμαι *cupio* & ἐράω *amo* componitur. Πόθος ultimus videtur esse amoris gradus, utpote qui non tantùm amorem simplicem, non tantùm amorem rem amatam votis appetentem, sed eum significet, qui ipsô actu desiderat, & desiderando persuadet. Id vel inde colligas, quòd πόθος à πέποιθα deducatur, quod est à πείθω *persuadeo.*

Non ampliùs resisto, inquit ARCHÆOPHILUS, imò potiùs secundum trinam hanc distinctionem, Ἔρωτα eum interpretor, qui solo capite & humeris visibilis est, is enim quietissimus videtur: Ἵμερον eum, qui alis & coronâ insignitur, hic enim, licet flammis manum admoveat, sibi tamen adhuc constare videtur; at tertius cùm valido nisu, utramque manum flammis admoveat, omninò Πόθον arbitrer. Non refragabor, inquit DULODORUS, ea enim procul dubio differentia est, quam & Scopas observavit. Quicquid sit, rarum est κειμήλιον, non minus ac in sequenti

CUPI-

CUPIDO CUM FVLMINE ET LEONIS PELLE.

QVid ais DULODORE? inſit ARCHÆOPHILUS. Annon fulmen Jovis, & Leonis Pellis, Herculis inſigne eſt? Eſt, ait Ille, ſed cùm & Hercules & Jupiter à Cupidine victi jam in ſuperioribus apparuerint, quid mirum, ſi inſignia eorum Cupidini ceſſerint? Elegans eſt Epigramma, quod ſuprà ſub amore bellico protuli: Elegans, quod huic loco reſervavi.

Συλήσαντες ὅλυμπον ἴδ' ὡς ὅπλοισιν ἔρωτες
Κοσμοῦντ' ἀθανάτων σκῦλα Φρυασσόμενοι.
Φοίβου τόξα Φέρουσι, Διὸς δὲ κεραυνὸν, Ἄρηος
Ὅπλον καὶ κυνέην, Ἡρακλέους ῥόπαλον,
Ἐναλίου τε θεοῦ τριβελὲς δόρυ, θύρσα τε Βάκχου,
Πτηνὰ πέδιλ' Ἑρμοῦ, λάμπαδα Ἀρτέμιδος.
Οὐκ ἄχθος θνητοῖς ἔικειν βελέεσσιν ἐρώτων
Δαίμονες οἷς ὅπλων κόσμον ἔδωκαν ἔχειν.

Exuviis ſuperûm læti decorantur amores,
Alta quibus cœli eſt jam ſpoliata domus.
Extorſêre Jovi FULMEN, Phœboque Sagittas,
Alcidæ Clavam, Marsque caret Galea.
Mercurio deſunt Talaria, Faxque Dianæ,
Sic Baccho Thyrſus, ſic Pelagoque Tridens.
Nec mirum eſt jaculis homines quoque cedere amorum,
Queis ſua vel Superi ſceptra dedere Dei.

De Herculis Clavâ loquitur Epigramma, inquit ARCHÆOPHILUS. De Leonis Pelle non loquitur. Quid tum? reſpondit DULODORUS, adeòne ea libertas Poëtis inſolita videtur? Et Clava & Leonis Pellis, utraque Herculis inſigne eſt, & ſive hanc, ſive illam in Amoris manibus intuearis, utrinque Herculem devictum intelligis.

Hæc non abs ratione, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam humani pectoris arrogantia in incerto relinquat, Dii ejusmodi ſub ſimulacris, an verò Homines adumbrentur? Argutè hæc, reſpondit DULODORUS, & ſi Plinium audias, etiam verè: *In Curia Octaviæ*, inquit, *quæritur de CUPIDINE FULMEN TENENTE. Id demum affirmatur, ALCIBIADEM eſſe, principem formâ in eâ ætate.* Sed hæc utcunque credantur, parvo equidem in diſcrimine pono. Leonis pellis ſequentium Gemmarum me admonet, in quibus

AMOR

AMOR LEONUM BIGIS vectus



CUrrui insidet, non minus ac Venus in Gemmâ suprà jam visâ. Commodè hîc succurrit Cupido Leone vectus, qui flagellum veluti tenere visitur in veteri simulacro, quod Liberalia exhibet, ac inter Admiranda Veteris Romæ à P. Bellorio vulgata prostat, id quod Per-Illust. SPANHEMIUS monuit: Succurrit Lucianus in Dialogis; Ibi enim, cum Mater Cupidinem â Leonibus Cybeles cavere juberet, subjicit ipse: Θάρρει μήτερ, ἐπεὶ καὶ τοῖς λέουσιν αὐτοῖς ἤδη ξυνήθης εἰμὶ, καὶ πολλάκις ἐπαναβὰς ἐπὶ τὰ νῶτα, καὶ τῆς κώμης λαβόμενος, ἡνιοχῶ αὐτούς. ὅτ δὲ σάινουσί με καὶ τὴν χεῖρα δεπόμενοι ἐς τὸ στόμα περιλιχμησάμενοι ἀποδιδόασι μοι. *Bono animo esto, Mater, siquidem Leonibus etiam ipsis jam familiaris sum factus, ità ut sæpè numero conscensis eorum tergis, prehensâque jubâ, Equitis ritu insidens illos agitem. At verò illi interim caudis mihi abblandiuntur, & manum ora insertam receptant lambuntque, deinde mihi reddunt innocuam.*

Hæc equidem, inquit ARCHÆOPHILUS, familiaritatem cum Leonibus indicant, Leonum autem aurigam, qualis in Gemmis visitur, non indicant. Quod deest, respondit DULODORUS, supplebit Epigramma Argentarii; Id enim, nisi quod pro Face Scuticam Amori tribuat, ad propositum optimè quadrat:

Ἀυγάζω τὸν ἄφυκτον ἐπὶ σφραγῖδος ἔρωτα
Χερσὶ λεοντείαν ἡνιοχοῦντα βίαν
Ὃς τὰ μὲν μάστιγα κατ' ἀυχένος, ἃ δὲ χαλινοὺς
Ἐυθύνει. Πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις
Φρίσσω τὸν βροτολοιγόν. ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάσδων
Ἄγριον, οὐδ' ὀλίγου φείσεται ἀμερίων.

Hoc est vertente Alciato:

Aspice ut invictus vires AURIGA LEONIS
Expressus GEMMA Pusio vincat AMOR.
Utque manu hac scuticam tenet, hac ut flectat habenas:
Utque est in pueri plurimus orbe decor.
Dira lues procul esto! feram qui vincere talem
Est potis, à nobis temperet ille manus?

Amantum Patronum hæc arguunt, subjecit ARCHÆOPHILUS; Si rem penitiùs trutines, fortassè quod suprà & Venus Leonibus vecta ad Cybelen sive Terram relata fuit, simile quid etiam ad Cupidinem statueris; Utrobique enim potentia videtur adumbrari, quâ per Orbem Terrarum dominantur & Venus & Cupido. Ne sic quidem à vero abieris, respondit DULODORUS, idque ideò, quòd qui Leonem, terrestrium animalium principem, sub jugum misit

miſit, rectè omnibus terreſtribus dominari credatur, uti quæ Principem Maris ſubegit, etiam copiis marinis imperare, jam ſupra viſa eſt. Qui ſequentibus in Gemmis noſtræ comtemplationi ſe ſiſtit,

CUPIDO DELPHINO INSIDENS



in Cameo.

Et ipſe hôc ſymbolô dominium Maris ſibi vindicat. Telum, quod elevat, & Neptunus, ejus ſatellitio addictus, non obſcura ſunt aſſerti fulcra.

Cupidinem Delphino inſidentem, excepit ARCHÆOPHILUS, in Nummis Lucretiorum ad Cæſaris originem memini referri, an tale quid etiam in Gemmis? Fortaſsè, reſpondit DULODORUS, quanquam juxta notandum videatur, non tantùm originem eô ſchemate, ſed omninò etiam Maris dominium adumbrari, quod Cæſar tantô conatu ſibi vindicavit, ut etiam tempeſtatibus ſe ſuperiorem crediderit. Nota ejus, cùm periclitaretur, ad Nautam vox eſt: *Cæſarem vehis, fortunamque Cæſaris!* Quid arrogantius dici potuit? Longè ſanè ſuperavit veſaniam Sexti Pompeji, licet hic ſe Neptunum ferret, Neptunus enim & ipſe hîc à Cupidinis ſervitio eſt.

An & Neptunum percuſſit? perrexit ARCHÆOPHILUS; Omninò, reſpondit DULODORUS, id enim ut faceret, eum hortatur Venus apud Nonnum Lib. XLI. in fine, his verſibus:

Θέλγε θεοὺς, καὶ μᾶλλον ἴσον βέλος ἓν ἑνὶ θεσμῷ
Πέμπε ΠΟΣΣΕΙΔΑΩΝΙ καὶ ἀμπελόεντι Λυαίῳ
Ἀμφοτέροις μακάρεσσιν.
Oblecta Deos, & magis æquale telum in una lege
Mitte NEPTUNO & Viteo Baccho
Utrisque Diis,

Non degener, nec inobediens fuit Cupido; Ita enim in ſequenti Lib. XLII. ℣. 10. & ſeqq.

Θοῦρος ἔρως πεφορημένος ὀξέι ῥοίζῳ
Παλλομένων πτερύγων ἀνεμωδέα βόμβον ἰάλλων
Ηερόθεν ῥοίζησε, καὶ Ἀσσυρίῃ παρὰ πέτρῃ
Εμπυρα δισσὰ βέλεμνα μιῇ ζυνώσατο νευρῇ,
Παρθενικῆς ὑπ' ἔρωτος ὁμοίιον εἰς πόθον ἕλκων
Διχθαδίους μνηστῆρας ὁμοζήλων ὑμεναίων
Δαίμονα βοτρυόεντα, καὶ ἠνιοχῆα θαλάσσης.
Impetuoſus Amor, latus acuto ſtridore
Concuſſarum alarum, ventoſum bombum mittens,
E Cœlo ſtridorem miſit, & Aſſyriâ in petrâ
Ignita duo tela uno conjunxit nervo,

Virginis ab amore consimilem in amorem trahens
Duplices Procos concordium nuptiarum,
Deum Vitcum, & GUBERNATOREM MARIS.

Quid ais ARCHÆOPHILE? an satisfacit authoritas? Satisfacit, inquit ille, & si adhuc de velo docueris, quod & in superiorum quibusdam vidimus, & in propositorum secundo ventis expositum contemplamur, ultrà molestus non ero. Chlamys videri potest, respondit DULODORUS, de qua egregius locus apud Pollucem est. Lib. X. c. 27. Πρώτη δέ φασι χλαμύδα ὠνόμασε σαπφὼ ἐπὶ τοῦ ἔρωτος εἰποῦσα, ἐλθόντ' ἐξ οὐρανοῦ πορφυρᾶν ἔχοντα προϊέμενον χλαμύδα. *Prima, ut fertur, Sappho Chlamydem dixit, de amore dicens, Cœlitus venientem, purpuream demissam habentem Chlamydem:* Nisi potiùs cum Catullo tunicam arbitreris Epigr. LXIX.

Quam circum-cursans hinc illinc sæpè Cupido
Fulgebat Crocinâ candidus in TUNICA.

Quanquam verius fortâsse Velum statueris, idque suffragante Per-Illust. SPANHEMIO, qui & Nummum Nicomediensium sub Commodo percussum, in quo Cupido Delphino similiter vectus flagellum teneat, Romæ sibi olim apud Fr. Gottfredum inspectum, gratiosè suggessit. Sed alia se sistunt. En

CUPIDINES NVCES PINEAS COLLIGENTES.



in Cameo

QUid Nuces Pineæ ad Cupidines? inquit ARCHÆOPHILUS: An quòd arbor hæc amaritudine prædita, & amari ut plurimùm solent esse amores? Nescio an ratio valeat, respondit DULODORUS. Si ita philosopheris, potius ad fraudes & insidias respexeris; Pinum enim fraudum & insidiarum typum esse, quod Poma ejus cadentia per fraudem interimant, Servius docet, ad Æn. II. pr. Fraudibus autem & insidiis Amores delectari, vel unicô exemplô Acontii pateat, qui cùm Cydippam fefellisset, fraudem ita excusat:

— — *Si quid egimus arte*
Adstruxit verbis ingeniosus amor.
Dictatu ab eo feci sponsalia verbis,
Consultoque fui juris amore faver
Sit FRAUS huic facto nomen, dicarque DOLOSUS!

Et paulò post:

— — *Non omnia retia falles,*
Quæ Tibi, quàm credis, plura FEFELLIT amor.

Sed aliud mihi subesse videtur. Forsitan illud, perrexit ARCHÆOPHILUS, quòd arbores Pastorum amores audire, imò & loqui crederentur, secundum Virgilium Eclog. I.

Tu-

— — *Tu Tityre lentus in umbrâ*
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas.

Ita certè *Pinus loquentes* dixit idem Poëta, Ecl. 8.

Mænalus, argutumque nemus, PINOSque LOQVENTES
Semper habet, ſemper Paſtorum ille AUDIT amores.

Non hoc, inquit DULODORUS; Imò aliud eſt. Pinum Pani ſacram novi, denuò ſubjecit ARCHÆOPHILUS, idque ex fabula, qua Pytin puellam à Borea, cui Deum prætulerat, ſaxo illiſam & a Tellure in arborem mutatam, temporibus memoratur præcinxiſſe. Sed quid hoc ad rem? Multum, inquit DULODORUS,

— — *Habet arbor amores*
Fagus, & Arcadio PINUS amata Deo.

Inquit Propertius L. I. El. 18. Et ſi rationem quæras, Pan Deus Naturæ credebatur, & Naturæ imaginem præferre Pinum, D. Ambroſius author eſt.

Hæc ſi ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, jam patet, cur Pinus etiam Matri Deûm dicata legatur, nam & hæc Naturæ, ſi non univerſæ, ſaltem terreſtris Dea fuit. Imò reſpondit DULODORUS, etiam patet, cur Pinus Cordis hieroglyphicum fuerit, id quod propoſitum vel maximè tangit. Non tantùm ſcilicet, quòd formam ejus referat, uti Capite primô ex Suida notavimus, ſed etiam, quòd Cor Naturæ quaſi centrum & vita ſit. Inde ſanè conſtat, Cupidines Nuces Pineas colligentes, nihil aliud ſignificare, quàm voluptates Corda ſibi mancipantes, hæc enim præcipua Cupidinum præda ſunt. Modernus Gemmæ Poſſeſſor lemma addidit:

MATURUM IMMATURA LEGEBAT.

Ad eum caſum inventum reſtringens, quô virgo immatura amoris maturi fructus carperet, ſive maturum ſibi vindicaret, quem Horatius L. II. Od. 5. ab amore deterret, ita canens:

Nondum ſubactâ ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes eſt animus Tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æſtum, nunc in udo
Ludere cum vitulis ſalicto,
Prægeſtientis. Tolle Cupidinem
Immitis uvæ!

Ab Uva ſimile mutuatur, idque fortaſſis ob libidinem ebrioſorum, ad quam opportunè ſe ſiſtit

BACCHUS CUPIDINI FACEM porrigens,



Idque duplici ſenſu. Duplici? interrogavit ARCHÆOPHILUS. Mihi ſufficiens ratio in Vino videtur latere, ſecundum illud Ariſtophanis apud Athenæum:

Ἡδὺς τε πίνειν ὄινος Αφροδίτης γάλα.
Ὃν πολὺν σπῶντες ἔνιοι παρανόμων ἀφροδισίων ὄρεξιν λαμβάνουσιν.
Suave potu vinum eſt, nempe Veneris lac,
Quod multum haurientes nonnulli flagitiosâ & illicitâ Veneris Cupiditate inflammantur. Ex his utique, cur Bacchus Cupidini facem porrigat, abundè conſtat. Si vinum reſpicias, inquit DULODORUS, duo genera excipias neceſſe eſt, Trœzenium, & id, in quo Mullus ſuffocatus fuit; illud enim Gignendi poteſtatem aufferre, hoc impotentiam ad Venerem inducere, ex Athenæo conſtat. In reliquis Tibi facile aſſentior, Callimacho enim authore,

Ὄινος μὲν πυρὶ ἴσον ἔχει μένος
— — Οὗτ' ἂν ἐς ἄνδρα
Ἔλθῃ. — —
Vinum igni ſimili robur habet,
— — *ſi in virum*
Devenerit. — —

Sed hoc non tantùm de amore flagitioſo & illicito intellectum velim, ſed etiam de moderato & honeſto. Nobile eſt effatum Eubuli apud eundem Athenæum, qui poculum amoris & voluptatis ſecundo loco ponit, inter ea, quæ ſapientibus conveniunt:

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγχεαννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσι. τὸν μὲν ὑγείας ἕνα
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι. Τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος, ἡδονῆς τε. Τὸν τρίτον δ' ὕπνου,
Ὃν ἐκπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι,
Οἴκαδε βαδίζουσι.
Tria ego pocula tantùm miſceo
Illis, qui ſapiunt: Unum bonæ valetudini,
Quod omnium primum bibunt: Deinde ALTERUM
AMORIS & VOLUPTATIS: Soporis tertium.
Hoc epoto, ii quos Sapientes dicimus
Se ſe domum recipiunt.

Ut omnium rerum, inquit ARCHÆOPHILUS, ita etiam vini & uſus & abuſus eſt, & ſi hunc ſenſum duplicem arbitraris, jam nihil mihi vel contrariaris, vel.

vel novi proponis. Imò, reſpondit DULODORUS, aliud eſt, quod ad hanc Gemmam monitum velim, Bacchum ſcilicet non tantùm ob calorem vini, Lampadem Cupidini tradere, ſed etiam ob calorem Solis, quô omnia vivificantur, & ad amorem incitantur. Bacchum enim Solem eſſe, Docti jam dudum viderunt. Conſuli poteſt Macrobius, aliique.

Si ita ſe res habet, excepit ARCHÆOPHILUS, opinioni non contradixerim, quanquam mihi adhuc dubium videatur, an Bacchus, apud Antiquos cum Face aut Lampade fuerit effictus? De Cupidine id audivi, ſed de Baccho quis author? Plures, reſpondit DULODORUS. An neſcis locum Pauſaniæ de Baccho Lamptere Pellenæorum? En verba! Τοῦ δὲ ἄλσους τῆς σωτείρας Ἱερὸν ἀπαντικρὺ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΛΑΜΠΤΗΡΟΣ ἐστὶν ἐπίκλησιν. τούτῳ καὶ λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγουσι, καὶ δᾷδάς τε εἰς τὸ ἱερὸν κομίζουσιν ἐν νυκτὶ, καὶ οἴνου κρατῆρας ἱστᾶσιν ἀνὰ τὴν πόλιν πᾶσαν. *Contra lucum Soſpitæ eſt LIBERI PATRIS templum, quem LAMPTERA nuncupant, feſtumque ei diem LAMPTERIA celebrant, & faces in templum inferunt noctu, & vini crateras ſtatuunt per Urbem totam.*

Nihilne præterea? infit ARCHÆOPHILUS. Hæccine non ſufficiunt? reſpondit DULODORUS. Non dixerim, ſubjecit ille, cùm non Bacchus Lampter, ſed Pellenæi faces geſtaſſe dicantur. Accedit, quod λαμπτὴρ non *faciferum*, ſed *facem* ſignificat, id quod ex Heſychio planum eſt. Si rem Grammaticè exigas, reſpondit DULODORUS, inficias non ierim, ſed omninò monendum, Diis affingi, quæ Cultoribus Deorum conveniunt, inſolitum non eſſe. Nihil vulgarius, quàm aris adſtantes pateram præferre, cùm tamen non Dii id faciant, ſed homines. Sed agè, ſi Bacchus λαμπτὴρ minus placet, placebit ſine dubio ipſe Bacchus facibus Gigantes debellans, de qua re Nonnus Dionyſ. 48. ℣. 57.

Πυρὶ μάρνατο Βάκχος ἐς ἠέρα δαλὸν ἰάλλων.
Igne pugnabat Bacchus in aëra LAMPADA jactans.

Hæc ratio quid ſi ſuperiora confirmet? Licet enim pugna hæc in Thracia memoretur, nihil tamen mirum, ſi Achaica Pellene ſub Epitheto λαμπτήρος coluerit memoriam facti ejus, quod cum Gigantum ſtrage in Pallene convenit. Pallene & Pellene tantùm non differunt, ut non altera alterius gloriam ſibi vindicaſſe commodè poſſit credi. Quicquid ſit, Bacchum face uſum, ad minimum inde conficitur, id quod & Euripides teſtatur in Bacchis ℣. 145.

Ὁ βακχεὺς δ' ἔχων
Πυρσώδη φλόγα πεύκας.
Ipſe vero Bacchus geſtans
Ignitam facem Piceæ.

Et Pauſanias, apud quem δᾷδα ἔχων ἴακχος *facem præferens Bacchus*, Praxitelis opus, in templo Cereris memoratur. Cauſam, inquit ARCHÆOPHILUS, fortaſsè ſuppeditavit mos, quô in conviviis ſimulacra Lampades præferentia expoſuêre. Ita Lucretius L. II.

Aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis Epulis ut ſuppeditentur.

Et Athenæus, qui in nuptiis Carani narrat, Cupidines, Dianas, Panes, Mercurios, & hujusmodi alias imagines, Lampadibus argenteis, tanquam facibus, præluxiſſe. Imò & Poëtarum parens Homerus in Odyſſ. Lib. VII. ℣. 100. ſeq. ubi de Alcinoi Regia & Phæacum Proceribus convivio exceptis:

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋθμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες.

Aurei verò juvenes fabrefactas ad aras
Stabant, ardentes FACES manibus geſtantes.

Cauſa hæc fuerit nec ne, reſpondit DULODORUS, de eo non diſceptabo, Illud certum eſt, Bacchum non tam in conviviis facibus uſum, quàm in bellis, uti ex allatis conſtat, & in publicis Solennitatibus, id quod Tireſias apud eundem Euripidem in Bacchis ℣. 306. Chorum allocutus:

Αὐτὸν ὄψει καὶπὶ Δελφίσιν πέτραις
Πηδῶντα σὺν πεύκαισι.
Videbis eum in Delphicis ſaxis
Salientem cum FACIBUS.

Si cauſam requiras, potiorem, ut ſupra vidimus, in vini natura repereris, quòd ardens eſt, vel etiam in Sole, quem cum Baccho eundem Macrobius cenſet. Ægyptios Lampadum inventores eſſe, Clem. Alexandrinus L. I. Stromatum author eſt, & aliunde conſtat Ægyptios Bacchum Phoſphorum ſive Luciferum coluiſſe. Quid ſi hinc colligam, primos Ægyptios Baccho Lampada dediſſe? Quid ſi ideò dediſſe, quòd ipſe Luminis author eſſet? Sed ecce! Succedit

BACCHUS ΑΙΣΥΜΝΗΤΗΣ.



Cameo

INcognitum mihi eſt hoc Bacchi cognomen, inquit ARCHÆOPHILUS. Apud Pauſaniam ejus mentio eſt, reſpondit DULODORUS, Verba, ut ut multitudine tædioſa, tamen, quia de re inſtruunt, ſubjicio, ut fidem habeas: Ὅυτε μὲν οἱ πατρεῖς ἄλλόν τινα ἢ τὸν Εὐαίμονος ἔχουσιν Εὐρύπυλον ἐν μνήμη, Ὅι καὶ ἐναγίζουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐπειδὰν τῷ Διονύσῳ τὴν ἑορτὴν ἄγουσι. Τῷ Θεῷ δὲ τῷ ἐντὸς τῆς λάρνακος ἐπίκλησις μέν ἐστιν Αἰσυμνήτης. Ὅι δὲ αὐτὸν ἐς τὰ μάλιστα θεραπεύοντες, ἐννέα τέ εἰσιν ἄνδρες, ὓς ἂν ἐκ πάντων ὁ δῆμος προέληται κατ' ἀξίωμα, καὶ ἴσαι γυναῖκες τοῖς ἀνδράσι. μιᾷ δὲ ἐν τῇ ἑορτῇ νυκτὶ ἐις τὸ ἐντὸς φέρει τὴν λάρνακα ὁ ἱερεὺς. ἄυτη μὲν δὴ ἡ νὺξ γέρας τοῦτο ἔιληφε. Καταβαίνουσι δὲ καὶ ὁπόσοι δὴ τῶν ἐπιχωρίων παῖδες ἐπὶ τὸν Μέιλιχον ἀσταχυσιν ἐστεφανωμένοι τὰς κεφαλὰς. Ἐκόσμουν δὲ ὅυτω καὶ τὸ ἀρχαῖον, ὁυς ἄγοιεν τῇ Ἀρτέμιδι θὐοντες. Τὰ δε ἐφ' ἡμῶν στεφάνους μὲν τῶν ἀσταχύων ἀποτίθενται παρὰ τῷ Θεῷ. Λουσάμενοι δὲ τῷ ποταμῷ, καὶ ἄυθις στεφάνους ἐπιθέμενοι κισσοῦ, πρὸς τὸ ἱερὸν ἴασι τοῦ Αισυμνήτου. *Patrenſes quidem ipſi Eurypilum unum ex antiquitatis patriæ monumentis norunt, Evæmonis filium. Cui parentalia faciunt poſt Liberi Patris ſacrum. Deo, qui in arcam fuerat abditus, cognomen eſt ÆSYMNETES. Præſunt ejus religioni novem viri è Civitatis principibus, & fœminæ primariæ totidem. Ac per dies quidem feſtos, nocte unâ, ſignum ex arcâ depromit Sacerdos. Ea nox hanc habet prærogativam. Deſcendunt etiam ad Milichum fluvium oppidanorum liberi omnes cum ſpiceis coronis, & eôdem omninò ornatu, quô ad aram olim Dianæ qui mactandi erant, deducebantur. Eas coronas Deæ nunc ſuſpendunt; ac deinde, ubi ſe flumine abluerint, novis ex hederâ impoſitis coronis, ad ÆSYMNETÆ*

fanum

fanum procedunt. Hactenus Pausanias, cujus fide Bacchum Æsymnetam dictum haud arbitror inficiaberis.

Non facio, inquit ARCHÆOPHILUS, sed illud exquirere libet, qua ratione Bacchum Æsymnetam in Gemmâ agnoscas? neque enim vel unicum hic Bacchi symbolum cerno. Clar. Vaillant, respondit DULODORUS, conjecturam mihi suppeditat. Is enim in Colon. T. I. pag. 297. in Nummo Patrensium, post Tristanum prolato, in quo figura nuda ad aram, sacrificantis habitu stans, sinistrâque simile plane simulacrum tenens visitur, Eurypylum agnoscit, sinistrâ Bacchum Æsymnetam tenentem. Confer simulacra. Eadem utrinque juventus, & idem brachiorum defectus. Adest & ara, quæ & hîc visitur. Imò nec Satyri à Baccho abludunt, constat enim, ex ejus hos comitibus fuisse.

Nec hoc negavero, inquit ARCHÆOPHILUS, sed instrumenta musica me torquent, quid enim

Fistula disparibus septem compacta cicutis?

Quid Lyra vel ad Bacchum, vel ad Satyros? De Fistulâ, inquit DULODORUS, miror Te dubitare, cùm Panos ea inventum fuerit. Sed multis non morabor, & Fistulam & Citharam Baccho sacrari solitam, vel exemplo Dorothei patet, qui, ut est in Epigr. Alcæi, Anth. L. I. c. II.

Θηβαῖος γενεὴν, Σωσικλέος. ἐν δὲ λυαίου
Νηῷ Φόρμιγγα θήκατο καὶ καλάμους.

Thebanus patriâ, natus Sosicle, Lyæi
In templo CITHARAM collocat & CALAMOS.

Bacchum scil. Musices amantem, non tantùm eò colligas, quòd ejus statua in Helicone fuisse, Pausaniæ memoretur, sed etiam, quòd, eodem Authore, Bacchus μελπόμενος, sive canens Athenis fuerit. Eodem facere potest, quod Diodorus Siculus de Osiride, qui cum Baccho idem creditur, testatum reliquit, Musarum & Apollinem non minus ac Satyros circumduxisse. Quid autem in re notâ diutiùs hæreo?

Te invitô, inquit ARCHÆOPHILUS, id non fiet, ad ignota potiùs regredimur. Bacchum Æsymnetam hîc præfigurari docuisti, quid autem Æsymnetes significet, nondum liquet. Lexicographi, inquit DULODORUS, *Certaminis præsidem* & *Curatorem* vertunt, quasi dicas Ἀγωνοθήτην aut βραβευτὴν, allegato illo Homeri, Odyss. Θ. ψ. 258.

Αἰσυμνῆται δὲ κριτοὶ ἐννέα πάντες ἀνέσταν
Δήμιοι. — —

Et additis Etymologiis, quòd scil. Αἰσυμνήτης dicatur, quasi ὁ αἰσίμως νεμητικὸς τῶν δικαίων κατὰ τοὺς ἀγῶνας, ut ait Budeus: vel secundum Eustatium, quod Αἰσυμνῆται dicantur ὁι τὸ αἴσιον νέμοντες τοῖς ἀγωνιζομένοις: vel ut alibi ex Aristarcho docet, παρὰ τὸ ἄισιμον νέμειν. Et iterum Αἰσυμνητὴρ ὁ τῶν αἰσίων μνήμην ποιούμενος, vel ὁ τὸ αἴσιον ὑμνῶν, uti videre est apud Henricum Stephanum in Thes. L. Gr.

Multa profers, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem inter tàm diversas opinionum sententias eligendum? Nihil, respondit DULODORUS; priores enim Etymologias, litera Υ. quæ in voce Αἰσυμνήτης occurrit, apertè respuit, & ultimam ne admittas, utriusque vocabuli exitus prohibet. Ego potiùs ab αἶσα & ὑμνητὸς deducerem, quasi *à sorte celebratum* aut *electum*, est enim Αἰσυμνήτης *à sorte electus*, sive *judex*, ut apud Homerum, id quod ex appositâ voce Κριτὸς planum est, sive Rex, ut apud Aristotelem Polit. III. c. 10. ubi tertium genus Monarchiæ, quod erat apud veteres Græcos, eorum memoratur, quos αἰσυμνήτας, sivè *sorte electos* vocârunt.

Quid

Quid autem hæc ad Bacchum? subjecit ARCHÆOPHILUS. An & hic sorte electus, sive Judex, sive Rex? Regem, inquit DULODORUS, Orpheus appellat, & apud Nonnum, L. λζ, circa finem, Bacchus non tantùm Certamina proponit, sed & Certatores dirimit; Sorte autem id officii eum subiisse, fateor me, nisi ex hoc epitheto, nec dum observâsse. In sequenti Gemma

BACCHUS CENTAURORVM BIGA VEHITVR.



CEntauros, inquit ARCHÆOPHILUS, Dianæ, & quidem alatæ, currum trahentes, in Numismate Trajani apud Tristanum memini me vidisse, idque ideò, quòd à Diana Venationes didicissent, uti ex Oppiano Lib. II. Cyneget. princ. constat. Id Bacchum non excludit, subjecit DULODORUS. Etiam hujus currum trahentes, pluribus in monumentis videas. Tales occurrunt in Nummo Juliæ Severi à Nicæensibus percusso, quem vulgavit Seguinus, & profundè, ut solet, interpretatus est Per-Illust. SPANHEMIUS, Diss. III. Tales etiam in Gemmis apud Doctissimum Causæum in Musæo Romano pag. 42. Et apud Angelonum, ex quo Spicilegio meo intuli. Non deest Authorum ea de re suffragium. Nonnus Dionys. L. XIV. ℣. 267.

Ημιτελὴς χρεμέτιζεν ἀνὴρ κεκερασμένος ἵππῳ
Ἱέμενος Διόνυσον ἐὸις ὤμοισιν ἀείρειν.
Semiperfectus hinniebat vir commissus cum equo
Desiderans Bacchum suis humeris portare.

Et versu 264.

Καὶ λασίην κένταυρος ἔχων φρίσσουσαν ὑπήνην
Εἰς ζυγὸν αὐτοκέλευστος ἑκούσιον αὐχένα τείνας.
Et hirsutam Centaurus habens horrentem barbam
In jugum per se incitatus voluntarium cervicem extendens.

Ut alia taceam, quæ passim apud eundem Poëtam leguntur.

Ratio obscura est, perrexit ARCHÆOPHILUS. Imò in aprico jacet, respondit DULODORUS, sive ebrietatem respicias sive feritatem. Hanc ad munera Bacchi mitescentem Fulgentius suggerit Lib. II. Mythol. Et Centauros insignes potatores fuisse,

Centaurea monet cum Lapithis rixa, super mero
Debellata.

Nec frustra Euripides in Iphigenia in Aulide ℣. 1060.

Ἀνὰ δ' ἐλάταισι, στεφανώδει τε χλόᾳ
Θίασος ἑμολεν ἱπποβότας
Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τῶν θεῶν,
Κρατῆρα τε βάκχου.

Cum

Cum abiegnâ verò telis & gramineâ coronâ
Turba venit Equestris
Centaurorum, ad Convivium Deorum,
Et Craterem Bacchi.

Aliud adhuc dubium subit, perrexit ARCHÆOPHILUS. Tibiæ & Lyra se oculis ingerunt; An hæc Centaurorum insignia? Omninò, respondit DULODORUS, eadem enim præferunt etiam in Admirandis Romanarum Antiquitatum, eadem & in Galeria Giustiniana parte II. p. 104. Sed alia se sistunt. Subit

ARIADNE A SATYRO DETECTA.



MInois hæc filia fuit, notissimi Cretensium Regis. Theseus eam, contra datam ob merita fidem, cùm in insula Dia reliquisset, Bacchus inventam, suo deinceps conjugio dignatus est. Fabula legitur apud Catullum, Ovidium, aliosque. Jacet Ariadne, idque ad mentem Propertii, qui L. I. El. 3.

Qualis Theseâ JACUIT cedente carinâ
Languida desertis Gnosia littoribus.

Nonnus Dionys. XLVII. ℣. 269. νινώουσαν, & Pausanias in Atticis καθεύδουσαν *dormientem* memorant, cùm Bacchus ad rapiendam descenderet. Idem in Phocicis *saxo insidentem*, quod & ipsum in Gemma nostra cernimus.

Somnus aut habitus jacentis, subjecit ARCHÆOPHILUS, rem non conficit, mihi non tam Ariadne hæc, quàm alia petulantiæ Satyri exposita fœmina videtur, neque enim vel minimùm hîc Bacchi insigne visitur, nec Satyrorum salacitas in obscuro esse potest, cùm vel ex ipsa appellatione patescat. De Salacitate, respondit DULODORUS, facilè assentior. Cùm autem Satyri non tantùm hâc innotuerint, sed etiam Bacchi comites & ministri fuerint, cùm insuper Ariadne eodem modo jacens vel à Satyro, vel in præsentia Satyri à Cupidine detecta, etiam aliis in monumentis prostet, probabiliter utique pro eadem & hîc sententiam tulero. Adi Galeriam Giustinianam, adi MCS. Pighianum, imò & Camæos Angeloni, ubique eam deprehendes, ut dictum, illic in præsentia Satyri à Cupidine, hîc autem à Satyro ipso detectam. Catullus, cùm Ariadnem de perfidia Thesei querentem induxisset, subjicit:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus
Cum Thiaso Satyrorum & Nyssigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore.

Quid mirum? Si & per somnum Amor exsurgat. Exemplo esse potest, quam sequenti in Gemma exhibeo,

AURA DORMIENS



DUas figuras video, inquit ARCHÆOPHILUS, alteram nubibus subnixam, alteram terræ incumbentem. Utra dormiens Aura sit, nisi planiùs explices, discernere haud potero. Eam arbitror, inquit DULODORUS, quæ humi jacet. Humi? iteravit ARCHÆOPHILUS. Atqui in Fascibus Tuis memini nubibus Auram incumbere, id quod & ratio physica suadet. Non Auram dico, respondit DULODORVS, quam Cephalus, venatibus lassus, invocavit, ut sibi vires reficeret; quanquam, si physicè rem consideres, nihil obstet, ut & hæc tàm telluri incumbere, quàm nubibus insidere, credi possit, Aura enim utrinque dominatur; Sed ego Lelantis & Peribœæ filiam loquor, Virginem ἀελμόπον *procellipedem*, quæ, cùm Dianæ comes fuisset, injectâ per somnium Venereæ sibi dulcedinis cupidine, justâ Deæ vindictâ, quam & ipsam ad nuptias impellere conata fuerat, Bacchi & viribus succubuit, & votis. Quis rei Author? subjecit ARCHÆOPHILUS. Nonnus, inquit DULODORUS, & quidem circa finem operis, ubi Auram à concubitu furentem, inde gravidam, gemellosque parientem, tandemque devorato filiorum altero, se submergentem & Jovis voluntate in fontem mutatam, pluribus exequitur.

Si hinc Gemmam æstimare debeam, perrexit ARCHÆOPHILUS, figuram, nubibus incumbentem, ritè Dianam dixerim, Auræ peccatis insultantem. Non hanc, inquit DULODORUS, sed Venerem credideris Auræ dormienti, amoris latices inspirantem. Appositè ad rem prædictus Author. ℣. 258. seqq.

Καί ποτε δι↓αλέοιο πυραυγέι καύματος ὥρῃ
Παρθένος ὑπνώουσα, πόνων ἀμπάυετο θήρης.
Καὶ δέμας ἁπλώσασα Κυβελίδος ὐ↓όθι πόίης
Κρᾶτα περικλίνασα σαόφρονος ἔρνεῖ Δάφνης
Ἔυδε μεσημβρίζουσα, καὶ ἐσσομένων ὑμεναίων
Ἱμερτὴν ἐνόησε προμάντιον ὄ↓ιν ὀνείρου.
Et quondam fiticulosi igne resplendenti caloris horâ
Virgo dormiens à laboribus quiescebat venationis.
Et corpus complanans Cybelidem super herbam,
Caput acclinans ad castæ ramum Lauri,
Dormivit meridians, & futurarum nuptiarum
Desiderabilem cognovit præsignatricem imaginem somni.

Agnoscis, ARCHÆOPHILE! *Virginem dormientem*, agnoscis *dormientem super herbâ*, & *caput ad arborem acclinem*, planè qualiter in Gemmâ visitur: Imò & Veneris mentio est, in *imagine Somni*, *nuptiarum præsignatrice*, id quod vel inde constat, quòd experrecta non Daphnæ tantùm, sed & Veneri irata memoratur.

At

At credibile non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, Virginem ſe nudam compoſuiſſe; Quidni, reſpondit DULODORUS, cùm eadem paulò poſt non verita ſit, vel totum corpus oſtendere. Ita enim ad Dianam:

Δέρκεο πῶς μεθέπω βριαρὸν δέμας. ἠν ἴδε μορφὴν
Ἄρσενα, καὶ ζεφύροιο θοώτερον ἴχνυον Αὔρης,
Δέρκεο πῶς σφείγόωσι βραχίονες, ἠν ἴδε μαζοὺς
Ὀμφακας, ἰδαίνοντας ἀϋήλεας.
Adſpice quomodo teneam fortè corpus: ecce formam
Virilem, & Zephyro velocius veſtigium Auræ.
Adſpice quomodo plenitudine diſtendantur brachia, adſpice mamillas
Immaturas, tumentes, non fœmineas.

Et iterum:

— — Πῶς σέο μαζοὶ
Οὐ τινα κύκλον ἔχουσι περίτροχον, ὁιάπερ Αὔρης
Αὐτομάτους κήρυκας ἀσυλήτοιο κορείης.
— — *Quomodo tuæ mammæ*
Non quendam circulum habent circularem, qualiter Auræ
Spontaneos præcones non prædatæ virginitatis.

Sed Jupiter nos vocat, non qualis in Concilio Deorum Majeſtatis ſuæ jubar explicat, ſed qualis à Cupidine domitus non dedignatus eſt, vel bruti figuram ſubire. Notus eſt

RAPTVS EUROPÆ,



Pluribus in Numiſmatibus, non Sidoniorum tantùm, ſed & Cretenſium, & eorum, qui origines ſuas eò referebant, hactenus apparuit, ſed ſolo Tauri, Europam vehentis, ſub ſchemate. In propoſitâ Gemmâ, inquit ARCHÆOPHILUS, adſunt & Nereides, & Cupidines, & Tritones, quorum hi Conchas inflant, iſtæ Equis marinis inſident. Illorum alter, perrexit DULODORVS, in aëre volans Europam coronat, alter ſub Tauro aquis innatat. Nereis una tantùm conſpicitur, ſed ita poſita, ut plurium index eſſe poſſit, ab altero latere abſconditarum. Cupidines autem duo ſunt. An Eros & Anteros? interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS, quem alii *amori contrarium*, alii & quidem, ut ſuprà docuiſti, rectiùs, *amorem mutuum* arbitrantur? Ritè ſentis, reſpondit DULODO-

RUS, nam Amor Jovis coronat Europam, & amor Europæ Jovem per æquora natantem comitatur.

Europam, subjecit ARCHÆOPHILUS, sinistram video Tauri cornibus applicare, dextrâ autem velum tenere. Id novi nihil est, reposuit DULODORUS, pleraque eò habitu Numismata eam exhibent. Illud in Gemma notandum, quod candor, Tauri præsertim, egregiè cum Antiqua Authorum descriptione conveniat. Unicum citamus, sed qui pleraque ferè eôdem modô exegit, quô in Gemma hac sculpta visuntur. Apud Lucianum, quem & supra citavimus, in dialogo Marinorum ultimo, Zephyrus ad Notum: *Descenderat*, inquit, *ad littus Europa ludendi gratiâ, secum assumtis Æqualibus suis. Jupiter autem*, TAURO *assimilatus, ludebat unà cum ipsis, pulcherrimus tum apparens, nam & summè* CANDIDUS, *&* CORNIBUS *pulchrè* REFLEXIS *erat, vultuque mansueto. Saltabat igitur & ipse in littore, & mugiebat suavissimè, ita ut* EUROPA *ipsum* CONSCENDERE *auderet. Cæterum ubi hoc factum est, Jupiter citato cursu in mare* FERENS IPSAM *prorupit, & illapsus* NATAVIT. *Illa verò hâc re maximè attonita,* LÆVA *quidem* CORNU TENEBAT, *ne dilaberetur*, ALTERA *verò* PEPLUM VENTO JACTATUM CONTINEBAT. Et paulò post. *Mare statim placidum fuit, & tranquillitate attonitâ planum se præbuit, nos autem omnes silentium agentes, nihil aliud, quàm spectatores solùm eorum, quæ fiebant, comitabamur.* CUPIDINES *verò juxta volantes paulùm suprà mare, ita ut summis pedibus aquam interdum contingerent, accensas ferentes faces, hymenæum canebant.* NEREIDES *autem emersæ undis Delphinûm tergis insidentes obequitabant applaudendo, seminudæ pleræque. Præterea* TRITONUM *genus, & siquid aliud marinorum adspectu formidabile non est, omnia circum puellam choreas agebant.* En Tritones! Cupidines! Nereides! Quis clarius ad Gemmam nostram testimonium desideret?

Mihi respondit ARCHÆOPHILUS, pace tuâ dixerim, DULODORE amantissime, non omninò satisfaciunt. Nereides, Lucianus ait, Delphinis insedisse, at in Gemma equô insidentem video: Tritones dicit Choreas agitasse, at eos video Conchas inflantes: Cupidinibus faces tribuit, sed alterum cernis coronam ferentem, alterum per fluctus natantem. Nec hæc præter Antiquitatis genium, regessit DULODORUS. De Cupidinibus ex suprà allatis constare potest. De Tritone conchas inflante subit Ovidius Lib. I. Met.

Cæruleum Tritona vocat, conchâque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi,
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab uno,
Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.

Imò & in ipso hoc Europæ raptu id memorat Nonnus Dionys. lib. I. ℣. 61.

Τρίτων δ' ἠπεροπῆα Διὸς μηκηδμὸν ἀκούων
Ἀντίτυπον κρυίῳσι μέλας μυκήσατο κόχλῳ
Ἀείδων ὑμέναιον.

Triton fallacem Jovis mugitum audiens
Ex adverso respondens Jovi, carmen mugiebat, conchâ
Canens hymenæum.

Ad Nereidem equo insidentem succurrit Gemma Augustini parte II. n. 17. ubi Nereis duobus Equis marinis vehitur, an ad stylum Pausaniæ Eliac. priore? ἐξῆς ἵππων συνωρίδες, καὶ γυναῖκες ἐπὶ τῶν συνωρίδων ἐισὶν ἐσῶσαι. Νηρηίδας τὲ γὰρ ἐπὶ τῶν συνωρίδων εἶναι (τεκμαίρονται.) *Equorum præterea bigæ & in illis insistentes fœminæ. Et eas quidem quæ bigis vehuntur Nereidas esse, non obscura conjectura est.*

Mirum

Mirum, inquit ARCHÆOPHILVS, cùm tamen Claudianus de Nupt. Hon. & Mariæ. Ubi varia animalia Nereidum recenſet, Equos omiſerit. En verba!

Variis vectæ Nereides ibant
Audito rumore ferîs. Hanc piſce volutam
Sublevat Oceani monſtrum, Tarteſſia Tigris.
Hanc Timor Ægei rupturus fronte carinas
Trux Aries: Hæc cæruleæ ſuſpenſa Leænæ
Innatat: Hæc viridem trahitur complexa Juvencum.

Imò reſpondit DVLODORVS, etiam Tritones omiſit, qui tamen & ipſi terga laſcivientibus memorantur ſubſtraviſſe. Gemmas intuêre! Sunt

NYMPHÆ TRITONUM MINISTERIO PER AEQVORA VECTAE.



PLura in his Gemmis occurrunt conſideranda. Alia Tritones adferunt, alia Nymphæ. De Tritonum forma doceri cupiam, inquit ARCHÆOPHILUS. Capitibus enim horrent, & infra umbilicum turpiter atros deſinunt in piſces. De forma Tritonum, reſpondit DVLODORVS, citatur Virgilius lib. X. Æneid. ℣. 209.

Huc venit immanis Triton, & cærula Conchâ
Exterrens freta, cui laterum tenus biſpida nanti
Frons hominem præfert, in priſtin deſinit alvus,
Spumea Semifero ſub pectore murmurat unda.

Ex his conſtat, cur Sidonius Tritonem *piſtrigerum*, cur item *ſquammeum* appellaverit:

Piſtrigero quæ concha vehit Tritone.
Squammeus huc Triton duplici conſinia dorſi.

Squammeum certè & in Gemma ad oculum expreſſit Artifex. Sed quid de Capite? interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS, in Capite comam cernis, reſpondit DULODORUS, an criſpatam an perturbatam? Talem ferè in Tritone notavit Lucianus. *Quid hoc*, inquit, *annon Thraſides Philoſophus hic eſt? Profecto ipſus eſt, promiſsâ barbâ, ſubductisque ſupercilîis, & magnum quoddam ſecum murmurans: accedit Titanicum obtuens, comâ ſuper frontem perturbatâ Autoboreas alter, aut* TRITON, *quales Zeuxis pinxit.* Sed quod formam per partes

exigo, cùm tamen integram deſcribat Pauſanias in Bœoticis. *Hanc*, inquit, *præ ſe ferunt figuram Tritones. Capitis coma perſimilis eſt paluſtri apio, tum colore, tum quòd capillum omninò nullum ab aliis poſſis diſcernere. Reliquum corpus ſquammâ inhorreſcit minutâ, ſed eâdem probè, quâ eſt, duritiâ: Branchias infra aures habent, nares hominis, Rictum oris latiorem, & Pantheræ dentes. Oculi glauci mihi eſſe viſi ſunt: Manus, digiti, ungues quali ſunt forma ſuperiores conchiliorum teſtæ. Pinnulæ ſub Ventre & pectore pro pedibus, uti Delphinis.*

Pleraque, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ad oculum patent, in Gemmis & ſi de Nymphis docueris, nihil mihi dubii remanebit. Nymphas ſubjecit DULODORUS, forſitan Nereides arbitraberis, quas Claudianus laſcivas appellat, planè qualiter noſtræ Tritonibus inſident. Statius lib. III. Sylv. *Virides* appellat, quod tamen Epitheton Horatius lib. III. Carm. Solis Nereidum Comis tribuit. Sculptor noſter, excepit ARCHÆOPHILUS, tam comas, quàm reliquum corpus, colore niveo fecit, undè vel Venerem potiùs, vel Latonam in iis agnoveris: Et quid ſi Latonam in priore, in poſteriore autem Venerem marinam cum Nympha? Ne ſic quidem præter authoritatem, reſpondit DULODORUS, de Latona docet Neptunus in Dialogo marin. Deorum apud Lucianum: ὑμεῖς ὦ Τρίτωνες διαπορθμήσατε τὴν Λητὼ ἐς αὐτήν. *Vos autem Tritones Latonam in ipſam trajicite.* De Venere, Venus ipſa apud Claudianum de Nupt. Hon. & Mariæ, ubi ad Cupidines inſit,

Ecquis erit, Pueri, vitreas qui lapſus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quô vecla per altum
Deferar?

Et Cupido ad Tritonem:

— — *Accingere noſtram*
Vecturus Dominam — —

Et de modò Vecturæ Poëta:

Umbratura Deam retrò ſinuatur in arcum
Bellua, tum vivo ſqualentia murice terga
Purpureis mollita roſis, hoc navigat arcu
Fulta Venus.

Quanquam Lucianus Dial. marin. ult. Venerem Conchæ inſidentem duobusque ita Tritonibus vectam aſſerat, quod tamen ad noſtras Gemmas non pertinet.

De Venere, inquit ARCHÆOPHILUS, eò minus dubium eſt quò apertius & Nonnus eam tergo Tritonis inſidentem memorat, ſed alia adhuc opinio locum videtur mereri. Memini eôdem ferè modò, apud Nobiliſſimum à Sandrart Galatheam exhiberi, & cùm candor Gemmæ ei faveat, quidni eam & hic agnoſcamus? Si facias, reſpondit DULODORUS, non refragabor, quanquam Galathea, quæ una Nereidum erat, uti ex Homero Il. Lib. XVIII. ℣. 45. liquet, monſtro ibi marino inſideat, id quod Nobiliſſimus Author agnoſcit, licet, quale id fuerit, non indicet. Mihi, quanquam mutilum ſit, adeoque de eo indubiè judicari non poſſit, ex reliquiis tamen equus marinus videtur, non obſcuris in cervice jubarum indiciis. Sed hoc in medio relictum ſit. Color certe pro Galathea nihil facit, cùm etiam Venerem ex candida Gemmæ vena expreſſam ſupra videris, aliter quàm in ſequenti

IN A-

INACHUS ET IO.

INachum Peloponneſi fluvium fuiſſe, à Rege Argivorum Inacho denominatum, procul dubio innotuit: Procul dubio innotuit filiam ejus Io à Jove compreſſam, indeque, ut Junonem lateret, in vaccam mutatam eſſe. Fabulam Ovidius eleganter, ut ſolet, & pluribus pertexuit, ubi & Argi cuſtodia, & Argo interfecto, Jûs errores, & reſtituta in Ægypto humana forma, divinique honores. In Gemmâ noſtra & Inachus fluvius eſt, & Io vacca juxta Patrem conſiſtit.

Vaccam video, inquit ARCHÆOPHILUS, & figuram fluvii inſtar decumbentem. Sed cùm urna deſit, fluvium eſſe dubitare potero. Urna non deeſt, inquit DULODORUS, ſed Pallæ involuta Inachi luctum teſtatur, de quo Poëta:

Inachus unus abeſt, imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamque miſerrimus Io
Luget, ut amiſſam.

Quanquam, ſi pertinaciùs reſiſtas, etiam ſine Urna Inachum hunc eſſe probare poſſim; Urna enim perennes fluviorum aquas denotat, Inachum autem perennes aquas non habuiſſe, Pauſanias author eſt: Ἴναχον δὲ βασιλέυοντα τὸν ποταμὸν ἀφ' ἑαυτοῦ λέγουσιν ὀνομάσαι, καὶ θῦσαι τῇ Ἥρᾳ. λέγεται δὲ καὶ ὧδε λόγος. Φορωνέα ἐν τῇ γῇ ταύτῃ γενέσθαι πρῶτον. Ἴναχον δὲ οὐκ ἄνδρα, ἀλλὰ τὸν ποταμὸν πατέρα εἶναι Φορωνεῖ. Τοῦτον δὲ Ποσειδῶνι καὶ Ἥρᾳ δικάσαι περὶ τῆς χώρας. Σὺν δὲ αὐτῷ Κηφισόν τε καὶ Ἀστερίωνα καὶ τὸν Ἴναχον ποταμόν. Κρινάντων δὲ Ἥρας εἶναι τὴν γῆν, οὕτως φησὶν ἀφανίσαι τὸ ὕδωρ Ποσειδῶνα. Καὶ διὰ τοῦτο, οὔτε Ἰνάχου ὕδωρ, οὔτε ἄλλος παφέρχεται τῶν ἐυρημένων ποταμῶν, ὅτι μὴ ὕσαντος τοῦ Θεοῦ. *Inachum ajunt, cùm regnaret, præterfluentem amnem ſuo nomine appellâſſe, & Junoni ſacrum feciſſe. Vulgatum etiam eſt, Phoroneum primum in ea terra exſtitiſſe, cui pater Inachus, non ſanè vir, ſed fluvius fuerit. Fuiſſe verò eundem Phoroneum arbitrum cum Cephiſſo, Aſterione & Inacho fluviis, inter Neptunum & Junonem de Regione diſceptantes: Qui cùm litem ſecundum Junonem dediſſent, iratum Neptunum, aquam illis omnem ademiſſe: Et ex eo factum, ut neque Inachus, neque alius eorum omnium quisquam aquam accolis ſuppeditent, niſi imbribus adjuti.* Hactenus Pauſanias. Indeque conſtat, cur Ovidio Inachus *fletibus aquas auxiſſe* dicatur, conſtat cur in Gemma noſtra exiguo tantùm alveo inſignitus ſit.

Alveum, inquit ARCHÆOPHILUS, in infima Gemmæ area video, ipſum autem, ſi ita placet, Inachum ſublimiori cuidam ſive Urnæ, ſive ſcopulo ſubnixum. An id ex verò, an ad Artificis genium? Ex vero, inquit DULODORUS, Inachum enim ex montibus deſcendiſſe Callimachus docet in Lavacro Palladis:

Καὶ γὰρ δὴ χρυσῷ τε καὶ ἄνθεσιν ὕδατα μίξας
Ἧξεϊ Φορβάϊων Ἴναχος ἐξ ὀρέων.

Etenim

à ferarum insultibus tutas præstare. Pan Pastorum Deus non tantùm αἰγομελὴς *Caprarum Curator*, sed & θηρητὴρ Venator vocatur Orpheo: Et Homero teste,

Πολλάκι δ' αἰγινόεντα διέδραμεν ὄυρεα μακρά
Πολλάκι δ' ἐν κνημοῖσι διήλασε θῆρας ἐναίρων.
Sæpè capris frequentes percurrit montes longos
Sæpè in colles digreditur feras mactans.

Hæc si Pan, quid mirum si idem fecerint ejus Assectæ? Adeonè insolitum est, eundem Artificem diversas artes callere, diversisque temporibus exercere? Audi de hoc ipso nostro Adonide Theocritum Idyll. 1.

Ὡραῖος χ' ὡ Ἄδωνις ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομέυει,
Καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θηρία τ' ἄλλα διώκει.
Formosus etiam Adonis & Oves pascit,
Et Lepores figit, & feras alias insectatur.

Hoc equidem fieri potest, inquit ARCHÆOPHILUS, sed prius, ut unus scil. duos Patres habeat, fieri non potest. Quidni? respondit DULODORUS, si unus naturalis alter adoptivus, unus corporalis alter spiritualis sit, quanquam ad propositum eas argutias adferre necesse non sit. Uti enim duo Adonidis Patres memorantur, ita & duo Adonides fuere, Assyrius scil. & Cyprius, licet uni vulgò tribuantur omnia, quæ de eo feruntur. Non meum id assertum est, sed Cœlii Rhodigini L. XXIX. c. 18. Assyrius scilicet antiquissimus fuit, Cyprius autem Assyrio recentior: Indeque constat, Cyprium reverâ ad Assyrium confictum esse, idque ambitione Græcorum, qui & reliqua ferè Deorum suorum portenta vel inde, vel ex Ægypto petierunt. Id factu eò facilius fuit, quò certius constat, ejusmodi fabulas non semper in historia radicari, sed ut plurimùm mystico sensu debere intelligi.

An idem etiam in Adonide? regessit ARCHÆOPHILUS. Utique, respondit DULODORUS. Hunc enim *Solem* interpretatur Macrobius in Saturn. *Perfectos fructus*, Eusebius III. Præp. Evangel. Alii *suavitatem*, indeque ajunt Myrrhæ filium factum, quia odor Myrrhæ suavis est, ideoque & Veneri amatum, quòd hoc pigmenti genus sit valde fervidum. Amores Veneris, inquit ARCHÆOPHILUS, hìc ad oculum patent, & age! si quid ad eos habes, ne dubita adjicere. Color Poëticus hos commendat, respondit DULODORUS, & unde hunc petam, si non ab Amoris Magistro, qui L. X. Fab. 10. Met. ut totam rei seriem, ita & de amore, venustissimè:

Jam placet & Veneri, Matrisque ulciscitur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oscula matri,
Inscius adstanti distrinxit arundine pectus.
Læsa manu natum Dea reppulit. Altius actum
Vulnus erat specie, primoque fefellerat ipsam.
Capta Viri formâ non jam Cytherëia curat
Litora: non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piscosamque Cnidon, gravidamque Amathunta metallis.
Abstinet & Cœlo. Cœlo præfertur Adonis.
Hunc tenet, huic comes est. Assuetaque semper in umbrâ
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per sylvas, damosaque saxa vagatur,
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ;
Hortaturque Canes: &c.

Canem vides & in Gemma: Vides & Cupidinem, non qualis Venerem fauciavit, sed qualis post victoriam exultavit. Qui antea arcu & pharetrâ, is nunc Vena-

bulo & Cane insignis est, adeòque gaudet, venatoriam alacritatem sibi succubuisse. Ita & Venerem cernis, non qualis cum Adonide, habitu Venatricis,

Aut pronos Lepores, aut celsum in cornua Cervum,
Aut agitat Damas,

Sed qualis post Venationem, finitaque de vitandis feris ferocioribus monita, Amasium suum amplexata memoratur. Quem alium testem citabimus, quàm Deam ipsam apud Nasonem cum Adonide colloquentem?

Me labor insolitus, inquit, *lassavit, & ecce*
Opportuna suâ blanditur populus umbrâ,
Datque torum cessus, libet hâc requiescere tecum.

Cui Poëta subjungit,

Et requievit humo, pressitque & gramen, & ipsum.
Inque sinu juvenis, positâ cervice reclivis,
Sic ait, ac mediis interserit oscula verbis.

Pulchrè hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, & ad Gemmam appositè, si rem historicè consideres. Cùm autem & mysticum sensum sub Adonide latere modò dixeris, libet quærere, annon & Venus eundem recipiat? Recipit, inquit DULODORUS, si enim sub Adonide Solem intelligas, sub Venere contemplaberis Terram, cujus superius hemisphærium sub Venere Priscos intellexisse suprà docui; Si sub Adonide fruges lateant, Venus erit aëris temperies, quâ fruges mulcentur, & in suâ perfectione quasi osculo excipiuntur. Si suavitatem ex Myrrha prodeuntem, Venus est libido, quæ suavitate accenditur. Sed hæc, ut ut se habeant, ad historiam tamen totius fabulæ series composita est, indeque nec ætas Adonidis in occulto jacet, nec locus Venationis. Ætatem ex Theocrito discimus Idyll. XV. cui

Ὀκτωκαιδεκέτης ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός.

Octo & decem annorum, vel novem & decem Sponsus

vocatur. Locus Venationis in Cypro fuit mons Idalius, in Assyria Adonis, de quo plura in sequentibus. Succedit

ADONIDIS INTERITUS

In Turcoide, præcedentem superante, quemque & ipsum magnitudine genuinâ hîc delineandum censui. Jacet Adonis: Fugit Aper: Insequuntur Canes: Et ne Cœlum luctu careat, inhorrescunt nubila: Et Venus, licet Columbis vecta, tamen indignô Amasii casu adeò turbatur, ut vix curru resideat, vix lora retineat, vix spiritu fruatur. Rem ex Ovidio intueamur:

Forte

Forte ſuem latebris veſtigia certa ſecuti
Excivêre canes; Sylvisque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cinyrëius ictu.
Protinus excuſſit pando venabula roſtro,
Sanguine tincta ſuo: trepidumque & tuta petentem
Trux aper inſequitur, totosque ſub inguine dentes
Abdidit: & fulvâ moribundum ſtravit arenâ.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis,
Agnovit longè gemitum morientis, & albas
Flexit aves illuc, inque æthere vidit ab alto
Examinem, neque ſuo jactantem ſanguine corpus,
Deſiliit. &c.

Deſiliit? inquit ARCHÆOPHILUS; At in Gemma non deſilit, ſed curru reſidet, quaſi deliquium paſſa: imò nec olorinas alas video, ſed columbas currum trahentes. Deſiliiſſe Venerem, reſpondit DULODORUS, ex ſequenti Gemmâ patebit, qua non amplius curru vecta, & in Cœlo viſitur, ſed terris inſiſtit, quod facere non poſſet, niſi Cœlo deſiliiſſet. Deſilientis habitum Cœlator non expreſſit, ſed eum, quô, cadente Adonide, Venus etiam in Cœlo terrefacta eſt. Ita & Olores in contrarium fruſtra adduxeris, conſtat enim etiam Columbis Venerem vectam eſſe. Si Authorem deſideras, En verba Apuleji, quæ ſimul & de Curru inſtruunt: *Venus*, inquit, *terrenis remediis, inquiſitionibus abnuens Cœlum petit. Jubet conſtrui* CURRUM, *quem ei Vulcanus ſubtili fabrica ſtudioſè poliverat, & ante thalami rudimentum, nuptiale munus obtulerat, Lunæ tenuantis detrimento conſpicuum, & ipſius auri damno pretioſum. De multis, quæ circa cubiculum Dominæ ſtabulant, procedunt quatuor candidæ* COLUMBÆ, *& hilaris inceſſibus picta colla torquentes, jugum Gemmeum ſubeunt.* Hæc Apulejus, & nota procul dubio eſt fabula, quæ Columbas Veneri dicatas edocet.

Qualis? inquit ARCHÆOPHILUS. De Periſtera Nympha, reſpondit DULODORUS. Talis ferè apud Mythographos legitur: *Venus & Cupido, cùm quodam tempore voluptatis gratiâ in quosdam campos deſcendiſſent, laſcivâ contentione certare cœperunt, quis ſibi plures gemmantes colligeret flores. Quo in certamine ludicro victus eſt Cupido; ſiquidem Nympha* PERISTERA *ſubitò accurrit, & adjuvando, Venerem ſuperiorem effecit. Ex quo indignatus Cupido, puellam demutavit in* COLUMBAM, *quæ Græcis Periſtera appellatur. Sed pœnam honore munivit Venus. Nam in conſolationem transfigurationis, columbam in tutela ſua eſſe voluit.*

Hæc fabulosè, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi phyſica ratio propior videtur; conſtat enim, columbas amori deditiſſimas eſſe, & fœcunditate cætera animalia ſuperare. Sed ad Adonidem revocor, quem horridâ comâ jacentem video. Ad Comam, imò & ad Genas, reſpondit DULODORUS, Theocritus ſuccurrit Idyll. 30.

Αδωνιν ἡ Κυθηρη	*Adonin Cytherea*
Ως ἐιδε νεκρὸν ἤδη,	*Ut vidit jam mortuum*
Στυγναὶν ἔχοντα χαίταν	HORRIDAM *habentem* COMAM,
Ωχραν τε τὴν παρειὰν.	*Et* PALLIDAS GENAS.

Utriusque cauſa vulnus eſt, cujus non tantùm Ovidius meminit, verſibus ſuprà recitatis, ſed & Bion, in Epitaphio Adonidis.

Καῖται καλὸς Αδωνις ἐπ' ὤρεσι μηρὸν ὀδόντι
Λευκῷ λευκὸν ὀδόντι τυπεὶς.

Formoſus Adonis in montibus jacet, FEMUR *dente*
Candidum, candido dente percuſſus.

Et iterum:

Ἄγριον, ἄγριον ἕλκος ἔχει κατὰ μηρὸν Ἀδωνις.
Atrox, atrox VULNUS *habet in* FOEMORE *Adonis!*

Quibus ex verbis de loco vulneris apertè docemur. Vulneris author Sus memoratur, ſive amore id facinoris patrans, ſive zelotypiâ.

Quid audio? excepit ARCHÆOPHILUS, an amore Adonidem vulneraverit aper? Id ex Theocrito diſcas, reſpondit DVLODORVS, Idyll. XXX. ubi aper à Cupidinibus ad Venerem adductus jurat, ſe Adonidem non voluiſſe vulnerare, ſed velut ſimulacrum aſpexiſſe, & non ferentem incendium, femur, quod illi nudum erat, inſano furore oſculari cupiviſſe.

Quid Venus? ſubjecit ARCHÆOPHILUS? an rationem admiſit? Admiſit ſanè, reſpondit DVLODORVS, ita enim perſequitur Poëta:

Τὸν δ' ἠλέησε Κύπρις,	*Hujus autem miſerta eſt Venus,*
Εἶπέν τε τοῖς Ερωσι	*Et dixit amoribus,*
Τὰ δεσμὰ δι πιλῦσαι	*Ut vincula illi ſolverent.*
Ἐκ τῶδ' ἐπηκολούθει,	*Ex eo tempore Venerem ſequebatur,*
Καὶ ὕλαν οὐκ ἔβαινε.	*Neque in ſylvam rediit.*

At mihi, perrexit ARCHÆOPHILUS, ſuem Veneri adeò exoſam eſſe, hactenus perſuaſum fuit, ut ne in Sacris quidem ei immolaretur, idque ob ipſam hanc Adonidis cædem, quanquam alii ſordes & immunditiem in medium adducant, à quibus Venus abhorreat. Poſterior ratio, reſpondit DULODORUS, potior videtur, idque ideò, quia Romanis tantùm is mos fuit. Græcos enim ſuem Veneri immolâſſe, ex Athenæo diſcimus. En verba! Ὅτι δὲ ὄντως Ἀφροδίτῃ ὗς θύεται, μαρτυρεῖ Καλλίμαχος, ἢ Ζηνόδοτος ἐν Ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, γράφων ὧδε. Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗν θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. *Suem Veneri mactari, Callimachus ſive Zenodotus in Commentariis hiſtoricis his verbis teſtatur: Veneri ſuem Argivi ſacrificant, eumque feſtum Diem vocant* ὑστήρια.

Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Adonidis necem, rationem Græcis fuiſſe arbitrer, cur ſuem Veneri immolarent; uti immundities fuit Romanis, cur id non facerent. Romani, perrexit DULODORUS, & rationem & Sacrum à Venere ad Cererem videntur tranſtuliſſe. Cereri enim Romanos ſuem immolâſſe, ex Ovidio conſtat:

Prima Ceres gravidæ gaviſa eſt ſanguine Porcæ,

adjicitur & ratio:

— — *Prima putatur*
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

Quid hoc ad Adonidem? inquit ARCHÆOPHILVS. Si recorderis, reſpondit DULODORUS, quod ſuprà docui, ſub Adonide fruges adultas latere, jam ſcies, eandem utrinque rationem militare, & Adonidem à Sue interemptum, reverâ nihil aliud eſſe, quàm fruges à Sue everſas. Non mea hæc ſententia eſt, ſed Phurnuti in Cerere. *Qui ſex*, inquit, *menſium ſpatio ſuper terram, & ſub terra moratus Adonis dicitur, quod Cereris inventum hominibus placeat, ſic appellatus, quem ſus dicitur ſuſtuliſſe, eò quòd ſemper ſegeti Sus noceat.*

Si Phurnutum audiam, excepit ARCHÆOPHILVS, non fruges tantùm adultas, ſed & Semen ſub Adonide intellexero. Non præter authoritatem, reſpondit DULODORUS. Rem in terminis docet Enarrator Theocriti ad

Idyll.

Idyll. III. Δοκεῖ δὲ ὁ Ἄδωνις μῆνας ἓξ παρὰ Περσεφόνῃ ποιεῖν, ὡς καὶ παρ' Ἀφροδίτῃ, ἄνευ τοῦ συγκαθεύδειν καὶ προστερνίζεσθαι. λέγουσι δὲ περὶ τοῦ Ἀδώνιδος, ὅτι καὶ ἀποθανὼν ἓξ μῆνας ἐποίησεν ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Ἀφροδίτης, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Περσεφόνης, τοῦτο δὲ λέγομενον τοιοῦτόν ἐστιν ἀληθῶς. Οτι ὁ Ἀδωνις, ἤγουν ὁ σπειρόμενος, ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς, καὶ ἓξ μῆνας ἔχει αὐτὸν ἡ Ἀφροδίτη τοῦτ' ἔστιν ἡ εὐκρασία τοῦ ἀέρος.

Hæc de Adonide, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quatenus fruges ſub eo intelliguntur, concinnè; Si autem Sol ſub eo lateat, quid tunc ſub apro nobis imaginabimur? Hyemem, inquit DULODORUS, idque ſecundum Macrobium Saturn. L. I. c. 21. *Ab apro*, inquit, *interemptum tradunt Adonin, hyemis imaginem in hoc animali fingentes, quòd aper biſpidus & aſper, gaudet locis humidis & lutoſis, pruinâque contectis, proprieque byemali fructu paſcitur, glande. Ergo hyems veluti vulnus eſt Solis, quæ & lucem ejus minuit, & calorem, quod utrumque animantibus accidit morte.* Hæc Macrobius, qui & in ſequentibus lugentis Deæ ſimulacrum, in monte Libano exiſtens, Terræ Hyemalis typum ſtatuit, eò quod Terra tunc obnubta nubibus, Soleque viduata ſtupet, fontesque veluti terræ oculi uberiùs manant, agrique interim, ſuo cultu vidui, mœſtam faciem ſui monſtrant.

Eleganter hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam ad id, quod de apri amore dixiſti, minus videatur convenire; Quid enim, an Hyems Solem amore dicatur vulnerare? Non amori tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & zelotypiæ rabiem apri adſcripſi, idque monitus loco Nonni Dionyſ. 41. ℣. 210. ubi non aper, ſed Mars, in imaginem apri verſus, Adonidem memoratur vulnerâſſe, idque zelotypiâ. En verba!

— — Συὸς εἰκόνι μορφῆς
Ἄρης καρχαρόδων θανατηφόρον ἶον ἀέλλων
Ζηλομανὴς ἤμελλεν Ἀδώνιδι πότμον ὑφαίνειν.
— — *Suis imagine formæ*
Mars validos dentes habens, mortiferum telum emittens,
Zelo furioſus voluit Adonidi interitum texere.

Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen Martem cum Sole eundem creditum, ex eodem Macrobio conſtet? Alia hîc ratio ſubeſt, repoſuit DULODORUS, & forſitan ea, quâ Mars pro Sidere ponitur, quæ terris horribilis ſolet eſſe, id quòd pluribus demonſtrari poſſet, niſi ſequenti in Gemma,

VENUS ADONIDEM LUGENS



Nos avocaret. De luctu Veneris ſunt Verba Ovidii, inquit ARCHÆOPHILUS,

Pariterque ſinum pariterque capillos
Rupit, & indignis percuſſit pectora palmis.

In Gemmâ, reſpondit DULODORUS, non hoc agit, ſed Adonidem amplectitur, juvante ad pedes Cupidine, & mœſtis à tergo Canibus. Adonidem amplectitur, idque ad votum, quod ipſa, Adonide moriente, concipit apud Bionem in Epitaphio:

Ὡς ἰδεν, ὡς ἐνόησεν Ἀδώνιδος ἄσχετον ἕλκος
Ὡς ἴδε Φοίνιον ἅιμα μαραινομένῳ περὶ μηρῷ,
Πάχεας ἀμπετάσασα, κινύρετο, μεῖνον Ἀδωνι
Δύσποτμε, μεῖνον Ἀδωνι, πανύστατον ὥς σε κιχείω
Ὡς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.
Ut vidit, ut cognovit Adonidis intolerabile vulnus,
Ut vidit purpureum ſanguinem in marceſcente femore,
Brachia expandens, gemendo dicebat, Mane Adoni,
Miſer, mane Adoni, ut te poſtremum inveniam,
Ut te amplectar, & labra labris miſceam.

Sed longum eſſet Veneris planctus recenſere, quos dicto carmine perſecutus eſt Poëta. Longum de Amoribus dicere, quos & ipſos luxiſſe, his verbis non ſemel teſtatus eſt:

Ἐπαιάζουσιν ἔρωτες, *Adlamentantur amores.*

Et ne de Canibus dubium ſit, unico verſu docemur:

Κεῖνον μὲν περὶ παῖδα φίλοι κύνες ὠδύραντο.
Circa illum puerum & chari Canes ululârunt.

Locus de Canibus apprimè quadrat, inquit ARCHÆOPHILUS; Venus autem Adonidem non tam amplecti videtur, quàm tollere. Id eò clarius eſt, quò apertius cadaver non amplius humi jacet, ſed jam ſublatum inter Veneris brachia curvatur, pedes ſublevante Cupidine. Hoc quid rei ſit ignoro, neque enim Venus cadaver abſtuliſſe, vel Ovidio memoratur, vel alii Poëtarum cuicunque. Cuicunque? excepit DULODORUS, at quid impedit, ut id in Gemma facere Venus credatur, quod Bion ei jubet?

Μηκέτ' ἐνὶ δρυμοῖς τεὸν ἀνέρα μύρεο Κύπρι.
Ἐς ἀγαθὰ στιβὰς, ἔστιν Ἀδώνιδι στιβὰς ἑτοίμα.
Κάτθεο καὶ μαλακοῖς ἐνὶ Φάρεσιν ὅις ἐνίαυεν,
Τοῖς μετὰ σεῦ ἀνὰ νύκτα τὸν ἱερὸν ὕπνον ἐμόχθει.
Παγχρύσῳ κλιντῆρι. πόθει καὶ στυγνὸν Ἀδωνιν
Βάλλε δ' ἐνὶ στεφάνοισι καὶ ἄνθεσι.
Ne in Sylvis amplius virum deplora, ô Venus.
Eſt rectè inſtructus torus, eſt Adonidi torus paratus.
Depone illum & in mollibus veſtibus, in quibus cubabat,
In quibus tecum per noctem ſacrum ſomnum capiebat,
In aurea culcitra. Require Adonin etiamſi triſti ſit aſpectu,
Depone eum inter Coronas & flores.

Venerem certè id feciſſe, vel indè colligas, quod idem Poëta,

Λέκτρον ἔχει κυθέρεια τὸν σὸν τόδε νεκρὸς Ἀδωνις.
Tuum, ô Venus, hunc lectulum tenet mortuus Adonis.

Sed aliud adhuc ſubit. Conſtat Adonidem à Venere in lactucâ ſepultum eſſe.

Sepultum? iteravit ARCHÆOPHILUS; Quis rei Author eſt? Callimachus, reſpondit DULODORUS, idque citante Athenæo: Verba ita habent: Καλλίμαχος φησὶν, ὅτι ἡ Ἀφροδίτη τὸν Ἀδωνιν ἐν θριδακίνῃ κρύπτειεν, ἀλληγορούντων τῶν ποιητῶν, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσὶ πρὸς ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενοι θριδαξί. *Callima-*

chus

ebus refert, Venerem Adonin in lactucis occuluisse, eâ quidem allegoriâ Poëtis innuentibus, qui assiduè lactucâ vescuntur, ad Venerem esse invalidos.

Atqui, inquit ARCHÆOPHILUS, hîc nihil de Sepultura? Venus eum occuluisse, non sepeliviſſe dicitur in lactucis. Illud etiam vivo facere potuit, hoc non nisi mortuo. Prius sanè ut statuam, non tantùm vox κρύπτειν suadet, sed & ipsius Athenæi interpretatio, nixa asserto, apud eundem, Nicandri Colophonii, quô in Glossis memorante, *Adonis cùm lactucam avidè in cibo sumsisset, ab apro occisus est.* Indè sanè palam est, Adonidem etiam vivum lactucis usum, adeòque & eam ob rem à Venere in lactucis occultatum dici. Locus pro me facit, respondit DULODORUS. Interpretis enim apud Athenæum error est, ex voce καταφαγὼν ortus, pro quo omninò καταφυγὼν legendum Casaubonus monet. Non comedit lactucas Adonis, sed ad eas *fugiens* ab apro occisus est. Quis inde non colligat, ibidem & à Venere esse sepultum? Sed hoc in medio jaceat; Illud planum est, Venerem Adonidis cadaver tollentem in Gemma præfigurari, nec opinor abs re fecero, si pauca adhuc de festo, ejus honori celebrari solito addam.

Quale id fuit? inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo appellatum? quibusve in locis solenniter actum? quo ritu? quibusve ceremoniis? *Adonia* appellabatur, respondit DULODORUS. Agebatur non in Syria tantùm & Cypro, sed aliis quoque in Græciæ Civitatibus. Authorum verba subjicio, quæ simul & de ritibus observari solitis, docebunt. Ita Lucianus ex Versione Joan. Benedicti de Deâ Syria. *Vidi etiam Byblo magnum Veneris Bybliæ templum, in quo ritus quosdam sacros in Adonidem peragunt, quos cognovi. Nam quod aper in Adonidem egit, hoc in suo solo factum esse dicunt. Singulis annis verberantur & lamentantur, ritusque sacros peragunt, magnique luctus per regionem ipsis indicuntur. Et postquam verberandi & plorandi finis factus est, primò quidem Adonidi, tanquam defuncto, inferias agunt. Postea verò altero die eum vivere fabulantur.* Hæc Lucianus, qui & paulo post Adonidem fluvium quotannis cruore infectum, tempus lugendi Byblîis indicare memorat, fabulantibus, hisce diebus in Libano Adonin sauciari, indeque cruorem in mare defluere. Ammianus Marcellinus sub Juliano Antiochiam ingresso: *Evenerat*, inquit, *iisdem diebus, annuo cursu completo, Adonia celebrari, ritu veteri, amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto. Adonia cum planctu celebrantur à Mulieribus, Veneris planctum imitantibus.* Sed quid Authorum suffragiis aures tuas onerare satago? cum tamen ea pleno cornu exhibeat, de Antiquitatibus meritissimus Meursius, in Tractatu absolutissimo de Festis Græcorum, ubi latiùs docet, his in Festis solenni pompâ circumlata simulacra Adonidis & Veneris, circumlatos hortos ex fœniculo & lactuca, quòd Venus occisum in lactucâ deposuisset, id quod ex Hesychio observat, & ad supra dicta egregiè facit. Horti ii dicebantur Κήποι Ἀδώνιδος, *Horti Adonidis*, abieruntque in proverbium de rebus ad brevem præsentemque tantùm voluptatem, cæterum levibus brevique duraturis, uti videre est apud Erasmum in Chiliad. Philostratus in vita Apollonii L. VII. c. 14. etiam *Adonidis aulam* memorat, hortulis undique circumdatam, & floribus abundantem, quos Assyrii Mysteriorum causâ domi plantare fuerint. Sed non Assyrii tantùm Adonidem coluere. Defluxit & ad Græcos dementia. De Cypriis & Argivis testatur Pausanias: Et aliunde constat, etiam Athenis, Alexandriæ, & in Macedonia eam viguisse. Plutarchus etiam Judæis Adonidis cultum imputat, esum Suillæ iis ideò interdictum arbitratus, quòd Adonis à sue occisus, Adonis autem Bacchus fuerit, quem præcipuo honore Judæi fuerint prosecuti. Uti autem rei falsitas

Veritati

Veritati Divinæ imbutis occulta esse non potest, ità fortasse non abs re Adonidis mortem & resurrectionem, cum morte & resurrectione Servatoris nostri eatenus contuleris, quòd utriusque in cultu, luctum lætitia excipiat. Sed Ethnica me tractare memini. Succedit

HERCULIS CUM VIRTUTE ET VOLUPTATE COLLOQVIUM.

ETiam hâc in Gemma inquit ARCHÆOPHILUS, Venus visitur, eaque licet vestita, tamen impudicâ protervitate non obscurè lasciviens. Si posterius judicio Paridis hoc cum Hercule colloquium fuisset, felicitate & formâ suâ elatam, Minervæ illudere crederem, sed cum Hercules Paride antiquior memoretur, potius mirandum est, quod semel victa, denuò aleam subire non detrectaverit? Sed fabulæ seriem indicare placeat, neque enim nisi confusam adhuc ejus ideam servo: Placeat indicare quis ejus Author sit, & quem in finem fuerit excogitata? De Authore primo loco docebo, respondit DULODORUS. Prodicus philosophus eam finxit, eo in libro, qui Horæ inscriptus fuit. Suidas in Prodico meminit, meminit & Cicero 15. Ep. ad Familiares, ubi Herculem Xenophontæum nominat, non quòd fabula Xenophontem habuerit authorem, sed quòd Xenophon à Prodico traditam contraxerit, & operibus suis intulerit. Author ad manus est. Locus extat in Libro de factis & dictis Socratis: Sed cum longior sit, tantùm ea ostendam, quæ rem propiùs tangunt: *Herculem*, ait, *exactâ pueritiâ, egressum esse ad tranquillum locum, ibique* CONSEDISSE, *ambigentem, ad utram se viam converteret? Tum* MULIERES DUAS, *easque grandi staturâ ad ipsum accessisse, alteram* VIRTUTEM *dictam, eleganti & liberali vultu præditam cujus corpus à natura ornatum, oculi verecundi, gestus modesti, vestis candida fuerit: alteram ab amicis* FELICITATEM, *ab inimicis* IGNAVIAM *dictam, educatione obesam & teneram, sic ornatam, colorem quod attineret, ut calidior & rubicundior videretur, quàm esset, formaque procerior, quàm esset à natura, oculis apertis, veste tali, ex quâ venustas maximè eluceret; Cum Herculem accessissent, utramque eum sive motionibus, sive blanditiis sibi adjungere conatam esse.* Hæc est fabulæ series qualiter ferè apud Xenophontem legitur.

Mihi, infit ARCHÆOPHILUS, leve dubium subnascitur. Alteram fœminarum ab amicis *Felicitatem* ab inimicis *Ignaviam*, alteram autem *Virtutem* dictam memoras, at in Gemma non has, sed Palladem & Venerem cum Cupidine video.

video. Leve hoc dubium esse, respondit DULODORUS, verè affirmas, quem enim fugit, Palladem virtutis, Venerem voluptatis Deam esse? Id si non aliundè, certè ex ipsis Xenophontis verbis intelligas. Alteram fœminarum, *eleganti & liberali vultu, corpore à natura mundo, oculis verecundis, gestu modesto, & candidâ veste*, memorat, *ornatam:* & quàm aptè hoc ad Minervam? Alteram *obesam & teneram, oculis apertis, veste tali, ex qua venustas maximè pelluceret:* quàm aptè hoc ad Venerem? Minerva bellicum Numen credebatur, & appositè de artibus bellicis apud Authorem loquitur Virtus. Venus, de vulgari loquor, impudicitiæ machinatrix erat, & in Καxία, quam Xenophon Virtuti opponit, non frustra intemperantiæ probra, stragula mollia, Venus intempestiva, stupra nocturna culpantur. Sed aliud adhuc est, quod Sculptorem movisse potuit, ut Virtutem Palladis, Voluptatem autem Veneris habitu effingeret. Hercules scil. si fabulæ fides, Palladi verè accessit, eamque maximis etiam in laboribus, & comitem habuit, & adjutricem, id quod alibi latiùs docebitur.

Finis adhuc restat, inquit ARCHÆOPHILUS. Is non alius est, respondit DULODORUS, quàm Juventutis commodum. Si Virtutem sequatur, gloriose senectutem & attinget & exiget, sin Voluptatem, & famæ jactura subibit & fortunæ malignitas. Gloriam consecutus est Hercules; sed ignominiam, si non voluptate, tamen temeritate

PHAETHON.



ELegans est hæc Gemma, inquit ARCHÆOPHILUS, de ea si quid habes memoratu dignum, gratum feceris, si pandas. Phaëthontis, excepit DULODORUS, nota est fabula. Et Nonnus eam decantat, Dionys. Lib. XXXVIII. & Ovidius Lib. II. Metamorph. Meminit & Plinius, Lib. XXXVII. c. 2. aliique. Series talis est, enarrante Servio ad VI. Virg. *Eridanus Solis filius fuit. Hic à Patre impetratum currum agitare non potuit, & cum ejus errore mundus arderet, fulminatus in Italiæ fluvium decidit: & tunc à luce ardoris sui, Phaëthon appellatus est, & pristinum nomen fluvio dedit, unde mixta hæc duo nomina inter Solis filium & fluvium invenies. Postea ejus sorores flendo in populos versæ sunt, ut in decimo Poëta:*

Populeas inter frondes umbramque sororum.

Quid audio? subjecit ARCHÆOPHILUS, an PHAETHON ante casum *Eridanus* vocabatur? Ita est, si Servium audias, iteravit DULODORUS,

quanquam nec Poëtæ, nec alii Antiquorum id anxiè obſervaverint, iis enim tam ante, quàm poſt caſum *Phaëthon* vocatur. Argumento ſit Ovidius, qui Lib. I. cùm de Epapho Jovis filio dixiſſet, ſubjicit:

— *Fuit huic animus æqualis & annis,*
Sole ſatus PHAETHON.

Et paulò poſt:

Erubuit PHAETHON, *iramque pudore repreſſit,*
Et tulit ad Clymenen Epaphi convitia matrem.

Quibus ex verſibus ſimul & Parentes Phaëthontis diſcimus, *Solem* ſcilicet & *Clymenen*, ad quos taceri non debet placitum Scholiaſtæ Pindari Od. VI. p. 68. & Euſtathius ad Dionyſ. Perieg. ν. 27. Phaëthonta ſcilicet Solis & Ῥόδης Nymphæ filium habitum, quem locum Per-Illuſtr. SPANHEMIO debeo: Taceri non debet aſſertum Pauſaniæ, quod ex Heſiodo hauſiſſe potuit, Phaëthontem ſcil. Cephali & Auroræ filium eſſe. Sed hæc ad propoſitum vel nihil, vel parum. Terſiſſimos Ovidii verſus potiùs intueamur, & ad eos Gemmam noſtram examinemus. En Phaëthontem!

Ipſe PAVET, *nec quà commiſſas flectat habenas*
Nec ſcit quà ſit iter: nec ſi ſciat, imperet illis

En Equos!

Volucris PIROEIS, EOUS, *&* ÆTHON
Solis Equi, quartuſque PHLEGON, *hinnitibus auras*
Flammiferis implent.

En Fluvium!

— — *Maximus orbe*
Adjacet ERIDANUS. —

Adeſt & *Proles Steneleïa Cygnus*, non viri formâ expreſſus, qualis ante caſum fuerat, ſed avis, qualis poſt amnem querelis impletum factus eſt. His dictis DULODORUS ſubſtitit, exſpectans, quid ARCHÆOPHILUS in contrarium allaturus eſſet. Is animô in Gemmam intentô: De Cygno, inquit, levius eſt, neque enim aliter Artifex eum adumbrare potuit, ut nominis ſimul ratio pateſceret; Sed id mihi mirum videtur, cur non & Virgines, aliquô metamorphoſeos veſtigiô inſignierit? cur eas, utpote Solis filias, Urnis inſtruxerit?

Solis filiarum, regeſſit DULODORUS, in Gemma noſtra tantùm una expreſſa eſt, eaque ad dextram, cujus brachia in frondes jam protenduntur. Si tamen & reliquæ ex earundem numero forent, utique ſufficiens ratio Urnarum ex Phyſica fabulæ interpretatione exſurgeret. Clymene Phaëthontis mater, vapor aqueus eſſe poteſt, vi Solis elevatus: Phaëthon & Sorores, eſſe poſſunt ignes & pluviæ, quæ ex vaporibus illis, ardore vel accenſis, vel condenſatis, procedere ſolent. Ille terras comburit, hæ tanquam lacrymis flumina augent, & ripas arboribus veſtiunt: adeò ut hinc fabulæ ortum non abſurdè deducerem, & proinde Urnæ multò juſtius Solis filiabus quadrare poſſent, quàm Auræ in marmore Pighiano, quod in Faſciculis dedi. Sed hæc anxiè adſtruere opus non eſt, ſi meo judicio acquieſcas, non Solis filias has agnoveris, ſed NAJADES, Nymphas fontium aut fluviorum, ἀπὸ τοῦ νάειν dictas, quod eſt *fluere*. His urnas tribui novum non eſt. Exempla exſtant apud Cl. Sponium in Miſcell. pag. 31. exſtant & in Manuſcripto Pighiano Theſauri El. Brandenburgici. Et ne ſub caſum Phaëthontis eas abfuiſſe arbitreris, ſurgit Ovidius, qui cum ab Eridano exceptum, & ablutum Phaëthontem memorâſſet, ſubjicit:

Najades Heſperiæ trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant Tumulo. Signant quoque carmine factum.

Satis-

Satisfacit ratio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nam apud eundem Ovidium video Heliades ſepulcro adſtare, fratremque jam tumulatum plangere, quanquam Statius non Najades, ſed ſorores, fumantem laviſſe, ſepulchroq; condidiſſe, memoret. Libera eſt Poëtarum vena. De Eridano mihi adhuc dubium movet Plinius, quo teſte Phaëthontem in Æthiopia obiiſſe Theophraſtus author eſt. De Phaëthonte ipſo movet dubium Sophoclis Interpres, qui equorum Solarium alterum, *Phaëthontem* dictum aſſerit. Et quid? an hæc de Phaëthonte narratio mera fabula erit? an non etiam hiſtorici aliquid contineat?

Multa coacervas, dulciſſime ARCHÆOPHILE, reſpondit DULODORUS, tentabo tamen, an Tibi ſatisfacere poſſim. Quod ad Æthiopiam attinet, mirum non eſt regionem ardoribus continuis ſubjectam fabulæ gloriam ſibi vindicâſſe, cùm ſimilis ambitio etiam alias, vel urbes, vel regiones, in tranſverſum rapuerit, id quod exemplô Homeri conſtat, & latiùs deduci poſſet, ſi nunc id ageretur. Æthiopes ſanè Soli ſacra peregiſſe, monente Per-Illuſt. SPANHEMIO, Philoſtratus de vita Apollonii Lib. VI. c. 3. author eſt: Et à Phaëthontis incendio, nigrum eosdem colorem traxiſſe, etiam Ovidius cecinit, licet communiorem, quam & Artifex noſter, opinionem ſecutus, caſum ad Eridanum usque diſtulerit, idque tam, ut mutationi Heliadum in Populos, pro quibus Numiſma Accoleji Larices ſubſtituit, quàm etiam, ut creditæ origini Electri locum faceret. Electrum utique hodiénum, non quidem in ripis Padi, ſed in littoribus Oceani colligunt. In Pruſſia tantus ejus proventus eſt, ut Neptunus id videatur *AQVILÆ BRANDENBURGICÆ*, debitæ ſubmiſſionis tributum pendere: *ELECTRUM ELECTORI, pretioſiſſimum Potentiſſimo.*

Sed quò me devotæ mentis ardor abripit? ad Electrum quidem facit quod Ἠλίκτωρ de Sole legatur in ſcholiis Euripidis Hippol. ℣. 559. Sed hîc de Phaëthonte nobis ſermo eſt, cujus nomen non Solis equo tantùm, ſecundum Sophoclis Interpretem, ſed & ipſi Soli, ſecundum Sophoclem & Euripidem Electr. 465. & ſæpe in Anthologia datum eſt. Imò & pro igne poſuit Martialis lib. V. Ep 54. ubique ſcilicet ex vocis etymologia, eô ſenſu, quô Nonnus Solis equos πυρόεσσας *ignitos* dixit, quô frena μαρμαίροντα *ſplendentia*, & αἰγλήεσσαν καὶ πυρόεσσαν ἰμάσθλην, *ſplendentem ignitamque ſcuticam*, quô & Padus πυρίκαυτος *ignitus in Cœlum translatus* memoratur. Quo utique ſenſu nihil obſtat, ut & Soli, & Solis equo, nomen Phaëthontis detur. In Gemma noſtra aërem & radiantem & ſuccenſum vides, non tam à Phaëthonte, quàm ab Equis. Ad eos Lucanum attuleris, more Poëtico non Equos, ſed Lora nominantem:

Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris.

Sed vereor, ne Tibi garrulitate meâ æque moleſtus ſim, ac Phaëthon ardoribus Terræ fuit, ideò ad reliqua tranſeundem arbitror. An mera hæc fabula ſit, an verò hiſtorici quid contineat, facilè reſponderim. Si corticem reſpicias, mera fabula eſt, id quod vel ex Luciano diſcas, qui eam graphicè refutat in Tractatu de Electro ſive Cygnis. Quis Solis filium credat? Quis credat Solem Aurigam, vel Solis filium quatuor equis Cœlum emetiri? Quis currum, vel equis deviis orbem incenſum? Quis Heliades in Populos aut Larices, Cygnum aut Ligurum regem in avem mutatos? Quis Eridanum flumen in Cœlum translatum? Riſu hæc digna ſunt, non minus ac Padi accolæ, quos ob Phaëthontis in Eridanum dejecti pœnam pullis & lugubribus veſtibus uſos, Cœl. Rhodiginus notat. Scio Phaëthontem in Samothracia ſanctiſſimis ceremoniis olim cultum. Scio & Scopam celebratiſſimum Statuarium ejus ſimulacrum feciſſe; utrinque enim ſe teſtem ſiſtit Plinius Lib. XXXVI. c. 5. ſed quis neſcit Gentilium Deos tantùm non meras eſſe fabulas? Vel Hiſtoriam conſulere, vel Naturam ſcrutari, vel Politicam

vitæ rationem excutere neceſſe eſt, ſi rei baſin aſſequi coneris. Non una opinionum ſemita ſe aperit. Sunt qui eximiam aliquam ſiccitatem ſub Phaëthontis incendio latere putant. Sunt qui Phaëthontem Aſtronomum fuiſſe, & antequam Solis curſum exploraret occúbuiſſe tradunt: Alii fabulam inventam aſſerunt, ut oſtendatur magnarum rerum adminiſtrationem juvenibus periculoſam eſſe; Ita Phaëthon, leve pondus currui ignivomo,

Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Exitium mundo intentabat. Quanto meliore conatu exitium hoſti machinata eſt, quæ ſequenti in Gemma radiat,

TOMYRIS?

AN hæc, inſit ARCHÆOPHILUS, videtur eſſe famoſiſſima illa Scythiæ Regina, quæ Cyrum potentiſſimum Perſarum Monarcham, non contenta & vicíſſe & occidiſſe, dolore orbitatis eò vindictæ proceſſit, ut amputatum ejus caput, in repletum humano ſangvine utrem conjiciens, muliebri crudelitatis exprobratione, *Satia Te*, exclamaverit, *ſangvine, quem ſitiſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti?* Ea ipſa, reſpondit DULODORUS. Caput Viri cernimus, capiti Fœminæ quaſi tropæum impoſitum. Cernimus capillos ingenioſo & Naturæ & artificii genio, quaſi ſangvine ſtillantes. Utrumque apertô teſtimoniô, aliam hîc agnoſci non debere.

Quid prius extollam, perrexit ARCHÆOPHILUS, an lapidis venas an artificii excellentiam? dubius hæreo. Illæ & faciei flavedini, & tunicæ purpuræ, & capillorum ſangvini ſuffecére: Et hic Naturæ dona tam ſcitè ad hiſtoriæ veritatem potuit educere, ut nullibi nec color deſit, nec concinnitas. Benè loqueris, inquit DULODORUS, nec dubito, Te præcipuè obſervare, ſanguineos capitis capillos ſimul ipſius etiam Tomyridis ornatui cedere. Obſervo, inquit ARCHÆOPHILUS, & niſi fallor etiam in ipſa Tomyridis facie non obſcura, & Scythicæ feritatis, & exultantis arrogantiæ, ſe ſiſtunt veſtigia, non minus ac in capite Cyri mixta quædam, cum martio horrore, clementiæ ſigna. Utrisque ſanè in hiſtoria inclaruit; Sed heus Amice! An Cyrus Perſarum Rex tantâ capillorum ſylvâ credatur fuiſſe conſpicuus? Nonne Perſæ vel etiamnum ſe radunt? Quid hodiè agant, reſpondit DULODORUS, quid non, de eo nunc non eſt quæſtio: Perſas autem antiquos crinitos fuiſſe, apertè docet Herodotus Lib. VI. c. 19. de Mileſiis locutus, ἄνδρες, inquit μὲν δὴ πλέονες ἐκτείνοντο ὑπὸ τῶν Περσέων ἐόντων κομητέων. *Viri pleriſque à Perſis, qui CRINITI erant, ſunt cæſi.* Et præter hoc, annon innotuit locus Chryſippi apud Athenæum, qui radendæ barbæ conſuetudinem Alexandri demum ætate memorat inoleviſſe, prioribus temporibus eâ re non tantùm inuſitatâ, ſed & ignominioſâ?

Hæc

Hæc quidem addicunt, subjecit ARCHÆOPHILUS; At de Cyro, & de Tomyride absentia Diadematis dubium movet; Quid enim? an hoc caruisse credas vel Regem, vel Reginam? De utroque, respondit DULODORVS, facile satisfecero; Non in Majestate Regia fulgent; sed alter fortunæ ludibrio expositus, altera muliebri arrogantiâ militarem, & fortitudinem ostentans, & victoriam, illam in Galea, hanc in Galeâ ad effigiem devicti Regis adornatâ.

An Galeam hîc agnoscis? perrexit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS, id enim ex prominente sub cervicem lamina ad oculum patet. At quæso, iteravit ARCHÆOPHILUS, an Scytharum Reginæ galeas gestârunt? Quidni? respondit DULODORUS; Id enim exempla Amazonum in aprico ponunt. Sed de his diutiùs philosophari operæ pretium non est. Sequenti in Gemma

BABYLONII BELLICOSI

Camèo

Mihi videntur adumbrari. Pisces video, inquit ARCHÆOPHILUS: Video Sagittarium, & figuram radiatam, fluvii instar, cum Sceptro, humi jacentem; Quod autem Babyloniorum, aut fortitudinis eorum hîc vestigium? An figuram radiatam Colossicam illam arbitraberis, quam Nabuchdonosor Babyloniæ Rex erexisse, Danieli in Sacris memoratur? An Belum Deum, quem Babyloniis præcipuâ veneratione cultum, ex Scriptoribus & Sacris & Profanis constat? De Belo, inquit DULODORVS, conjectura fortassis adeò futilis non est. Et Sceptrum eam firmare potest, & Corona radiata, cùm illud Regem, hæc Solem demonstret. Utrinque Servius se testem sistit, ad L. I. Æn. *Belus*, inquit, *Primus Rex Assyriorum*; & paulò post: *Apud Assyrios Bel dicitur, quâdam Sacrorum ratione, & Saturnus & SOL.*

Locus optimè quadrat, subjecit ARCHÆOPHILVS, & simul etiam rationem signorum cœlestium evolvit; Quid enim Belus cum piscibus & Sagittario in Gemma significet, si non Solis ea per signa cursum? Cùm figura jaceat, respondit DULODORUS, vereor subscribere, potius in Beli meritis substitero, quem *Sideralis scientiæ inventorem fuisse*, Plinio authore constat. Sed mihi aliud adhuc concurrere videtur, sive Belum hunc statuas, sive Euphratem Babyloniorum fluvium.

Euphratem, excepit ARCHÆOPHILUS, absentia urnæ removere videtur. Si Belus minus placet, poteris ad Jovem Planetam respicere, is enim inter figuras Astronomicas Hygini Lugd. 1608. in Oct. simul cum reliquis Mythographis editi, & ipse radiatus, imò & cum sceptro currui insidet, cujus rotis & Pisces & Sagittarius affecti sunt. Pictura moderna est, respondit DULODORUS. Si ratio subsit, quod Astronomorum operæ relinquitur; ad Gemmam tamen nihil faciet; in ea enim, non ut Planeta currui insidet, sed fluvii instar humi decumbit. Est Numisma apud Cel. Seguinum sub Antonino Pio ab Ephesiis percussum.

In eo Jupiter, Throno, nubibus ſuffulto, inſidens, imbres ex cornucopiæ effundit, idque in figuram, ſimili ferè modo, quo & hîc cernitur, non tantùm humi jacentem, ſed & radiatam. Figuram illam Abbas Brunotius, Cuſtos Muſéi Regii Gallorum, Fluvium, ipſe autem Seguinus ſymbolum ſive Terræ totius, ſive Provinciæ ſolius Epheſinæ aut Jonicæ arbitratur; veretur tamen ob radios, ne vim patiatur interpretatio. Mihi radii nihil videntur obſtare, ſive fluvius ſive regio credatur; Vel enim Oriens, ratione ſitûs, vel Regia dignitas connotabitur, quâ Babylonii celebrantur: Inde certe, ſi non fluvium Euphratem, integram tamen Babyloniorum, quidni etiam Parthorum? Regionem, figurâ hâc adumbratam exiſtimo.

De Babylonia loqueris, inquit ARCHÆOPHILUS, ac ſi jam Gemmam hanc ad Babylonios pertinere demonſtrâſſes, ſed vereor ne nimis difficilè id factu futurum ſit. Imò facillimum, reſpondit DULODORUS; Nonne vides figuram hanc piſcibus ſubjacere? Et an neſcis ſub piſcibus, ſigno cœleſti, Babylonios, Parthos aliosque olim jacere creditos? Manilius rem apertè L. IV. ℣. 798.

PISCIBUS EUPHRATES *datus eſt. Ubi piſcis amator,*
Cùm fugeret Typhona Venus, ſubſedit in undis.
Magna jacet tellus, magnis circumdata ripis
PARTHIA, *& à Parthis domitæ per ſæcula Gentes,*
Bactraque: & Arii, BABYLON, *& Suſa, Paroſque,*
Nominaque innumeris vix amplectenda figuris,
Et Tigris, & rubri radiantia litora Ponti.

Si Piſces ſoli in Gemmâ forent, excepit ARCHÆOPHILUS, forſitan acquieſcerem. Cùm autem juxta hos & Sagittarius decurrat, ſuffragari non poſſum. Conſtat enim ſub Sagittario non Babylonios jacuiſſe, ſed Cretenſes Siculos, & conterminos Italos. Audi eundem Tuum Manilium eod. Libro verſu 781.

Gnoſſia CENTAURO *tellus circumdata ponto*
Paret, & in geminum Minois filius aſtrum
Ipſe venit Geminus. Celeres hinc Creta ſagittas
Aſſerit, intentosque imitatur ſideris arcus.
Inſula Trinacriæ fluitantem ad jura Sororem
Subſequitur Creten, ſub eodem condita ſigno,
Proximaque Italiæ. &c.

Verbis opus non fuiſſet, ſubjecit DULODORUS; Cùm enim in Gemma figura Coloſſica non ſub Sagittario jaceat, ſed ſub Piſcibus, utique conſtat, ſitum non in illo, ſed in his quærendum eſſe. In memoriam, perrexit ARCHÆOPHILUS, mihi venit alius Manilii verſus:

Æſtas à Geminis, Autumnus Virgine ſurgit,
Bruma SAGITTIFERO, *Ver* PISCIBUS *incipit eſſe.*

An ex his non colligam, principium Hyemis & Veris hîc adumbratum eſſe? Non infirmâ baſi conjectura nititur; Si enim Jacobus de Wilde Boſtrenos & Singarenos à Sagittario annum inchoâſſe eò ſtatuit, quòd ſignum id in eorum Numiſmatibus cernitur, quidni duas anni partes ego, ſub duobus ſignis, partium principiis, intelligam? Non facies, reſpondit DULODORVS, idque ideò, quia principia non ſunt. Veris initium non Piſces ſcimus, ſed Arietem: Et initium Hyemis, non Sagittarium, ſed Capricornum. Apud Manilium vocula *A.* idem ſignificat, ac alibi *Poſt*. *Poſt* Sagittarium, cum Capricorno incipit Bruma, & *poſt* Piſces cum Ariete Ver. Hæc ut ut ſe habeant, gratias tamen ago, pro allatis Boſtrenorum & Singarenorum Numiſmatibus. Cùm enim Boſtreni Arabiam Petræam,

am, Singareni autem Meſopotamiam coluerint, non minus ac Rheſaineſii, qui & ipſi Sagittarium ſignârunt, uti videre eſt apud Cl. Vaillant Col. T. II. pag. 297. Jam Tibi conſtabit, Sagittarium à Babyloniis, aliisque ſub ſigno Piſcium Gentibus, alienum non fuiſſe. An autem anni principium eô indigitetur, juſtiſſimè forſitan dubitavero. Quidni potius fortitudinem incolarum reſpiciamus, quâ per hiſtorias celebratiſſimi feruntur? Noſti proculdubio, quid Per-Illuſt. SPANHEMIUS ad Cæſares Juliani p. 409. & ſeq. eam in rem commentatus ſit. E Xenophonte monſtrat, Cyrum, Equites Perſarum totidem Hippocentauros ſe effecturum, jactaſſe. Citat Numiſma Gallieni, in quo Centaurus Sagittarius LEG. II. PARTH. inſcribitur. Imò & Sagittarium, ceu Τοξότην Plutarcho teſte, de Perſicis, & poſtea etiam de Parthicis Nummis dictum. Non caret ratione ſymbolum. Etiam qui ſub Sagittario nati ſunt, fortitudine præſtare creduntur. Idem noſter Manilius opinionis baſin ſuppeditat. Lib. IV. ℣. 558.

Arcitenens, primâ cum veſte reſurgit,
Pectora clara dabit bello, magnisque triumphis
Conſpicuum patrias Victorem ducet ad arces,
Altaque nunc ſtatuet, nunc condita mœnia vertet.

Sed de his ſatis. Succedit

FOEMINA ASPIDIS MORSU DEFICIENS.

CLeopatram vis dicere, inquit ARCHÆOPHILUS; Eam enim, cùm ab Auguſto triumphali Pompæ deſtinaretur, Aſpidis morſu periiſſe, Hiſtoria docet, nec ſimile mortis genus in alia me legiſſe memini. Fateor, reſpondit DULODORUS, nec me legiſſe, indeque ſi quis Cleopatram hanc eſſe contendat, me acriter non reſtiturum, quanquam rationes in contrarium non deſint. Et quænam? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Duæ præcipuè, perrexit DULODORUS, abſentia Diadematis, & Aſpis papillæ imminens.

Prius, retorſit ARCHÆOPHILUS, non video quid obſtare poſſit, conſtat enim Cleopatram etiam ſine Diademate eſſe effictam, id quod Numiſmatum fide adſtruxeris. Numiſmata, reſpondit DULODORUS, viventem referunt, morientem autem Diadema geſtâſſe, & Authorum & antiquæ ſupellectilis teſtimonio patet. Inſpice ſimulacrum ejus inter Statuas Romanas. Diadema ad oculum patebit, & ſi Authores conſulas, ex Dione diſces τὸ τε σχῆμα τὸ βασιλικὸν πᾶν ἀναλαβοῦσαν, *omni regio habitu aſſumto*, eam vitâ exceſſiſſe. Omni Regio habitu, inquit, quem inter, Diadema præcipuum fuit. De Diademate certè Plutarchus apertè. Ἡ δὲ χάρμιον ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα, κατεκόσμει τὸ Διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς. *Charmium jam lapſabunda, & capite gravata, compo-*

componebat DIADEMA, *quò redimitium erat caput ejus.* Vides ARCHÆOPHILE, cauſam eſſe, cur Diadematis abſentiam contra Cleopatram allegem. Quod ad Aſpidem attinet, papillæ imminentem, quam alterum contra eandem argumentum attuli, conſtat eam Cleopatræ non papillas ſed *brachium* momordiſſe. Plutarchus, licet in hanc rem ſatis operoſus, adeò ut veritatem neminem poſſe ſcire, tandem concludat, inter omnes tamen opiniones ne unicam quidem de papillis attulit, ſed plerasque de brachio: En verba! Ὡς δέ ἀφαιροῦσα τῶν σύκων ἔιδεν, ἐιπεῖν, ἐνταῦθα ἦν ἄρα τοῦτο. Καὶ τὸν BPAXIONA παρασχεῖν τῷ δήγματι γυμνώσασαν. Οἱ δὲ τηρεῖσθαι μὲν ἐν ὑδρείᾳ τὴν ἀσπίδα καθειργμένην φάσκουσιν. ἠλακάτῃ δέ τινι χροσῇ τῆς Κλεοπάτρας ἐκκαλουμένης αὐτὴν καὶ διαγριαινούσης, ὁρμήσασαν ἐμφῦναι τῷ BPAXIONI. τὸ δὲ ἀληθὲς οὐδεὶς ἔιδεν. ἐπεὶ καὶ φάρμακον αὐτὴν ἐλέχθη φορεῖν ἐν κνηστίδι κοίλῃ, τὴν δὲ κνηστίδα κρύπτειν τῇ κόμῃ. Πλὴν οὔτε κηλὶς ἐξήνθησε τοῦ σώματος, οὔτε ἄλλου φαρμάκου σημεῖον. Οὐ μὲν οὐδὲ τὸ θηρίον ἐντὸς ὤφθη, συρμοὺς δέ τινας αὐτοῦ παρὰ θάλασσαν, ἢ τὸ δωμάτιον ἀφεώρα, καὶ θυρίδες ἦσαν, ἰδεῖν ἔφασκον. ἔνιοι δὲ, καὶ τὸν βραχίονα τῆς Κλεοπάτρας ὀφθῆναι δύο νυγμὰς ἔχοντα, λεπτὰς καὶ ἀμυδράς. Ὅις ἔοικε πιστεύσας καὶ ὁ καῖσαρ. Ἐν γαρ τῷ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς ἔιδωλον ἐκομίζετο, καὶ τῆς ἀσπίδος ἐμπεφυκυίας. *Ut tollens de ficis conſpexit eam* (aſpidem) *dixiſſe Cleopatra ferunt: Nempè hîc illa eſt,* BRACHIUMQVE *nudatum morſui dediſſe. Alii incluſam hydriæ aſpidem, atque ita autumant fuiſſe aſſervatam, fuſoque aureo ipſam laceſſentis, & ſtimulantis, arripuiſſe Cleopatræ* BRACHIUM. *Sed veritatem novit nemo: Quando venenum quoque geſtaſſe, proditum eſt, eam in novacula cava, eamque recondiſſe comâ ſuâ. Verum nec macula in corpore exſtitit, neque aliud veneni veſtigium. Neque vero beſtia illa intus comparuit. Tractus aliquos ejus tantùm juxta mare, quò cubiculum ſpectabat, & feneſtræ erant, ajunt deprehenſas. Nonnullis* BRACHIUM *quoque Cleopatræ, notas duas ex punctione, viſum eſt habere, tenues & exiles. Quibus credidiſſe Cæſar videtur. Siquidem in Triumpho ejus imago translata eſt ipſius Cleopatræ, & aſpidis mordicùs* BRACHIO *affixæ.* His Plutarchi quid apertius? Sed adde & Propertium:

BRACHIA *ſpectavi ſacris admorſa colubris,*
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Adeò ut unanimis in his de brachio ſit Authorum conſenſus, à quo cùm abeat Gemma, quidni dubitem, Cleopatræ eam adjudicare?

At ego non dubito, regeſſit ARCHÆOPHILUS, idque monitus non tam hôc ipsô Plutarchi locô, qui veritatem neminem ſcire poſſe, jam ſuo tempore faſſus eſt, quàm ſigno hujus ipſius Cleopatræ apud Ill. patinum in Imperatoribus. Serpentem in eo cernis non brachio adhærentem, ſed brachiô commorsô, verſus umbilicum caput prætendentem. Quid inde colligas? Si non liberum hoc Cœlatoribus fuiſſe, eamque cauſam, cur quidam Authorum nullum certum locum, imò nec certum animal deſignaverint? Florus, *admotis ad venas Serpentibus, ſic morte, quaſi ſomno ſolutam*, tradit, & Horatius canit:

— — *Auſam aſperas*
Tractare Serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum.

Cautè hi, ſubjecit DULODORUS, ſed ſtylo uterque Poëtico, quos proinde contra aperta aliorum teſtimonia, neſcio an ritè adduxeris. Minimùm ſententia de brachio receptior, de papilla haſtenus nulla eſt, indeque ſi Cleopatram arbitreris, in qua Aſpis papillæ imminet, neſcio annon Cœlatoris ignorantiam ſimul arguas.

Id non agam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Tuæ potiùs opinioni velificabor & ipſe, modò doceas, etiam alias fœminas aſpidum morſu periiſſe. In

Viris

Viris quidem exempla proſtant. Canopus Menelai Gubernator, de quo Sulpitius ad Lucanum, & Demetrius Phaleræus, de quo Diogenes Laërtius aliique. Sed de fœminis id hactenus non inaudii. An res ideò incredibilis? reſpondit DULODORUS, cùm tamen mortem eam leniſſimam, vel exemplum Cleopatræ docuerit? an Romanas exemplum ſecutas dubites, cùm tamen Lucanus aſpides Romæ venales canat?

Ipſa caloris egens gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſuâ, Niloque tenus metitur arenas;
Sed quis erit lucri pudor? Inde petuntur
Huc Libyæ mortes, & fecimus aſpida merces.

Sed hæc utcunque credantur, in tantâ hiſtoriæ caligine perindè fuerit; Ad aſpidem operæ pretium eſt aciem mentis intendere; Neque enim vel de formâ ſatis convenit, vel etiam de ſpecie.

An plures ſunt aſpidum ſpecies? ſubjecit ARCHÆOPHILUS? Sunt, inquit DULODORUS. Aſpidum genus in ſedecim ſpecies Ægyptios dividere, Ælianus teſtatur. Galenus autem, ad Piſonem de Theriaca, tres tantùm facit, quorum primam *Cherſæa* ſive *terreſtris* conſtituat, quæ loca mediterranea incolat: ſecundam *Chelidonia*, quæ circa fluviorum ripas, præſertim Nili, latibula habeat: tertiam *Ptyas*, quæ venena in hominum oculos inſpuat.

Sit in Gemma Cleopatra, aut non ſit, perrexit ARCHÆOPHILUS, juvabit tamen exquirere, an Ptyas, an Chelidonia, an verò Cherſæa fuerit, cujus veneno ea periit? Ptyas, reſpondit DULODORUS, fuiſſe non poteſt, cùm hæc non morſu, ſed, ut dictum, ſputo in hominum oculos excreto interficiat. Cherſæam ſive terreſtrem parvam eſſe, & latiorem cervicem habere, eoque ſolo à cæteris differre, Aëtius ait. Hæc deſcriptio ad aſpidem in Gemma noſtra ex amuſſi quadrat, ei autem, quæ in Signo Patiniano viſitur non convenit, indeque conſtat, nec terreſtrem fuiſſe Cleopatræ aſpidem, imò nec Cleopatram in noſtra Gemma exhiberi. Aſpidem, quâ Cleopatra periit, Solinus *Hypnalem* vocat, aitque emi ad mortem, quod allato ſupra Luciani effato lucem affundit. Aſpidem Hypnalem Iſidorus Serpentem ait eſſe, ab aſpide genus trahentem, quia ſomno, quos mordet, interimit, id quod Serpenti in Signo Patiniano favet. Albertus eam, quâ Cleopatra periit, *Hippupiam* dictam, Nicolao Leoniceno teſte, aſſerit: Et ex allato ſuprà Plutarchi loco diſcimus, poſt Cleopatræ mortem aſpidis aliquos tractus, juxta mare, quô cubiculum Regium ſpectabat, eſſe deprehenſos, non infirmô argumentô, Chelidoniam fuiſſe, ſive eam, quæ circa ripas latibula habet. Cœterùm colla aſpidum intumeſcere, Plinius author eſt, indeque Nicander:

Turgida ſquallet item cervix.

De ratione morsûs adhuc audire velim, inquit ARCHÆOPHILUS, id enim ad propoſitum vel maximè fecerit. Rationem morsûs, reſpondit DULODORUS, ex eodem Nicandro diſcas, ita canente:

Quatuor huic intra maxillæ concava dentes
Radices fixêre ſuas, quos juncta quibusdam
Pelliculis tunica obducit. Triſte unde venenum
Effundit, ſi fortè ſuo ſe approximet hoſti.

Plinius dentes duos tantùm facit, aitque in ſuperiore parte longiſſimos, tenui fiſtulâ perforatos, venenum fundere, ſicut Scorpionùm aculei ſolent. Mercurialis ex Aëtio numerum dentium ex diverſitate generis excuſat: *Aſpides*, inquit, *mordent, & morſu infundunt venena, fœminæ quatuor dentibus, mares verò duobus*

tantùm. Si ad hæc aſpidem Cleopatræ examines, marem fuiſſe inde comperies, quod Plutarcho, ut ſuprà vidimus, teſte, notas duas ea in brachio habuerit. Uti autem Cleopatram in Gemma exhiberi dubium fuit, ita in ſequentibus ſunt

CAPITA FOEMINARUM INCOGNITA.

in Cameis

ET magnitudine, & artificii præſtantiâ ſe commendant hæ Gemmæ. Si notitia Perſonarum accederet, neſcio, annon jure rariſſimis accenſerentur. Fœminas quilibet agnoſcit, & non de plebe fœminas, cultus prodit, ſi non in omnibus Regius, ſaltem faſtigio Regum non indignus. Regium in Gemma primâ, tertiâ, & quintâ, Diadema evincit. In primâ & tertiâ artificium, neſcio quid exactitudinis Græcæ præfert; In quintâ autem non obſcura ſunt dominantis barbariei indicia. Si hinc argumentum ſumas, illas duas, Reginas vel Macedoniæ, vel Syriæ, vel Ægypti: hanc autem Reginam quandam Gothorum haud abſurdè arbitraberis.

Mihi, reſpondit ARCHÆOPHILUS, primô ſtatim adſpectu, primâ in Gemmâ Cleopatra Ægypti, in tertiâ autem Dido videbatur adumbrari. Illam ex Numiſmatibus antiquis, hanc autem ex moderno quodam maximi moduli, cui in averſa Carthaginis arx impreſſa eſt, forſitan evicero; Et quid ſi in Gemma quinta exhibeatur Amalaſuntha Theodorici Regis Oſtrogothorum in Italia filia? Magna hujus fuêre merita. Græcè Latinèque perdocta, aliarumque Linguarum perita fuit, non Regis filia tantùm, ſed & Regis mater, imò & ipſa Regina, ſed infelix. Cum Athalarico filio aliquandiu regnavit, eôque mortuô Theodatum

datum cognatum ſuum in Regni conſortium adſcivit; ſed ab ingrato hoc & perfido primò relegata, poſt & obtruncata eſt. Memorabilis eſt Theodorici Statua, quam Neapolis poſuit, caput ſoluta, cùm ipſe moreretur: Ventrem diffiliens, cùm Athalaricus obiret, Virilia amittens, cùm Amalaſuntha occumberet: Tandemque & femora pedesque concidens, cùm Urbem Gothi obſiderent. Magna hæc, inquit DULODORUS, Gemmarumque honore non indigna, quanquam quid certi evincant, non videam. Quid enim? annon eâdem ratione Theodelindam hanc ſtatueris, Reginam Longobardorum, viduam Autharis, quæ poſtea Agilulpho nupſit, & hoc quoque mortuô, denuò Regni clavum moderata eſt, pulſa tandem cum filio Adeluvaldo ab Arioaldo? Annon aliam quamcunque Barbari ſæculi Reginam? Mihi effigiem hanc in incerto relinquere, tutiùs videtur, uti & priores duas; Vereor enim, ut de Cleopatra Numiſmata addicant, & de Didone ex Numiſmate Commatis moderni, quid evincere poſſis, non video. Si conjecturæ locus, potiùs Semiramidem dixeris, cujus ſimilem ferè effigiem apud Leonhardum Agoſtinum cernimus.

Si certi quid erui non poteſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quid diutiùs eis immoramur? aut quid operæ pretium fuit, has Gemmas proponere? Quid? inquit DULODORUS; annon volupe eſt muliebrem mundum contemplari? annon decentes illos in Gemma prima & tertia capillorum nexus, pendentesque utrinque ex calamiſtro cincinnos? Annon in quinta barbaricum nodum, innexamque Diademati baccam, & dependens à tergo velum? Non Chlamys Regia deeſt, licet deſint Inaures, non ignotum aliàs Illuſtrium fœminarum ornamentum.

In Gemmis quartâ & ſextâ, inquit ARCHÆOPHILUS, nec cincinni ſunt, nec aliud præter velum, quod inter papillas in ſexta fibulâ connexum video. Inde ſuffibulum hoc velum, reſpondit DULODORUS, crediderim, de quo infrà in Veſtali; quanquam, præſertim in Gemmâ quarta, etiam Flammeum credi poſſit, de quo ſuperiore Capite ad Pſychen vidimus, non tantùm nuptiarum indicium, ſed & matronalis dignitatis. Ita enim Nonius Marcellus: *Flammeum, veſtis vel tegmen, quô Matronæ caput tegunt*; Indeque Horatius:

Matronæ præter faciem nil cernere poſſis.

Sed ad ſecundam Gemmam regredimur, quam diu dubius hæſi, annon Uxorem Probi ſtatuerem, eò, quòd ſimilis ferè lineamentorum ductus, ſimilis certè capillorum fluor, etiam in Clypeo occurrat, quem infrà Probi Uxorem referre, indubiis argumentis demonſtratum dabimus. Tandem & hoc Lectoris arbitrio judicavi relinquendum, contentus aſpexiſſe mundum, reconditâ eruditione refertiſſimum.

Nihil video, inquit ARCHÆOPHILUS, contemplatione tantoperè dignum; Quid enim? an faſcia infra papillas in cenſum veniat? de qua Catullus Ep. 65.

Nec tereti Strophio luctantes vincta papillas.

Et Martialis Lib. XIV. Ep. 434.

Faſcia creſcentes Dominæ compeſce papillas.

Et Terentius Eunuch. Act. 2. *Quas matres ſtudent, demiſſis humeris, vincto pectore eſſe, ut graciles ſient.* Minus ad rem Authores allegas, regeſſit DULODORUS, ubi enim faſcia aut ſtrophium in Gemmâ? Quam Tu faſciam arbitraris, Palla eſt, ſtolæ ſuperinjici ſolita, ſecundum Nonium Marcellum de Proprietate Sermonum Cap. 14. n. 7. de eâdem & Horatius Lib. I. Sat. 2.

Ad talos Stola demiſſa & circumdata Pallâ.

Ex quibus utique patet, non tantùm exteriorem in Gemma veſtem, Pallam eſſe, ſed & interiorem eſſe Stolam, aut ſi mavis Tunicam, de qua idem Martialis Lib. XI. Ep. 105.

Faſcia Te, Tunicæque tegunt, obſcuraque Palla.

In Stola aut Tunica illud peculiare viſitur, quòd torque circa collum connexa ſit. Torques? iteravit ARCHÆOPHILUS. Atqui virile torques ornamentum fuit, id quod ex hiſtoria T. Manlii eluceſcit, qui, quòd torquem Gallo detraxiſſet, ex facto nomen Torquati meruit. Etiam muliebre fuit, ſubjecit DVLODORVS, inter hæc enim ponitur Eſaiæ cap. III. ubi Hieronymus tradit, *eum pendere usque ad pectus*, & Ezechiel. XVI. *Et dedi TORQUEM circa collum tuum.* Illud notandum, quòd torquis hîc eodem ferè modo præfiguretur, quô & in Numiſmatibus Manliorum.

Unicum adhuc reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, quod ſi docueris, ad alia properantem non morabor. Quod ſupra frontem trianguli inſtar erectum eſt, quale ſit doceri cupiam, an Frontale, aut Ampyx? quâ voce Homerum uſum Julius Pollux author eſt. Difficilis eſt deciſio, reſpondit DVLODORVS. Tiraquellus ad L. III. connubialem Ἄμπυκα quibusdam idem, quod Frontale, teſtatur fuiſſe. Si res ita ſe habeat, illud quidem his nominibus deſignarem, quod in fronte capillos connectere cernimus, non autem id, quod ſupra capillos in triangulum elevatur; Hoc enim verius Ἀνάδεμα dicerem, quod vocabulum etiam apud Latinos in uſu eſt, ut apud Lucretium L. IV.

Et bene parta Patrum fiunt Anademata, Mitræ.

Ἀνάδεμα dicitur ab ἀναδέω corono, ligo, exorno; Suidas id capitis ornamentum ſtatuit; Homerus ἀναδέσμην vocat:

Ἄμπυκα, κεκρύφαλον τ' ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην.

Quanquam Pollux ἀναδέσμην & ἀνάδεμα diverſa faciat. Sed hæc pleraque abſtruſa ſunt. Apertiùs agnoſces, quod in ſequenti radiat,

CAPUT POMPEJI CÆSARI OBLATUM.



HAnc Gemmam quoties contemplor, toties devotâ artis admiratione tangor, quæ tantâ hîc ſubtilitate luſit, ut ne vultibus quidem, licet minutiſſimis, ſua negaverit lineamenta. Cæſarem & laurea calvitiei ſuperinducta, & macies faciei, & major omni dubitatione adſpectus Peritiorum evincit.

De Cæſare, regeſſit ARCHÆOPHILUS, facilè aſſentior; Sed de Pompeji capite res indubia non videtur. In Numiſmatibus Pompejus barbâ caret; at in hâc Gemmâ utique caput barbatum eſt? Barba, reſpondit DULODORVS,

RVS, nihil movet. Luctu Pompejum barbam submisisse, cùm à Cæsare pulsus, ad Ptolemæum navigaret, vel inde credibile fit, quòd cum morem exemplum Augusti doceat, qui nunciatâ clade Varianâ, idem per continuos menses fecisse, Suetonio memoratur. Accedit, quòd non statim Cæsar occiso supervenit, sed ut Dio ait, aliquandiu in anchoris substitit, quòd Alexandrinos ob Pompeji cædem tumultuantes reperisset. Medio certè tempore, quin barba crescere potuerit, nemo dubitabit.

ARCHÆOPHILUS, si & hæc, inquit, Tibi cedam, quî cedam, de Cæsare lacrymante, cum hostis fuerit? quî de vestitu Ægyptiorum? Cæsar laciniam attollens lacrymas videtur abstergere, & Ægyptii insolito planè habitu efficti videntur. Lacrymas Cæsarem fudisse, visô Pompeji capite, respondit DULODORUS, Dio Lib. XLII. author est, sivè id fecerit commiseratione sortis humanæ, sive æmulatione, ut invidiam à se amoveret. Author ad manus est, en verba, ex interpretatione Xylandri, Libro XLII. *Cæsar Pompeji capite viso,* ILLACRIMAVIT, *lamentatusque est, eum Civem, Generumque suum nominans, & commemorans, quot quantisque in rebus, mutuas quondam sibi operas præstitissent. Percussoribus tantùm abfuit, ut se gratiam debere fateretur, ut & facinus culpaverit, & caput honestè funerandum humandumque aliis tradiderit. Cujus facti causâ ut laudatus est, ita simulatione suâ risum meruit. Quum enim summoperè dominationem affectâsset, Pompejumque adversarium suum propterea semper odio habuisset, contraque illum cùm alia omnia machinatus, tum hoc ipsum bellum nullâ aliâ de causâ molitus fuisset, quàm ut eô de medio sublatô, ipse Principatum obtineret; quumque aliam nullam ob rem in Ægyptum advenisset, quàm ut eum, si adhuc superstes esset, conficeret: Tum se eum desiderare, ejusque interitum ægrè ferre videri volebat.* Hæc quàm appositè Gemmam explicent, ipse vides. Ad vestes Ægyptiorum audiendus omninò Herodotus, qui lib. II. cap. 36. *In Ægypto*, inquit, *viri binas vestes habent*, ἱματα δύο; & cap. 18. ἐνδεδύκασι δὲ χιτῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτοὺς, οὓς καλέουσι καλασίρις. ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα ἱμάτια λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. *Vestibus utuntur lineis, circa crura fimbriatis, quas Calasiris appellant, super quas lanea candida ferunt amicula superjecta.* Nihil clariùs ad Gemmam dici potest, ideoque diutiùs ei inhærendum non duco. Sequitur

AQVILA ARÆ INSISTENS asidente figurâ.

In Camee

DE Aquila, subjecit ARCHÆOPHILUS, plura memini Te suprà attulisse; hîc quid allaturus sis, gestio audire. Multa sunt, respondit DULODORUS, quæ dici possunt, sed pauca dici possunt indubiè. Aquilam certis-

ſimum Auguriorum Jovis nuncium creditum, in confeſſo eſt. Quid igitur, ſi figuram ſedentem augurium captare credas? Ita exta rapiens Imperii omen Galbæ præbuit: Ita Auguſto, dum luſtrum in Campo Martio, magnâ Populi frequentiâ conderet, Aquila eum ſæpius circumvolans, transgreſſaque in vicinam ædem, ſuperque nomen Agrippæ ad primam literam conſidens, mortis oſtentum fuit: Ita contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis, Aquila Tentorio ejusdem ſuperſedens, duosque corvos hinc inde infeſtantes affligens, futuram Dominationem adumbravit.

Non videntur addicere exempla, excepit ARCHÆOPHILUS; Ubi enim mentio aræ? ubi figuræ ſedentis? Mihi potiùs ad Pythagoram hæc Gemma pertinere videtur, quem cum Aquila collocutum Cœlius Rhodig. obſervat. Pythagoram, ſubjecit DULODORUS, habitus reſpuit, quis enim credat, Philoſophum Thorace indutum? Si auguria minus placent, poterit Aquila Pyrrhi in cenſum venire, de quâ, ut ſuprà monui, Ælianus & alii: Poterit Aquila, quæ Ptolemæum nutrivit: Poterit Aquila Tiberio Neroni in Rhodo conſpecta, de qua Epigramma Apollonidæ in Florilegio Lib. I. c. 60. n. 2.

At nec in his, reſpondit ARCHÆOPHILVS, eſt mentio Aræ, quæ tamen procul dubiô non absque causâ in Gemma viſitur. An quod Aquila Jovi ſacra? ita enim Aquila in Numiſmate Τομέων aræ inter ſigna militaria inſiſtens Jovis Ales triumphalis Illuſtri Patino creditur. Si ad aram reſpicias, regeſſit DULODORUS, poteris illius meminiſſe, quæ ſuper aram alis extenſis in Carceribus Olympicorum Certaminum apud Pauſaniam El. Poſteriore legitur.

An etiam illius, interrupit ARCHÆOPHILUS, quam auream in Portâ templi Hieroſolymitani ab Herode poſitam Joſephus teſtatur? At hîc, reſpondit DULODORUS, non Portæ ſed Campi potiùs, in Arbore, veſtigium eſt. Fortaſsè tutiùs figuram hanc ad Tyrrhenorum quendam retuleris, quos Aquilas audiſſe, ex Porphyr. Lib. III. de Abſtin. ab animal. diſcimus; Fortaſsè etiam ad Aquilæ ſacrificium, cùm Aquilas centum inter Hecatomben Imperatoris mactatas, ex Capitolino conſtet, & Aquilam Jovi & Neptuno immolatam aſſerat Nonnus Dionyſ. M. ℣. 534. Latiſſimus eſt hîc divinandi campus. Nos, cùm ad ſacra deventum ſit, meritò & horum rationes delibamus. Anſam præbet

VIRGO VESTALIS.

QVæ de Veſtalibus dici poſſunt, in propatulo jacent. Multa de iis Dionyſius Halicarnaſſæus, multa Plutarchus, multa Ovidius, aliique inter Veteres. Si Modernos adeas, non pauciora Roſinus, non pauciora Oiſelius, & quicunque accuratiore diligentia Veterum ſuperſtitiones rimati ſunt. Ex iis propoſito noſtro ſervi-

ſervientia luſtrabimus, & primò quidem, ut Veſtalem hanc afferam, & habitus docet, & venuſta faciei majeſtas; Utrumque enim videas & in Virgine Veſtali inter Statuas Romanas, & in Junia Torquata apud Cel. Sponium Miſcell. pag. 150. ubi velum capiti obductum, clauſumque, ac nodo ſub collo revinctum ideò arbitratur, quòd continuò ab iis geſtaretur, nec removeretur, perpetui voti ſymbolum.

Mihi, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſanctimoniæ hoc indicium creditum eſt, ne ſacrificantes profano obtutu turbarentur. Benè ſentis, reſpondit DULODORUS, & procul dubio etiam notâſti, velum illud, quod Veſtales gerebant, peculiari vocabulo *Suffibulum* dictum fuiſſe; De utroq; enim Feſtus: SUFFIBULUM, inquit, *veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales, cum ſacrificant, ſemper habent, idque* FIBULA *comprehendutur.* Fibula? interrogavit ARCHÆOPHILUS; atqui nodum agnoſcit Sponius. Et hoc male, inquit DULODORUS, Fibula enim ad oculum patet, & omninò ſtatuenda etiam in Statuis & Numiſmatibus, in quibus ſuffibulum connexum eſt.

Suffibulum ex Feſto album docuiſti, perrexit ARCHÆOPHILUS, cum tamen Divo Ambroſio Epiſt. ad Valentinian. Veſtes purpureæ memorentur: *Vix ſeptem Veſtales*, inquit, *capiuntur puellæ. En totus numerus, quem Inſulæ Vittati capitis, Purpuratarum Veſtium Murices.* &c. Facilis eſt reſponſio, ſubjecit DULODORUS; Ambroſius Vittati Capitis Infulas à Veſtium Purpuratis Muricibus diſtinguit, ita & diſtinguendum Suffibulum, ſi colorem reſpicias, quanquam in reliquis ex veſtium genere non eximatur. An igitur Suffibulum, denuò excepit ARCHÆOPHILUS, & Vittati Capitis Infula res eadem? Id quibusdam creditum videtur, reſpondit DULODORUS, allegatis & Prudentio & Lucano, quorum hic III. Pharſ.

Veſtalemque chorum ducit Vittata Sacerdos,

Et ille lib. II. contra Symmachum:

— — *Sedet illa verendis*
Vittarum inſignis phaleris.

Et iterum:

— — — *Cingunt*
Tempora Tæniolis & Licia crinibus addunt.

Sed probè diſtinguendæ *Vittæ, Tæniæ, Infulæ*, & *Suffibulum*. INFULA, Servio & Iſidoro teſtibus, faſcia Sacerdotum fuit, diadematis ad modum exornata; VITTÆ, quibus vel Infula, vel fluentes religantur capilli, à vinciendo dictæ; & TÆNIA vittæ dependentis extremitas. Nihil horum Suffibulo convenit. Nihil in Gemma noſtra viſitur, niſi ſub Suffibulo elegantiſſimi Comarum Cincinni, & veneranda Virginis effigies. Ad Comas ſubit *Acus Crinalis* aut *Comatoria*, quæ, ſi conjecturæ Oiſelii credis, ad effigiem VESTÆ P.R. QVIRITIUM viſitur. Ad effigiem ſubit Virginum Veſtalium ætas. Noſti ARCHÆOPHILE, Virgines Veſtales capi ſolitas: Noſti capi ſolitas initio à Rege, poſtea à P. M., cujus proinde *amatæ* dicebantur, & quidem *Patrimæ* & *matrimæ*; imò quod ad ætatem attinet, ſecundum Labeonem Antiſtium apud A. Gellium, minorem annis VI. & majorem annis X. capi nefas fuiſſe: Noſti triginta annos in Sacerdotio exigere debuiſſe, Ritus Sacros primô decenniô diſcentes, ſecundô adminiſtrantes, tertiô docentes; indeque facilè mecum agnoſces, non Virginitatem tantùm, ſed & ætatis vigorem Deæ dicatas fuiſſe, eòque minus easdem in Gemma miraberis, quô gratioſiore adſpectu nobis oculos recreant.

Hæc equidem libens agnoſco, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed miror, cùm Veſta vetula fuerit, ſecundum Virgilium, qui eam *Canam* vocat, quâ ratione Virgines ſacerdotes habuerit? Idque tam rigidô ſanctimoniæ decretô, ut

quæ

quæ vitiata fuiſſet, ante portam Collinam viva defoderetur? Cur Virgines, inquit DULODORUS, Veſtæ ſacerdotio præficerentur, Plutarchus in Vita Numæ tradit, id factum conjiciens, vel ob puram & incorruptam, vel ob ſterilem & infœcundam ignis naturam. Prius, inquit ARCHÆOPHILUS, admittere poſſem, ſed an poſterius? valdè equidem dubitem; Quid enim? Annon ideò potiùs effœtis & vetulis id ſacerdotium debuiſſet conferri? Aliam adhuc, ſubjecit DULODORVS, Cicero rationem ſuppeditat Lib. II. de Leg. Veſtæ, inquit, colendæ Virgines præſunt ut advigilent facilìus ad cuſtodiam ignis. Hæc de ætate quidem valere poſſent, regeſſit ARCHÆOPHILUS, de Virginitate valere non poſſunt, unde unicæ puritati ignis inhærendum arbitrer, quod à corrupta muliere ut cuſtodiretur indignum fuerit viſum, idque eò magis, quò apertius conſtat, flagris exceptam, ſi quæ minus diligenter ignem cuſtodiviſſet. Sed age, quæ tam rigidis legibus ſuberant, annon & inſolitâ honorum præeminentiâ fulſerint? Veneranda ſanè etiam in Gemma faciei majeſtas, nihil vulgare promittit. Authoritas & honores, inquit DULODORVS, undiquàque maximi fuêre. Interventu earum graviſſima diſſidia compoſita: Fidei teſtamenta etiam Cæſarum credita: Authoritate Tribunorum ferocia fracta: Sanctitati Conſulum faſces ſubmiſſi: In Ludis peculiares loci aſſignati: In publico Carpentis aut Pilentis vectæ: Quæ omnia vel exemplis, vel idoneis Authorum teſtimoniis demonſtrari poſſent, niſi jam nimium benevolas aures onerâſſem. Succedit

SACRUM
PALLADI ARTIUM INVENTRICI
oblatum.



in Cameo.

QVod Palladem arguere poſſit, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, nihil hîc conſpicio. Ara quidem in medio viſitur, eique hinc adjacens, inde adſtans Fœmina, quarum illa neſcio quid manu tenet, hæc autem tibias inflat. A tergo prioris neſcio quod Ædificium exſurgit, & poſt ædificium Arbor, cui Crumena, appenſa eſt. Ex crumena, Mercurio hoc ſacrificium tribuerem, niſi fœminæ potius ad Priapum id reducerent: Crumenam ſcilicet, quàm ab arbore ſuſpenſam cernimus, ὄρχιν putarem, ſive teſticulum, quem vel Veneri aut Priapo oblatum, vel etiam divinis honoribus cultum, quidni ritè credamus? Eâdem ſcilicet ratione, quâ & virilia culta, & Veterum authoritate adſtruitur, & ex aliis Antiquitatis monumentis conſtat. Exemplo ſit ſacrificium Caligulæ apud Leonh. Auguſtinum, in quo non ipſe tantùm Imperator nudus, ſed & ſorores ejus Phallo ad columnam expreſſo, thura adolent. Egregiè cauſam tueris, excepit DULODORVS. Si vel Phallum in Gemma viderem, vel etiam ὀρχεῖς cultos, aut Diis oblatos,

oblatos, audiſſem & ipſe tecum ſentirem, cùm autem neutrum hactenùs clareſcat, ad obſcœna Gemmam detorquere pudet. Id quod Crumenæ inſtar ab arbore dependet, ego non ὄρχιν, ſed omninò Crumenam lucri indicem arbitrer, ſive glomus in ea ſit, ſive pecunia nendo collecta. Noſti ARCHÆOPHILE, Palladem, uti artium cœterarum, ita & Textoriæ & Lanificii inventricem eſſe. Qvid igitur mirum, ſi fœmina, artis quæſtum Deæ offerens, hîc agnoſcatur? Crumena opinionis baſin ſuggerit; Talem enim, qualis hîc ab arbore dependet, in Foro Palladio, inter Admiranda Romanæ Statuariæ, non ſemel videas. Celeberrimus Bellorius & ipſe Crumenam interpretatur, affictamque ob quæſtum cenſet, procul dubio, quem nendo puellæ paraverint.

In Foro Palladio, excepit ARCHÆOPHILUS, & Colus & Fuſus adjecti ſunt, imò tota ſeries ad Textoriam pertinet, Palladisque inventum ipſa Pallas demonſtrat, quam affictam cernimus; Quid autem in Gemma rei index eſſe poſſit? An ſola Crumena, quam tamen Mercurio propriam novimus? Non ſola Crumena, reſpondit DULODORUS, ſed omnium, quæ in Gemma viſuntur, amica conſpiratio. Arbor Oleam refert, quam Pallas, percuſsâ cuſpide terrâ eduxiſſe, Ovidio Met. VI. fab. 19. memoratur: Ædificium, tanquam pars Septizonii, Palladis arces, quas eam condidiſſe & coluiſſe, vel ex trito illo intelligas:

— *Pallas, quas condidit, arces*
Ipſa colat.

Athenis ſanè Palladem arcem obtinuiſſe, Pauſanias author eſt, & abundè conſtat ab Urbibus Πολιάδα & Πολιοῦχον dictam: ut fabros taceam, quos à Pallade primò edoctos, Homerus in Hymno in Venerem cecinit:

Πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίους ἐδίδαξε.

De his, inquit ARCHÆOPHILUS, fateri cogor, ſed de fœmina, ad aram tibias inflante, dubium movet Minervæ factum, quô tibias abjeciſſe memoratur. Et Hyginus, & Fulgentius rem enarrant, retulit DULODORUS, ſed uterque etiam tibias à Minerva inventas docent, adeò ut vel hinc ratio tibiarum conſtare poſſit. Factum Minervæ tibias quidem ab ore Deæ removit, non autem ab ore cultorum Deæ. Veriſimiliter rem exſequeris, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Si de altera adhuc fœmina docere poſſis, non amplius gravabor Tuæ ſententiæ aſſurgere. Quid? an hæc Minervæ cultrix credatur, induſtriæ Præſidis? cùm tamen ſedens ignaviam prodat? & neſcio quô habitu, quâve geſticulatione aliud quidvis potius innuat? Subriſit DULODORUS, & ſi huc, inquit delabimur, negotium jam confectum erit. In hac enim fœmina alterum à Crumena, & quidem firmius pro me argumentum radiat. Noli quiete offendi: Poſt labores etiam Minerva quievit. Noli offendi geſticulatione: Non geſticulatur, ſed Colum tenet, futuri adhuc laboris indicem. Si aliud nihil, certè unus hic ad Fœmineas Minervæ artes Gemmam noſtram deduceret.

Sed ſatis DACTYLIOTHECÆ datum! Superſunt quidem, quæ fortaſſis adhuc delectare poſſent, cùm autem & vulgaria contineant, & Antiquitatis nec ipſa indubitatæ ſint, verearque inſuper, ne ſupercilio Cenſorum etiam hactenus gravis fuerim, omninò hîc ſubſiſtendum arbitror. Me non invito id fiet, inquit ARCHÆOPHILUS, non quod ſatietas me ceperit, quis enim tam divites inter Theſauros non hydropicos æmuletur, de quibus Pelignus:

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ?

Sed quòd etiam amœniora ſtudia ſua requirant intervalla. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, nam fides aſſiduè tenſa, niſi remittatur, rumpitur, & qui al-

ternis agit, non tantùm, Palæmone teſte, Muſis gratus eſt, ſed etiam robuſtior ad conſtitutum revertitur.

Me, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non Antiquitas tantùm, ſed & ſplendor novitatis agitat; Ubi Muſis litavi, quid mirum, ſi & Gratiis me devotum ſiſtam? Aliquoties id jam factum eſt. Regiam Electoralem contemplatus ſum: Contemplatus ſum Regiam illam Fridericiani Pontis Magnificentiam; Imò Urbem totam, quàm latè patet, quàm multiplici Pomœrio includitur, quàm excelſis Palatiis ſuperbit. An etiam Regiæ interiora? ſubjecit DULODORUS. Omninò, reſpondit ARCHÆOPHILUS, & miror adhuc rariſſimarum Tabularum immenſam copiam, Auri & Argenti ſtupendam ſupellectilem, Aulæorum ineffabile artificium. An etiam *quatuor* illas *Pyramides* vidiſti? perrexit DULODORUS, quæ intimum Electoris Conclave exornant? an etiam ingentem illam *Baſilicam*, in qua SERENISSIMO ELECTORI noſtro non tantùm Nobilitas Marchica ante Sexennium HOMAGIUM præſtitit, ſed & nuper MONARCHA BRITANNICUS per Regium Oratorem, ſolenni & digno tantâ Majeſtate apparatu, ORDINEM AUREÆ PERISCELIDIS contulit. An etiam hæc vidiſti? Non vidi, inquit ARCHÆOPHILUS. At operæ pretium erit, ſubjecit DULODORUS. Impende, quod diei reliquum eſt, & cras, ubi convenerimus, quomodo Tibi placuerint, expone. Hæc ubi dixiſſet, Gemmas rurſus compoſuit, dimiſsôque ad conſtitutum ARCHÆOPHILO, domum & ipſe digreſſus eſt.

Iderat æthereis miranda Palatia Gazis,
Lataq́ insomnem versârat imagine noctem:
Mox primâ redeunte die, Phœboq́ sereno,

Rediit, ad DULODORUM, ARCHÆOPHILUS, saluteque mutuò datâ, quàm verè, inquit, Magnificentiam Basilicæ jactâsti, quàm verè *quatuor Pyramidum*, quas SERENISSIMUS in ultimo Conclavi asservat, divitias? Ægyptus Pyramidum magnitudinem jactat; At hæ pretioso jubare vel maximas superant. A basi quippe, ad apicem usque Naturæ miracula visuntur, non rudi opere, sed præstantissimô Celeberrimorum Artificum cœlô, vel historiis exornata, vel in varias animantium species efformata. In *prima* sunt Vasa Chrystallina, & inter hæc Draco, longitudine cubitali, tam nativis ductibus expressus, ut ad artem nihil, nisi color & motus, desit. Non minor est Magnificentia *secundæ*. Vasibus ex Achate oneratur, non numerô tantùm mirandis, sed & artificiô & magnitudine pretiosissimis. *Tertia* Auri puri Supellectilem exhibet, & pondere gravissimam, & Gemmarum, etiam antiquarum, segete non tàm distinctam, quàm opertam. *Quarta* Vasibus Argenteis resplendet, priscorum modernorumque Opificum, & maximis, & rarissimis. Quicquid Natura pretiosum, quicquid ars, Naturæ famula, pulchrum exhibere potest, id hîc augustissimis Electoralium Pyramidum contignationibus expositum vidi. Vidi *Regio Solio* contiguum *Solium Electorale*, in quo FRIDERICUS III. Gloriossimus S. Romani Imperii Archi-Camerarius, *Periscelidis aurei* honore affectus est. Ostensa mihi sunt MONARCHÆ BRITANNICI Insignia, Insignibus BRANDENBURGICIS sociata. Ostensus locus, in quo Orator, in quo & Aulæ Proceres, sua quisque tam Augusta in Solennitate subivit munia: Narrata sunt verba, quibus Regius Ordo collatus est: Depicta Magnificentia, tàm Convivii, quàm Pyrotechnicæ, quâ Gloria & *Electoralis* & *Britannica* fulsit. Mirabar spacioſam Basilicæ aream. Mirabar exactissimas picturarum elegantias, sed magis miror Augustam *Electorum Brandenburgicorum* seriem, quæ Statuis ad utrumque latus fulget, ex marmore artificiosissimè exsculptis. FRIDERICUS I. Virtutem spirat, quâ Electorales, non honores tantùm, sed & Ditiones meruit. FRIDERICUS II. Magnanimitatem, quâ Coronis se superiorem ostendit. ALBERTUS fortitudinem, qua M. Alexandrum

andrum æmulatus eſt. JOHANNES Eloquentiam, quâ Ciceronis inſtar, Imperii Numina flexit. JOACHIMUS I. Sapientiam, quâ Parnaſſi Culmina fundavit, JOACHIMUS II. Pietatem, quâ Religionis puritatem amplexus eſt. JOHANNES GEORGIUS Prudentiam, quâ Paci Belloque proſpexit. JOACHIMUS FRIDERICUS Juſtitiam, quâ ſuam ſuorumque quietem vallavit. JOHANNES SIGISMUNDUS Felicitatem, quâ ad augurium Cœli mortales beavit, GEORGIUS WILHELMUS Dexteritatem, quâ Martios furores eliſit. Et quid de FRIDERICO WILHELMO dicam, cujus merita candidior fama ad utrumque Polum decantat? Quid de FRIDERICO III. qui hodiénum Majorum ſuorum veſtigia ſuperat, & in terris æternitatis decoribus radiat? Quid dices? inquit DULODORUS, ſi non vera hæc eſſe, Priſcorum Regum dicam, an Heroum? ſimulacra, quorum & in Antiquitatum noſtrarum deliciis ectypa fulgent. In Macedoniam mecum deſcende. Ecce! occurrit

ARCHELAUS,
QVI
MACEDONIAM
Tum aliis, tum apparatu bellico, armisque, & equis exornavit.



NUmiſma hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, ad meritum Archelai Te retuliſſe memini; Sed liceat, quod ſentio, fateri. Mihi nondum apparuit ratio, cur Regi Macedoniæ id addiceres, imò potius ſunt, quæ aperte videntur negare. Archelai, non in Macedonia tantùm, ſed & alibi Regio in faſtigio fulgentes, rem dubiam faciunt: Et Diadema, quod Archelaus in Nummo præfert, non Macedonico, nam ejus tempore Diadema adhuc ignotum erat, ſed ſi non Lacedæmonio, Ageſilai filio, de quo Pauſanias: vel Regi Judææ, filio Herodis, de quo in Sacris Matth. 2. certè tamen uni Regum Cappadociæ addicendum clamat. Horum tempore Diadema jam dudum invaluerat, & equus notiſſimam Cappadocum gloriam poterit deſignare, cùm de his Nemeſianus:

Cappadocumque notas referat generoſa propago.
Illis ampla ſatis lævi ſunt æquora dorſo,
Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro
Altus bonos, oculique vago ſplendore micantes:
Plurima ſe validos cervix reſupinat in armos,
Nec pes officium ſtandi tenet. Ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animoſa fatigat.

Quid magis ad Nummum quadrare poterit, in quo equus expreſſus eſt, pede ſublato, terram quaſi pulſans? De Equis Cappadociæ, reſpondit DVLODORVS,

RVS, res clarior est, quàm ut negari possit; At Archelaum Cappadocem, aut alium quemcunque hoc Numisma percussisse, non evincunt. Idem enim habitus equi etiam in Alexandri, & Ptolemæi Aloritæ, & Perdiccæ Nummis occurrit. Hos quis Macedoniæ Reges negabit? Et si fuerunt, quidni ex eodem equi habitu, eâdemque signandi ratione ritè concludas, Numisma hoc non alii, quam Archelao Macedoniæ deberi? Sed fortius argumentum subit; Non Equus tantùm in censum venit, sed & Quadrum illud, quod Equum includit: Tune hoc otiosum arbitraris?

Arbitror, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid enim sub eo Tibi imagineris? Quid? respondit ille, si non Macedoniæ situm? Situm! exclamavit ARCHÆOPHILVS. Fortasse quòd in quatuor partes Macedonia divisa fuit? Non hoc, excepit DULODORUS, sed ut clariùs loquar, ipsam Macedonicorum limitum figuram. Conjectura hæc est, ridens subjecit ARCHÆOPHILVS, cui nescio an unquam fides accessura sit. Fidem, respondit DULODORUS, jam faxo mihi habeas. Age! Quadratum hoc, nonne est parallelogrammon? ut Mathematici loquuntur: aut quod idem est, nonne lineis componitur à se invicem æqualiter distantibus? Id nemo negaverit, inquit ARCHÆOPHILVS, sed hoc non de Nummo, sed de Macedoniæ finibus probandum. Id agam, respondit DULODORVS. Strabonis authoritas pro me est, en verba in excerptis Lib. VII. in fine: Ὅτι ἡ Μακεδονία περιορίζεται, ἐκ μὲν δυσμῶν τῇ παραλίᾳ τοῦ Ἀδρίου. Ἐξ ἀνατολῶν δὲ τῇ παραλλήλῳ ταύτης μεσεμβρινῇ γραμμῇ, τῇ διὰ τῶν Ἐκβολῶν Ἕβρου ποταμοῦ καὶ Κυψέλων πόλεως. Ἐκ βυρρᾶ δὲ τῇ νοουμένῃ εὐθείᾳ γραμμῇ τῇ διὰ Βερτίσκου ὄρους, καὶ Σκάρδου, καὶ Ορβήλου, καὶ Ροδόπης, καὶ Αἵμου. Τὰ γὰρ ὄρη ταῦτα, ἀρχόμενα ἀπὸ τοῦ Ἀδρίου, διήκει κατὰ εὐθεῖαν γραμμὴν ἕως τοῦ Εὐξείνου, ποιοῦντα χερρόνησον μεγάλην πρὸς νότον, τήν τε Θρᾴκην ὁμοῦ καὶ Μακεδονίαν καὶ Ἤπειρον καὶ Ἀχαΐαν. Ἐκ νότου δὲ τῇ ἐγγυτάτω ὁδῷ, ἀπὸ Δυρραχίου πόλεως πρὸς ἀνατολὰς ἰούσῃ ἕως Θεσσαλονικείας. Καὶ ἔστιν τὸ σχῆμα τοῦτο τῆς Μακεδονίας, ΠΑΡΑΛΛΗΛΟΓΡΑΜΜΟΝ ἐγγύτατα. *Macedonia finitur ab Occasu, littore maris Adriatici: Ab Ortu autem lineâ meridionali, huic parallelâ, per ostium Hebri fluvii & Urbem Cypselorum: Ad Boream lineâ rectâ per montes Bertiscum, Scardum, Orbelum, Rhodopen, & Hæmum. Hi enim montes ab Adriatico mari incipientes, pertingunt ad lineam rectam usque ad pontum Euxinum, faciuntque versus Austrum Chersonesum magnam, Thraciam, Macedoniam, Epirum, & Achajam simul sumtas. Versus Austrum viâ ab Urbe Dyrrachio versus Ortum usque ad Thessalonicen protensâ. Et est figura hæc Macedoniæ* PARALLELOGRAMMON *propemodum.* Quid videtur ARCHÆOPHILE? an assertum ritè demonstravi? Fateor, inquit ille, indeque de merito Archelai hoc in Numismate expresso, non amplius dubitabo; Equus enim in parallelogrammo, Macedoniæ symbolo, quid aliud adumbret, si non Macedoniam equis adornatam? id quod Archelaum fecisse, ex Thucydide docuisti.

At mihi, inquit DULODORVS, non tantùm Equi, sed omnis apparatus, & Pacis & Belli, sub Equo hoc latere videtur, idque secundum notissimum Anchisæ effatum, apud Virgilium Lib. III. Æn.

Bello armantur Equi. Bellum hæc armenta minantur;
Sed tamen hæc eadem curru succedere sueti,
Spes est Pacis, ait.

Archelaum certè non Equos tantùm, sed & omnem, & pacis, & belli, apparatum in Macedonia adornâsse, ex allegato Authore constat. En verba! Ἀρχέλαος ὁ Περδίκκου υἱὸς, βασιλεὺς γενόμενος, τὰ (τείχη) νῦν ὄντα ἐν τῇ χώρᾳ ᾠκοδόμησε, καὶ ὁδοὺς εὐθείας ἔτεμε, καὶ τ' ἄλλα διεκόσμησε, τότε κατὰ τὸν πόλεμον ἵπποις καὶ ὅπλοις, καὶ τῇ ἄλλῃ πα-

λὴ παρασκευὴ κρείσσονι ἢ ξύμπαντες οἱ ἄλλοι βασιλεῖς ὀκτὼ, οἱ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι. *Archelaus Perdiccæ filius, Regno potitus eas, (munitiones) quæ nunc in ea regione exſtant, ædificavit, &* VIAS RECTAS *ſecuit, & tum* ALIA *digeſſit, tum etiam rem militarem,* EQVIS, *armis, & reliquo belli apparatu, longè melius quàm cæteri Reges octo, qui eum anteceſſerant.*

Hæc abundè inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILVS, & relinquerem Numiſma, niſi adhuc de Diademate mihi dubium hæreret. Quod de Diademate moves, reſpondit DULODORVS, id jam à me dilutum eſt, ſcio Juſtinum Diadema, Regibus Macedonibus inſolitum, ab Alexandro aſſumtum, narrare; Sed diſtinguendum inter Macedonicum & Perſicum. Macedonicum etiam ante Alexandrum Magnum in uſu fuiſſe, ex his ipſis Numiſmatibus patet; Perſicum autem Alexandrum aſſumſiſſe, aperto Diodori teſtimonio docemur. Verba ita habent: Εἶτα τὸ, τε ΠΕΡΣΙΚΟΝ ΔΙΑΔΗΜΑ περιέθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα, καὶ τὴν περσικὴν ζώνην, καὶ τ' ἄλλα, πλὴν τῶν ἀναξυρίδων, καὶ τοῦ κάνδυος. &c. *Quin &* PERSICUM DIADEMA *capiti impoſuit, candidamque tunicam, cum baltheo, Regibus Perſarum uſitato, & cæteris, præter femoralia & Candyn, quem vocant, induit.* Hæc Diodorus, ad cujus mentem utique & Curtius Lib. VI. c. 14. PURPUREUM DIADEMA, inquit, *albo diſtinctum,* QVALE DARIUS HABUERAT, *capiti circumdedit.* Vides ARCHÆOPHILE, Diadema Perſicum Alexandrum non tantùm aſſumſiſſe, ſed & colore à communi id fuiſſe diverſum, commune enim candidum erat, Perſicum autem, authore Curtio, purpureum albo diſtinctum.

Si res ita ſe habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, miror quomodo Jacobus de Wilde Diadematis uſum antiquioribus Græcis ex his ipſis Juſtini & Curtii locis abjudicare fuerit auſus: Imò quî à Macedonibus ab Oriente adductum, tandemque & Diadema, quod Diodoro *Perſicum* audit, Herodiano *Macedonicum*, & Lucano *Pellæum* vocatum eſſe, aſſerere non dubitaverit. Leve tamen dubium & mihi adhuc ſedet. Memini Te Diadema Perſicum & Macedonicum non colore tantùm, ſed & odore diſtinxiſſe, idque ex Athenæo, qui tamen non videtur addicere. Inſpiciamus verba! Καὶ τὸ παράσημον δὲ ὃ ἐπετίθεντο τῇ κεφαλῇ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, οὐδ' αὐτὸ ἠρνεῖτο τὴν τῆς ἡδυπαθείας ἀπόλαυσιν. Κατεσκευάζετο γὰρ ὡς φησιν Δίνων, ἐκ σμύρνης, καὶ τοῦ Καλουμένου λαβύζου. εὐώδης δ' ἐστὶν ἡ λάβυζος, καὶ πολυτιμώτερον τῆς σμύρνης. *Inſigne verò, quod ſuis capitibus Reges Perſarum imponunt, voluptatem eos captaſſe, minimè negat. Quod enim ſcribit Dinon, id ex myrrha conficiebatur, & odore illo, quem Labyzon nuncupant. Suaviter quidem Labyzus olet, & multò pretioſior eſt, quàm Myrrha.* Hæc Athenæus, non de Diademate, ſed de παρασήμῳ, *inſigni*, loquitur, & inſigne illud *Cidarim* dictum, Curtius teſtatur; Cidaris autem non erat Diadema, ſed pileus, quadrangulari formâ, uti Alexander ab Alexandro docet, & probat Tiraquellus ex Dionyſio Halycarnaſſæo. Fallitur Tiraquellus, reſpondit DULODORVS, non minus ac ipſe Alexander ab Alexandro, non tantùm quando Cidari quadrangularem formam aſſignat, ſed etiam quando Candyn, Perſarum Lydorumque inſigne Regium, pro Diademate fuiſſe, aſſerit. Candyn enim *Regiam veſtem* vocat Arrianus L. VI. de Cyri Sepulcro locutus: Et Dionyſius Halycarnaſſæus non de Cidari, ſed de περιβολαίῳ πορφύρῳ ποικίλῳ, *purpureo amiculo* loquitur, idque ait *tale fuiſſe, qualia Lydorum atque Perſarum Reges geſtârunt, niſi quòd non quadrata, ut illa, ſed figurâ ſemicirculi fuerunt:* additque, *id veſtimenti genus Romanis Togam, Græcis* Τέβεννον *dictam.* Quid hîc de Cidari inſigni Regio? quam aliter *Tiaram* dixére, pileique inſtar elevatam geſtârunt? Etiam ſic à Diademate Cidaris diverſa erat, excepit ARCHÆOPHILUS, indeque ratio, à Te ex Athenæo adducta, evaneſcit. Nullo modo, reſpondit DULODORUS, Cidaris enim non ſola

Regium

Regium παράσημον fuit, ſed & Faſcia illa, quæ Cidarim, teſte Curtio, circuibat. Hæc Faſcia idem utique erat, quod alibi Diadema, quô nomine etiam à Curtio & Diodoro dicitur. Videri poteſt utrumque in Numiſmate Tigranis Regis Armeniorum, apud Clariſſ. Vaillant, de Regibus Syriæ: Et inde conſtat, Athenæi locum ad Diadema me ritè adduxiſſe, adeòque Diadema Perſicum, à Macedonico etiam odore diſtinctum fuiſſe.

Ignoſce DULODORE, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi unicum adhuc ex Te quæram, licet fortaſſe à Numiſmate alienum, tamen ob rei cohærentiam non prætereundum: An ſcilicet Alexander tantùm Diadema, an verò etiam Cidarim aſſumſerit? Utrum credas, reſpondit DULODORVS, authoritas non deerit; Prius enim non tantùm ex allegatis Authoribus, ſed etiam ex Plutarcho adſtruxeris: Nam expreſſis verbis *Tiaram*, *Candyn*, & *Anaxyridas*, à habitu ab Alexandro aſſumto, excipit, idque duobus in locis, *primò* de Fortuna & Virtute Alexandri, & *iterum* in Alexandri Vita; Poſterius autem ex Authoribus diſcas, Per-Ill. *SPANHEMIO* jam dudum eam in rem citatis, Luciano ſcil. apud quem in Dialogis mortuorum, Philippus pater Alexandro exprobrat, quòd Cidarim aſſumſerit: & Arriano, qui Cidarim Perſicam, cum ornatu, quem ipſe olim Victor geſtare ſolebat, commutare Alexandrum non erubuiſſe, memorat. Locus eò magis inſpici meretur, quô apertiùs ad diſtinctionem à me ſuprà propoſitam & hactenus defenſam facit. Sed nimiùm extra limites vagamur. Ad Numiſmata reſpicere par eſt. Subit

AMYNTAS,
PHILIPPI ΘΑΡΡΑΛΕΟΥ FILIUS,
Juſtam Succeſſionem, & Regni decora jactans.

ATqui aliud, inquit ARCHÆOPHILUS, ad hæc Numiſmata Te memini ſtatuiſſe. Sub Aquila, niſi fallor, ipſum Regem ad Regnum reſpicientem, ſub Equo autem Theſſalorum opem contemplatus es, quâ in Regnum reſtitutus memoratur. Prius, reſpondit DULODORVS, adhuc locum habere poteſt, quanquam de alio tempore; at poſterius vereor ne adjecta Macedoniæ figura prohibeat. Sed non in hoc tantùm ab opinione mea recedo, imò & in effigiebus eſt, quod aliter ſentio. Effigiem Numiſmatis primi imberbem, Herculis arbitrabar eſſe; at nunc ipſius Amyntæ judico, eô potiſſimum argumentô, quòd lineamenta cum effigie barbatâ ſimillima, utraque autem ab Hercule diverſiſima ſint.

Scio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, caput barbatum, cùm Herculi tribueret Nonnius, Te Amyntæ vindicâſſe, ſed quid ad rem, ſive caput imberbe Herculi, ſive Amyntæ tribuas? annon Herculis, tanquam Regii Progenitoris honos adhuc ſub Leonis ſpoliis durat? Omninò, reſpondit DULODORUS.

Eò

Eô enim insigni se legitimam Regii Stemmatis prolem, justumque Regni hæredem Amyntas tulit. Sed aliud subesse videtur. Si Herculem sub capite imberbi agnoscam, ritè Numisma, quod & me fecisse memini, ad Amyntam ætate provectiorem extendere potero, quâ ingentem ab Illyriis cladem passus, ad Hellopidæ dictum, honestissimam sepulturam Imperium esse, vires resumsit, universamque Macedoniam denuò subegit; Si autem caput imberbe ipsius Amyntæ arbitrer, quod nunc facio, omninò ad Juventutem ejus referendum est, quam Numisma præfert.

Atqui tunc, inquit ARCHÆOPHILVS, adhuc apud Sitalcem Amyntas latuit, nec nisi post Archelaum, Successoresque ejus, ad imperium pervenit; Quî igitur fieri potest, ut Macedoniæ typum ea ætate signaverit? Eâdem, respondit DULODORUS, id fecisse credi potest ratione, quâ hodiénum Principes insignia Regnorum retinent, licet iniquitate fortunæ Regnis exciderint; Quanquam Amyntas non omninò Regno caruisse, sed eam Macedoniæ partem, quæ ipsi hæreditaria fuit, etiam in juventute videatur recepisse. Id ex Thucydide mihi videor probare posse. Ita enim Lib. II. ubi de Sitalce, Thracum Rege, Perdiccæ patri Archelai, ut Amyntam restitueret, bellum inferente: Ὁ δὲ στρατὸς τῶν Θρᾳκῶν ἐκ τῆς Δοβήρου ἐσέβαλε πρῶτον μὲν ἐς τὴν Φιλίππου πρότερον οὖσαν ἀρχήν, καὶ εἷλεν Ἐδομένην μὲν κατὰ κράτος, Γορτυνίαν δὲ καὶ Ἀταλάντην καὶ ἄλλα ἄττα χωρία, ὁμολογίᾳ, διὰ τὴν Ἀμύντου Φιλίαν προσχωροῦντα, τοῦ Φιλίππου υἱέος παρόντος. *Exercitus Thracum Dobero profectus, primùm quidem irrupit in Regnum, quod Philippi prius erat, & Idomenen quidem per vim cepit, Gortyniam verò & Atalantam, & alia quædam Oppida in deditionem ac fidem recepit, quæ se ipsi adjunxerant ob amicitiam Amyntæ, qui erat Philippi filius, & qui aderat.*

Sed hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, non probant, Amyntam eam partem recepisse, multò minus retinuisse; Idem enim Author testatur, Sitalcem, cùm Macedoniam vastâsset, pace cum Perdicca compositâ, agmen in Thraciam reduxisse. Nonne potuit reducto Amynta id fecisse? regessit DULODORUS. Diodoro Siculo certè Thraces non tantùm Macedoniam ingressi, sed & καταγαγόντες τὸν Ἀμύνταν ἐπὶ τὴν βασιλείαν, *Amyntam in regnum reducentes*, id fecisse memorantur, idque primò quidem pacificis legationibus, post autem & robore militari. Et licet etiam hic pacem postea cum Perdicca memoret restitutam, Amyntam tamen eâ exclusam non memorat: Imò potius partem suam eum retinuisse, vel inde colligas, quòd apud eundem Authorem, cùm altùm in sequentibus Amyntæ silentium fuisset, sub Olymp. 96. anno 4. Urbe sua, ἐκ τῆς πόλεως, excidisse memoratur, quod utique fieri non potuisset, si Urbem antea non tenuisset: Imò quòd dicitur tunc, ἀπογνοὺς τὴν ἀρχὴν, *desperans imperium*, Olynthiis agrum donâsse; Quomodo enim tunc demum desperare imperium potuisset, si hactenus non sperâsset? Et quomodo sperare potuisset auxilio destitutus, si non propriis viribus? Quomodo se contra Archelai insidias tueri? Quomodo cum Successoribus belligerare? Alterum sanè ex successione, alterum ex Solino intelligas, qui *post Archelaum, Macedonum rem dissensione jactatam, in Amyntæ Regno stetisse*, asserit. Ex his utique non abs re credas, duos Amyntas, *secundum* scil. & *tertium*, quos Eusebius post Archelaum memorat, non alios fuisse à *quarto*, cujus hîc Numismata exponimus: Idque eò magis, quò apertius Diodorus, fuisse asserit, qui scribant, post Amyntam Regno expulsum, Argeum Macedoniæ Regno per biennium esse potitum, & tunc demum Thessalorum ope, id ab Amynta esse recuperatum. Sed quorsum hæc? nempe ut ostendam Amyntam etiam in juventute Numismata percutere potuisse, & Aquilam in Macedoniæ typo respicientem, ritè de Rege in partem quidem restituto, ad reliqua autem respiciente posse intelligi.

At

At niſi fallor, inſit ARCHÆOPHILUS, non hoc ſtatuis, ſed Regni decora Amyntam his in Nummis jactare. Quid? an Macedonia Aquilarum ferax, uti fuit Equorum? De Aquilis in Macedonia non inſolitis, reſpondit DULODORVS, teſtari poteſt exemplum Ptolemæi Lagi filii, quem ab Aquila nutritum conſtat; Sed concurrit Aquila Jovis miniſtra, idque duplici ſenſu, vel ob Jovis cultum, quem in Macedonia veterrimum Authores tradunt, vel etiam & quidem præcipue ob Macedoniæ etymon, quòd eam à Macedone, Jovis & Thyiæ filio dictam, Stephanus & Conſtantinus Porphyrogeneta ex Heſiodo aſſerant. Forſitan etiam ad ſtratos à Jove ad Pallenem, Urbem Macedonieam, Gigantes reſpicias; Ea certe in pugnâ Macedones ſoli Jovi auxilio fuiſſe, ex libro Diodori ſexto Annius Viterbienſis, ad Beroſum de Regibus Aſſyriorum, aſſerit. Si hûc reſpicias, eleganter Amyntas ſe Jovi, Archelaum autem ejusque progeniem Gigantibus contulerit, ſimulque Macedones, ut ſibi ſuccurrerent antiquâ gloriâ excitaverit. Certè ut Jupiter cum Gigantibus, ita & Amyntas cum his & belligeravit, & Victor exſtitit.

Ad Equum mihi adhuc dubium eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cùm enim res bellica ſequentium Regum ſocordiâ adeò emarcuerit, ut & Amyntas imperio facile fuerit dejectus, & facilè reſtitutus: Cùm inſuper apparatus belli pacisque non Amyntæ, ſed Archelai meritum fuerit, tutiùs mihi videor in Theſſalorum auxiliis ſubſiſtere. Mihi contrà, reſpondit DVLODORVS; Cùm enim Amyntas damnum, ſocordiâ aliorum Macedoniæ illatum, ſuô ipſius infortuniô facilè animadvertere potuerit, credibilè ſanè eſt, eidem eum & remedium attuliſſe, idque eò magis, quò certius conſtat XXIV. annos eum totam deinceps Macedoniam obtinuiſſe, imò & filios ejus eandem gloriam eôdem in Numiſmatibus ſchemate jactaſſe. Succedit

PHILIPPUS,
OB VICTORIAS,
Non Phocenſem tantùm, ſed & alias,
coronatus.



PHilippi Numiſmata, excepit ARCHÆOPHILUS, trita ſunt, & ſufficienter à Te illuſtrata. Propoſita memini de victoriis, *Phocenſi* & *Currulibus*, Te explicaſſe, quarum illam ſecundum Juſtinum, Laureâ ſumtâ contra Sacrilegos obtinuit, has autem, teſte Plutarcho in Olympicis obtentas, Numiſmatibus impreſſit: Quid poſt tam apertam hiſtoriæ cum Nummis convenientiam dici poteſt? Multùm, inquit DVLODORVS. Et primò quidem dubitari poteſt, an Laureâ, an Oleâ Philippus coronatus ſit? Si pro Laurea ſententiam feras, victoriæ quidem de Phocenſibus locus dabitur, ſed non ſoli: Si pro Olea decernas, tunc equidem ſub Bigis victorias Olympicas intelligere poteris, ſed omninò excludetur hiſtoria illa de ſubactis Laureæ conſpectu Sacrilegis.

Dubium hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, tanti momenti non eſt, cùm inſertæ foliis baccæ, Lauream indubiè evincant. Baccas, reſpondit DULODORUS, in quibusdam eſſe, inficias ire non poſſum, ſed in propoſitorum altero non viſuntur. Ut taceam folia, quæ tenuitate ſuâ in quibusdam Oleaginis propiora ſunt, quàm Laureis. Sed eſto, ſit Laurea! an inde evincas indubitato, hanc de Phocenſibus Victoriam ſolam eâ adumbrari? Victoriam de Phocenſibus obtinuit annô imperii octavô, ſi Diodoro credimus; At annô imperii tertio, eôdem teſte, jam aureum Numiſma, à ſe denominatum, percutere cœpit, quod utique Numiſmatibus egregiè firmatur, in quorum quibusdam juvenilior, in alus autem virilior ejus effigies viſitur, adeò ut minimùm in iis, ubi juvenilior eſt, aliam Victoriam, Illyricam puta, quam annô imperii ſecundô obtinuit, ſub Laurea intelligere debeas. Conſtat Lauream Victorum inſigne eſſe, & Philippum de Illyriis adeò gloriatum, ut & tropæum erexerit, Diodorus author eſt. Et quid? Nonne in iis, ubi virilior viſitur, etiam Victoriam de Athenienſibus Tibi imagineris? cùm etiam de his legatur, non tantùm tropæum erexiſſe, ſed & coronis ſe ornâſſe? ut victis ſcilicet eo magis inſultaret, quas tamen, Demadis reprehenſione monitus, ut apud eundem Diodorum eſt, abjecit. Philippo ſcilicet, Victoriarum compoti, inſigne victoriarum inſolitum non fuit, id quod & Alexandrum filium imitatum, vel ex Stephano intelligas ſub *Alexandria*, de quo videri poteſt, præter Dioſcoridem, etiam Plinius, qui inter plura Lauri nomina, etiam ſpeciem aliquam *Stephanon Alexandri* vocatam aſſerit. Quid multa? vel Oraculum rem de Philippo evicerit. Cùm de bello Perſico conſuleretur, reſponſum tale dedit:

SERTA gerit Taurus, jamque adſtat, qui immolet ipſum!

Quod licet de Dario intelligeret Philippus, de ſe tamen dictum, ſuô interitu dicit. Si ita ſe res habet, excepit ARCHÆOPHILUS, ad ſolam Victoriam Delphicam non ampliùs reſpiciam, imò ſimile quid etiam ad Bigas mihi facilè perſuadebis, latiùs ſcilicet eas patere, nec tantùm ad victorias Olympicas, ſed forſitan etiam ad Pythicas eſſe referendas. Id equidem non dixero, reſpondit DVLODORVS, cùm Plutarchus de Olympicis nominatim teſtetur, de Pythiis autem nullo authore conſtet. Atqui, inquit ARCHÆOPHILUS, ut eos Ludos ſimul cum Bœotiis curaret in Amphictyonum Senatu decretum apud Diodorum legimus. Sed an legimus, eum victorias obtinuiſſe? excepit DULODORUS. Quid tum? regeſſit ARCHÆOPHILUS, annon ſufficia: Ludorum procuratio? Bigas certè quadraginta ferè ante Philippum annis in Pythiis receptas, ex Pauſania diſcimus, adeoque quid conjecturæ obſtet, non video. Apertius teſtimonium, reſpondit DVLODORVS. Pro Olympicis Victoriis facit non tantùm Plutarchus, ſed etiam Juſtinus, Quadrigas Philippum in Olympiam miſiſſe aſſerens; Pro Pythiis autem hactenus nihil video.

Aliud mihi incidit, denuò interlocutus eſt ARCHÆOPHILUS, non quidem de intellectu Bigarum, ſed de ipſis Bigis, quî videlicet Victorias Currules in Numiſmatibus Philippus expreſſerit, cùm tamen Ælıano teſte, Lib. III. c. 45. Var. Hiſt. cùm in Bœotia, in æde Trophonii reſponſum accepiſſet, ut ſibi à curru caveret, metu oraculi currum conſcendere noluerit? Currus Olympicos, reſpondit DULODORUS, Philippus non ipſe agitavit, ſed ut modò ex Juſtino audivimus, ab aliis agitandos eò miſit. Cœterùm, quod Gloriæ causâ ab initio Numiſmatibus impreſſit, id poſtea & eum in finem feciſſe credi poteſt, ut monetâ ſuâ Oraculi admoneretur, interitumque eò certiùs vitaret. Quanquam quis Fatorum placita effugiat? Impletum eſt oraculum, ſive curru in capulo gladii

gladii, quô occubuit, ex ebore expreſsô, ſive locô, ubi cæſus eſt, *Harma* aut *currus* appellato, uti apud eundem Ælianum legimus. Hæc Numiſmata, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſatis anxiè luſtravimus. An & in ſequenti ſententiam mutaveris, exquirere libet.

PHILIPPUS ARTIBUS PALLADIIS, NAVALIQVE POTENTIA INCLYTUS



Eô exhibetur, reſpondit DULODORVS: Et quidem, quod ad Palladem attinet, nihil habeo, quod addam; Eam enim ſub nomine *Alcides* in Macedonia cultam fuiſſe, authoritate Livii adhuc agnoſco. De Victoria Navali, in dubium venit Piratica, quam, utpote gloriæ detrahentem, veriſimile non videtur, tantum Regem Numiſmate expreſſiſſe. Quidni? regeſſit ARCHÆOPHILUS, neque enim eadem priſcorum in his ratio fuit, quæ hodiè ſolet. Non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, jam olim Cornelius Nepos cenſuit, & Thucydide teſte conſtat, Piraticam apud Græcos non tantùm non ignominiæ fuiſſe, ſed potiùs Gloriæ quid attuliſſe. De Temporibus antiquiſſimis, reſpondit DULODORUS, id aſſeruit Thucydides, de ſuis, niſi de Ætolis vicinisque, negat. De Philippo autem non aliud teſtimonium, quod & contra Piraticam teſtetur, & ſimul de navali, ſi non victoria, tamen apparatu evincat, attulero, quàm Demoſthenis, aut ſecundum Libanium Hegeſippi in Haloneſo. Verba ita habent: Περὶ δὲ τῶν λῃστῶν, δίκαιόν φησιν εἶναι, κοινῇ φυλάττειν τοὺς ἐν τῇ θαλάττῃ κακουργοῦντας, ὑμᾶς τε καὶ αὐτὸν οὐδὲν ἄλλο, ἢ τοῦτ' ἀξιῶν, ὑφ' ὑμῶν εἰς τὴν θάλατταν κατασταθῆναι, καὶ ὁμολογῆσαι ὑμᾶς, ὡς ἄνευ Φιλίππου, οὐδὲ τὴν ἐν τῇ θαλάττῃ φυλακὴν δυνατόι ἐστε φιλάττειν. Ἔτι δὲ καὶ δοθῆναι αὐτῷ ταύτην τὴν ἄδειαν, περιπλέοντι καὶ ὁρμιζομένῳ εἰς τὰς νήσους ἐπὶ προφάσει τῇ τῶν λῃστῶν φυλακῇ, διαφθείρειν τοὺς νησιώτας, καὶ ἀφιστάναι ἀφ' ὑμῶν, καὶ μὴ μόνον τοὺς φυγάδας τοὺς παρ' ἑαυτοῦ εἰς Θάσον κεκομικέναι διὰ τῶν ὑμετέρων στρατηγῶν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἄλλας νήσους οἰκειώσασθαι, συμπέμπων τοὺς συμπλευσομένους μετὰ τῶν στρατηγῶν τόν ὑμετέρων, ὡς κοινωνήσοντας τῆς κατὰ θάλατταν φυλακῆς. Καὶ τοι οὔ φασί τινες αὐτὸν προσδεῖσθαι τῆς θαλάττης. Ὁ δ' οὐδὲν δεόμενος τριήρεις κατασκευάζεται, καὶ νεωσοίκους οἰκοδομεῖται καὶ ἀποστόλους ἀποστέλλειν βούλεται, καὶ δαπάνας οὐ μικρὰς δαπανᾶν, εἰς τοὺς κατὰ θάλατταν κινδύνους, ὧν οὐδὲν προτεμᾶ. *At de Prædonibus, æquum eſſe, ait, ut qui Piraticam in mari exercent, à vobis & à ſe communiter pellantur. In eo non aliud quàm hoc poſtulat, ut ſibi à vobis tradatur maris imperium: utqui confiteamini, vos ſine Philippo, nec mare tueri, nec cuſtodire poſſe. Hanc etiam licentiam dari ſibi vult, ut quocunque navigans, & inſulas ingrediens, ibique deſidens, per ſpeciem arcendi prædones, inſulares corrumpat, & à veſtra ſocietate & ditione abalienet: Neque contentus Macedonicos exules per veſtros Imperatores Thaſum transportaſſe, reliquas etiam Inſulas ſibi vin-*

dicare vult, mittendis hominibus, qui se nostrorum Ducum Classi adjungant, tanquam custodiæ maris consortes futuri. Sunt sanè, qui dicunt, nihil illis ad sua vel tutanda vel ampliscanda opus esse mari. At is, qui mare negligit scilicet, TRIREMES comparat, & NAVALIA exstruit, & CLASSES mittere instituit, neque parvos sumtus facit in exercitationes NAVALIS PROELII, quibus nihil habet antiquius.

ARCHÆOPHILVS, locô Demosthenis diligenter inspectô, quid contradicerem, inquit, non haberem, nisi Pentagonon adhuc in nummo affulgeret. Hoc cùm salutis symbolum sit, utique ad Piraticam, quâ anhelantem inopiam dicitur recreâsse, appositè videtur quadrare. Et quid? annon etiam Serpens in casside Palladis tale quid innuit? Neutrum dixero, respondit DULODORUS; Pentagonon enim etiam in æreo Philippi Numismate apud Goltzium sub Equite visitur, ubi tamen Piraticæ ratio nulla est. De Serpente non tantùm ex Demosthenis exclamatione, & Virgilio, constat, sed etiam ex Hesychio, qui οἰκουρὸν ὄφιν, *Poliadis Minervæ custodem* memorat: imò etiam ex artificio Phidiæ, qui Simulacris Palladis Draconem appositi, non aliâ mente, si Cæl. Rhodiginum audias, quàm quòd virgunculæ pervigili curâ indigeant, ut pudor castus servetur: Quid si & bella, ut prospere succedant? Philippi certè vigilantiam vel unicô Justini locô adstruxerim. *Velut è specula quadam libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatium alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque in Regiam servitutem memoratur coëgisse.* De Numismatibus aureis adhuc monendum, eos à nomine Regis, *Philippeos* dictos esse. Ita Horatius:

Rettulit acceptos regale Numisma Philippos,

& Plautus in Bacch.

Ducentos nummos aureos Philippeos dabin?

Sed commodè se sistunt & Argentei. In his

PHILIPPUS,
HERCULEM GENERIS AUTHOREM,
fatetur & colit,
Jovis cultum testatur, Victoriam Olympicam celebrat.

DE capite Jovis solitô sibi more, infit ARCHÆOPHILUS, dubium non est. Ut hunc Deum præcipuè coleret Philippus, Oraculô monitum, ex Plutar-

Plutarcho demonſtrâſti. Ita memini, inquit DULODORUS, ſed omninò addendum eſt Templum Jovis ſanctiſſimum & veterrimæ Macedonum religionis, quod memorat Juſtinus Lib. XXIV. c. 2. Addendum & *Olympici* cognomen, & Certamen ejus honori ab Archelao inſtitutum, & apud Ægas fieri ſolitum, quod Arrianus refert. Ergo Olympici Jovis caput hîc expreſſum arbitraris? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Mihi corona dubium movet; Pauſanias enim Olympicum Jovem Oleâ coronatum teſtatur; at in propoſito Lauream evincunt & baccæ & foliorum latitudo. Benè hoc obſervas, reſpondit DULODORUS; Oleæ enim non tantùm Minervam præfuiſſe, ſed & Jovem, legimus apud Sophoclem in Oedipo. Et hæc forſitan ratio Jacobum de Wilde impulit, ut in ſimili Philippi Numiſmate Oleam agnoſceret, quanquam is foliorum tenuitatem in teſtimonium adducat. Quicquid ſit, Lauream non tantùm propoſitum Numiſma præfert, ſed & duo Goltziana eâdem inſignia ſunt, adeò ut dubium non ſit, quin Philippus Jovi, ſive Olympicum hîc agnoſcas ſive alium, Lauream addiderit: Neque id ſine ratione, Laurus quidem Phœbo debetur, ſed non ſoli; Etiam Jovi gratam eſſe, vel inde colligas, quòd ſolam Laurum fulmine non tangi, antiquitùs creditum eſt: Quòd cœlitùs, & quaſi a Jove ipſo, ut Matthiolus arbitratur, miſſa: Quòd à Triumphantibus in Jovis Opt. Max. gremio depoſita fuerit, quoties lætitiam nova victoria attulit, ut eſt apud Plinium. Denique quod Chryſoſtomo teſte, c. 18. Hom. 42. etiam in Olympicis corona eſſet. Καὶ ἐν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς τούτοις ἀγῶσιν στέφανος μετὰ τὴν Νίκην οὐδὲν ἕτερον ἐστιν ἢ φύλλα δάφνης. Addi poteſt idem de Nom. Mut. Homil. 64. Utrumque locum citat Eruditiſſ. Meurſius de Feſtis Gr. ſub Olympiis. Cæterùm conſtat, non unô Coronarum genere Jovem antiquis fuiſſe redimitum. Philippi Numiſmata Laurum habent: Oleam Achæorum, Arcadum, aliorumque: Quernam Epirotarum, Theſſalorum, & Macedonum: Diadema Olympiæ, Meſſeniorum, & Lyſimachi. Omnia videre potes apud Goltzium. Imò & vernis floribus redimitum quoddam Jovis Simulacrum, refert Pauſanias Lib. V.

Hæc ad propoſitum nihil faciunt, interrupit ARCHÆOPHILUS, potius adverſam velim mihi explices; vereor enim Equitem ad Pythica referre, quamvis Te judice & litera Π. eam evincere videatur, & Palma & Lauri ramus accedant. Memini id à me ſcriptum, reſpondit DULODORUS; Sed alia nunc mens eſt. Non tantùm quam Palmam, ſed etiam quem Lauri ramum arbitrabar, omninò oleam eſſe ex foliorum vel latitudine, vel tenuitate judico. Quæ manu præfert, latiora ſunt, quàm ut Palmæ credi poſſunt. Quæ ſub equo viſuntur, ſunt tenuiora, quàm ut credi poſſint Lauri: Utraque autem Oleæ quadrare, nemo inficias ibit, modo Oleæ folia noſcat. His poſitis, non amplius Pythicam Victoriam ſub Equite hoc latere arbitror, ſed omninò Olympicam illam, cujus nuncium Philippus Plutarcho teſte, eôdem die accepit, quô & fuſos, à Parmenione, ingenti pugnâ Illyrios, & natum Alexandrum.

At Juſtinus, ut ſuprà jam dictum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, non equo, ſed quadrigis eam victoriam obtentam, ait. Et quid? annon dubium, an in Elide? an ad Ægas eam reportarit? cùm etiam hîc Olympicum certamen celebraretur? Contra Juſtinum, reſpondit DULODORUS, eſt authoritas Plutarchi, qui in Olympicis ἵππῳ κέλητι Philippum viciſſe aſſerit. Plutarcho aſſiſtit & Pauſanias, qui ſtatuam Philippi Equeſtrem ab Eleis poſitam memorat. En verba! El. Poſt. ἐφεξῆς τούτων ἀναθήματα ἐστιν Ἠλείων, Φίλιππος ὁ Ἀμύντου, καὶ Ἀλέξανδρος, ὁ Φίλιππου, καὶ Σελευκός τε καὶ Αντίγονος. Τοῖς μὲν δὴ ἐφ' ἵππων, Αντιγόνῳ δὲ ἀνὴρ πεζὸς ἐστιν ἡ εἰκών. *Proximè ſunt ab Eleis Philippo Amyntæ, & Alexandro ejus filio ſtatuæ dicatæ, eumque his Seleuco, & Antigono. Equeſtres aliorum, Antigoni*

tigoni pedeſtris eſt. Quid videtur, ARCHÆOPHILE? nonne ex hac convenientia ritè judicavero, ſi hanc ipſam ſtatuam hîc nobis exhiberi, Philippumque in Elide viciſſe, contendam? Neque enim obſtabit litera Π. cùm ea vel locum ſignaturæ, vel æram, vel etiam, quod propiùs arbitror, Artificem aliquem ſignificare poſſit. Eòdem certè referri poteſt & Numiſmatis ſecundi B. & Numiſmatis tertii A. in quibus nihil omninò novi eſt, niſi quod Philippus non tantùm genus Regium ſub Hercule videri poſſit adumbrâſſe, ſed & cultum, quô Deum hunc coluit, cùm apud Juſtinum legamus, *Scythas bello oppreſſurum, præmiſiſſe, qui nuncient Atheæ, dum Byzantium obſideret, voviſſe ſe ſtatuam HERCULI, pacatumque acceſſum ad religionem Dei petere.* De Nummis ipſis notandum, priorem tetradrachmum eſſe, qualis & primus eſt, poſteriorem autem unam tantùm drachmam pondere æquare. Succedit Numiſma æreum, in quo

PHILIPPUS, REGIO DIADEMATE INSIGNIS Alexandrum ſpectat, Bucephalo inſidentem.



CUm alium Equitis habitum ſuprà ad victoriam Olympicam retuleris, infit ARCHÆOPHILUS, jam dudum expectabam, quid ad hunc dicturus eſſes: An ad nominis Etymon reſpicias, cùm Philippus Equorum amantem ſignificet? An Theſſalorum ſub Equite Equitatum intelligas, quem Philippus ſuis copiis jungendo, invictum exercitûs robur effeciſſe memoratur? An ad viginti millia nobilium Equarum, quas, ad genus faciundum, ex præda Scythica in Macedoniam miſit? Sed nihil horum Te reſpicere video. Dabis igitur veniam, ſi rationes petam, quibus adductus Alexandrum Bucephalo inſidentem credas. Duplex eſt, reſpondit DULODORUS, Equi habitus, qui idem planè, qualis hîc viſitur, etiam in Alexandri Numiſmatibus apud Goltzium occurrit: & virilior Philippi effigies, quæ omninò non ad tempus nativitatis Alexandri, quô victoria Olympica, ut diximus, nunciata eſt, ſed ad tempus adoleſcentiæ hoc Numiſma referendum evincit. Hiſtoriam, utpote tritam, hic recoquere ſuperſedeo.

Unicum adhuc dubium mihi incidit, excepit ARCHÆOPHILUS. Dextrum in hoc, ut & in ſuperioribus aureis video Philippi oculum, eumque nullô vulnere deturpatum, ſed integrâ acie fulgidum: Cùm tamen Authores in obſidione Methonæ, quæ octavô regni annô accidit, dextrum oculum ei ſagittâ effoſſum memorent. Videri ea de re poteſt Juſtinus Lib. VII. cap. 6. Scio locum, inquit DULODORUS, ſed an fides haberi debeat, valdè dubito. Diodorus certè & Plutarchus, licet non negent de oculo, de oculo dextro tamen nihil omninò memorant. Juſtini fidem ſuſpectam facit ſuprà allatus locus de quadrigis: Et cùm reliquorum authoritate ſalvâ, res de oculo ſiniſtro intelligi poſſit, Numiſmata inſuper omnia oculum dextrum exhibeant; neſcio annon contra Juſti-

Juſtinum ſentiri debeat, niſi fortè adulatoriô cœlô Artifex, Regis faciem non mutilum exhibuiſſe, non qualiter ſagittæ jactu factus eſt, ſed qualem antea natura ditaverat, plenâ oculorum acie expreſſiſſe contendas, id quod nec hodiè inſolitum eſſe, utique notiùs eſt, quàm ut demonſtratione egeat. Sed ad Philippum abundè dictum eſt. Succedit

ALEXANDER M.
HERCULIS ET JOVIS,
à quibus & genus ducebat,
ſtrenuus cultor.

ETiam horum Numiſmatum, Leoninis Spoliis ornata capita, olim non Alexandro, ſed Herculi arbitrabar tribuenda, idque eâ potiſſimùm ratione, quòd ſimilia etiam ſub Amynta & Philippo occurrant. Nunc ſententiam muto, nihilque vereor aſſerere, ut ſuperiora Amyntam & Philippum referebant, ita & hæc non Herculis eſſe, ſed ipſius Alexandri. De Amynta & Philippo, inquit ARCHÆOPHILVS, ex faciei lineamentis probâſti. Eadem, reſpondit DULODORVS, etiam pro Alexandro militant. Confer Numiſmata & judica! Confer Amyntæ caput imberbe cum barbato, & Philippi Leonis ſpoliis ornatum cum diademato, aut etiam laureato: Invenies opinor convenientiam. Confer cum ſuperioribus propoſita: Invenies diverſitatem. Confer cum effigie Alexandri, invenies τὴν ἀνάτησιν τοῦ αὐχένος, *projectam cervicem*, τὴν ὑγρότητα τῶν ὀμμάτων, *tenuitatem oculorum*, quam Plutarchus ei tribuit. At, inquit ARCHÆOPHILUS, in effigie hâc neſcio quid Herculei videtur admixtum. Id nihil obſtat, reſpondit DULODORVS; Conſtat enim inventum id adulationis eſſe, obſervatumque plerisque, qui humanæ ſortis immemores Deorum habitu ſtatuas receperunt. Quanquam in Alexandro eô recurrere neceſſe non ſit; Ælianus enim Hiſt. var. Lib. XII. cap. 14. licet Alexandrum Philippi filium ἀπραγμόνως ὡραῖον *ſine curatione ſpecioſum* fuiſſe aſſerat, notat tamen, *capillos* ejus *retortos*, qui in Nummo ad oculum patent: notat φοβερόν τι *formidabile quoddam* in ejus facie.

At Caput Herculis, inſtabat ARCHÆOPHILVS, originem ſtirpis Regiæ denotabat. Eandem, reſpondit DULODORUS, denotant adhuc Leonis exuviæ, idque ſi Philippum reſpicias, genere Paterno, uti Maternum ritè ſub Jove Tibi imagineris, cùm Æacidæ, ex quorum ſtemmate Olympias fuit, à Jove deſcenderint. Si ita res ſe habeat, repoſuit ARCHÆOPHILVS, à Jove fuit utrumque Alexandri genus; Noſti enim, quid de Jovis cum Olympia concubitu hiſtoria memoret: Noſti quàm ambitioſè Alexander ipſe, ſe Jovis filium tulerit. Id licet fecerit, inquit DULODORUS, attamen & Herculem faſſus eſt. Audi Theocritum de Alexandro & Ptolemæo Idyll. XVII.

Ἀμφοῖν

Ἀμφοῖν γὰρ πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας.
Ἀμφότεροι δὲ ἀριθμεοῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα.
Utriusque eorum generis author fortis Herculides.
Utrique referunt originem ad extremum Herculem.

Longior eſſem, ſi, quod ſupra monui, hîc iterandum cenſerem, Herculis ſcilicet gloriam Alexandro virtutis incitamentum fuiſſe. Longior eſſem, ſi, quod Juſtinus meminit, Herculi Tyrio vota redditurum: aut quod Arrianus, Tyrios oppugnaturo Herculem per quietem manus porrigere viſum, Captâque Tyrô Herculi Alexandrum ſacrificâſſe. Non ſemel id officium Deo præſtitit. Idem feciſſe legitur, cùm ex Ægypto reverteretur: Idem jam ante, in Iſtri ripa, non Herculi tantùm, ſed & Jovi Servatori: Idem Aſiâ jam ſubactâ, ob ſalvam Claſſem, reditumque Nearchi, non Herculi tantùm, & Jovi Servatori, ſed & Apollini, & Neptuno, aliisque Diis marinis, id quod Arrianus in Indicis teſtatur. In tantùm proceſſit veſania, dicam, an cultus? ut & filium ex Barſine, Herculis nomine appellaret. Videri ea de re Juſtinus poteſt, Lib. XI. cap. 10. niſi forte & Herculis more, quòd & ipſe Leonem interfeciſſet, uti ad Gemmas vidimus, Leonis exuvias ſibi vindicaverit. Ex his utique omnibus, Herculis inſigni, Leoninæ pelli, clariſſima lux affulget. Affulget & Jovi, in averſa ſedenti, & aquilam prætendenti.

Aquilam à Jove exhibitam, regeſſit ARCHÆOPHILVS, ad miſſum divinitùs victoriæ auſpicium Te retuliſſe memini, quò Ariſtander Vates, ad Gaſimelam, ante pugnam totius Aſiæ imperium daturam, ſupra Regis verticem Aquilam oſtendiſſe, Plutarcho memoratur, in ſublimi volantem, curſumque rectà in hoſtes dirigentem, unde poſtea colligis, Aquilam hanc divinitùs ſibi à Jove miſſam, Alexandrum credidiſſe, indeque Numiſmatibus ſuis utrumque celebrâſſe. Id & ego memini, reſpondit DULODORVS, nec adhuc inficias eo, quanquam & alia adhuc concurrere videantur. Eâ die, quâ natus eſt Alexander, duas Aquilas ſupra culmen Patris ſediſſe, Juſtinus Lib. XII. c. 15. author eſt. Omen id erat duplicis imperii, adeòque quidni & ipſum à Jove miſſum? Iterum, cùm Parmenio navale prælium ſuaderet, apud Arrianum, id eâ potiſſimum ratione fecit, quòd Aquila à puppi Claſſis Alexandri, in littore ſubſiſtens, viſa eſſet, quod augurium Alexander retorſit, Aquilam reſpondens, quòd humi ſubſediſſet, id potiùs ſibi portendere videri, ſe ex terra Perſarum claſſem victurum. Nonne & hanc Aquilam Jupiter ſubmiſerit? Quicquid ſit, devoto ubique cultu Deorum Principem hic Princeps hominum deveneratus eſt. Jovi Olympico ſacrum in Macedonia fecit, cùm ex Græcia redux expeditionem in Aſiam pararet. Jovi Deſcenſori, & Minervæ & Herculi, aras conſtituit, cùm ex navi in Aſiæ terram deſcendiſſet. Ad aram Jovis Hercii ſacrificavit, cum in Ilium veniſſet. Sardibus receptis, in ſumma arce, Jovi Olympico decrevit & templum exſtruere, & aram ponere. Ita & Jovi Regi ſacrum fecit in Ægypto: Jovis Ammonis ſe filium appellari juſſit in Libya, adeò ut nullibi nec Jovis beneficia defuiſſe, nec Alexandri gratiam vacillaſſe diceres, niſi & ipſe Jovis habitum aſſumſiſſet, id quod & Athenæus memorat, & ex Pauſania adſtruitur: Luci non exiguæ Numiſmatibus, licet alioquin raritate non adeò fulgidis. In ſequenti, me quidem judice, exhibetur

ALEXAN-

ALEXANDRI M.

VICTORIA DE PORO

Simile Numiſma Alexandro Moloſſo, cui id tribuebat Urſinus, cum Nonnio ideò abjudicandum eſſe, quòd ejus tempore nulli adhuc in Europa Elephanti fuerint, procul dubio ex Theſauro Palatino adhuc recordaberis.

Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed miror, cùm tunc pro Caſſandri filio ſenſeris, quâ ratione ad Alexandrum M. inclines, cùm tamen Elephanti proboſcis ultionem maternam, quâ Caſſandri filius ſimul cum fratre hoſte oppreſſus eſt, eleganter adumbrare videatur? Conjectura hæc fuit, inquit DULODORUS, ſed omni baſi deſtituta. Quis credat ultionis cupidinem tantam Alexandro fuiſſe, ut ſuo cum interitu eam voluerit exequi? Quis credat Elephantem Pietatis in Parentes, & Ultionis maternæ ſymbolum eſſe? Pietatis quidem ſymbolum eſt Elephas, ſed ejus, quâ Deum veneramur, idque ideo, quòd Solem adorare credatur, non ejus, quâ Parentes ulciſcimur: indeque licet antiquiſſimis temporibus Viros fortitudine præſtantes, ex belluis, à moribus ſuis haud abludentibus, armaturas ſumſiſſe, Diodorus exemplo Anubidis & Macedonis probet, quorum ille Canina ex pelle, hic ex corio Lupi tegumen habuiſſe memoratur, tamen ratio Caſſandri filium non tangit. Potiùs ut Hercules devicti Leonis pelle pro Caſſide uſus eſt, ita & Numiſma propoſitum ad Elephantos Pori, ab Alexandro devictos, haud obſcurè videtur reſpicere.

Non aſſentior, inquit ARCHÆOPHILUS. Opinionem infirmam videntur reddere cognomines Syriæ Reges; His enim cum Elephantorum greges fuerint, uti ex Numiſmate Antiochi Dionyſi patet, quidni eorundem exuvias Caſſidis locô uſurpaverint? Et ſi hos rejicias, non rejicies, ſcio, Alexandrum, filium Cleopatræ, Reginæ Ægypti, cujus apud Seguinum Numiſma eſt, eôdem geſtamine memorandum. Quid videtur DULODORE? Cùm Mater Elephanti proboſcide caput texerit, quidni fecerit idem & Filius?

Filium Cleopatræ, inquit ille, Elephanti proboſcide inſignitum non negabo, ipſe enim infrà, Ptolemæorum aliquem eô inſigni ornatum producam. Sed Numiſma ad hunc pertinere, inde non conficitur. Averſa obſtat, in qua non obſcurè Heraclea Macedoniæ exprimitur. Quaſi verò Heraclea tantùm una fuiſſet, ſubjecit ARCHÆOPHILVS. An neſcis Stephanum *viginti tres* ejus nominis enumerare? An neſcis, uti *vigeſima tertia Macedoniæ* fuit, ita *decimam tertium Syriæ, quartum* autem *Libyæ* adſcribi? ut ita hactenus nec Syriæ nec Ægypti Regibus Numiſma negari debeat. Nihil moves, reſpondit DULODORVS, ſolo enim monogrammate opinio mea non nititur, ſed expreſſis id juxta Aquilâ κεραυνοφόρῳ & Caſſide. Caſſidem certè Macedoniæ ſymbolum fuiſſe, ex eorum Numiſmate apud Goltzium patet. Imò & Bellona, ſive Minerva, in cenſum venit, eôdem planè modô expreſſa, quô & in Antigoni Tutoris, & Theſſalorum Numiſmatibus viſitur. Nondum deficiunt rationes. Dependentes u-

trinque Chlamydis anguli in subsidium veniunt, hos enim eosdem crediderim, qui Suida authore Θετταλικαὶ πτέρυγες *Thessalicæ alæ* vocabantur. Quid ais, *Archæophile?* An Alexandri nomine, Regio in culmine, quod Diadema fronti revinctum innuit, vel in Syria vel in Ægypto fuerit quisquam, in quo expressa in Numismate Macedoniæ Insignia ita concurrant, uti concurrunt in Alexandro Magno?

At alii, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in Macedonia fuére Alexandri. Fuit dives ille Amyntæ prioris filius: Fuit Philippi frater: Et si Cassandri Filius minus placet, fuit Filius Pyrrhi, cui non Aquila tantùm κεραυνοφόρος quadrat, quæ in Epiri Numismatibus vulgò prostat, sed & Minerva, quæ simili ferè modo in Nummis Pyrrhi apud Goltzium visitur, & monogramma & Cassis Macedoniæ, cùm Macedoniam Antigono Gonata ejecto obtinuerit, & quod caput rei est, Elephanti proboscis, cùm jam pater ejus Elephantos Romanis apposuerit? Quid respondes DULODORE? Id, excepit ille, quod Nummus suppeditat, quodque hactenus observatum non est, præcipuum opinionis meæ fundamentum. Non Elephanti tantùm proboscis, sed & Cornu Arietinum caput hoc exornat. Cornu Arietinum, quod Jovis Ammonis Filium apertè demonstrat, reliquos autem Macedoniæ Alexandros, utpote nulla ratione Ammonem contingentes, sine dubio rejicit. De Alexandro M. cornibus arietinis ornato, res trita est. Et Numismata eam testantur, & elegans locus est apud Athenæum, ἔφιππος δὲ φησὶν, ὡς Αλέξανδρος καὶ τὰς ἱερὰς ἐσθῆτας ἐφόρει ἐν τοῖς δείπνοις ὁτὲ μὲν τὴν τοῦ Ἄμμωνος πορφυρίδα καὶ περισχιδεῖς καὶ κέρατα, καθάπερ ὁ θέος. *Ephippus scribit, Alexandrum sacras etiam vestes in conviviis gessisse, nunc quidem Ammonis purpuream per ambitum divisam, & CORNUA, tanquam Deum.* Vides ARCHÆOPHILE, me non abs ratione Numisma hoc ad Victoriam de prostratis Pori Elephantis referre.

At effigies, excepit ARCHÆOPHILUS, Alexandri M. non videtur, multum enim differt ab iis, quas Goltzius protulit, multum ab iis, quas Leonis exuviis ornatas etiam suprà vidimus. Si quæ differentia est, respondit DULODORUS, Artificum adulatio accusari debet, quæ sub Leonina pelle expressè Herculei quid effinxit, apud Goltzium autem nescio annon nimiùm cervicem projecerit: Medium certè Numisma nostrum obtinet, & cum eo consentit Gemma nobilissima apud Causæum in Muséo Romano, in qua Alexandrum M. simul cum Cleopatra Matre, eâdem, quâ & hîc, faciei lenitate cernimus conspicuum. Supereſt

ALEXANDER M.
DEVOTUS MINERVAE CULTOR,
Victorias, ad Oceanum usque propagatas, ambitiosè jactans.

VIdeo Te opinionem adhuc antiquam obtinere, inquit ARCHÆOPHILUS, non de Pallade tantùm, sed etiam de aversæ Victoria. De Pallade quidem

quidem nihil habeo, quod contra dicam, cùm modò ſub Philippo de Minerva cognomento *Alcida*, ejusque in Macedonia cultu docueris, Diodorique teſtimonio conſtet, Commentariis poſt mortem Alexandri repertis, mandatum fuiſſe, ut Minervæ templum in Cyrno, ſive Corſica, exſtrueretur, aliudque, quod nulli magnificentiâ cederet, in Ilio, ubi & ante huic Deæ ſacrificaverat, atteſtante Plutarcho. Addi poteſt etiam Appianus, ſubjecit DULODORUS; Eo enim authore, Alexander in templo PALLADIS TROJANÆ arma ſua fixit, ſumtis eorum loco aliis, quæ ex Trojano bello ſupererant: Inde poſt prælium ad Granicum trecentas armaturas Perſicas Athenas miſit, MINERVÆ, ea in urbe, donarii loco ſuſpendendas: Porro MINERVÆ MAGARSIDI: Tandem PALLADI NICÆÆ ſacrificavit: Ut taceam, quod idem author refert, in omnibus prælis eum ſacrum ſcutum, ex æde PALLADIS ILIACÆ ſumtum, præ ſe geſtari curaſſe. Quid hæc aliud indicant, ſi non Victorias Alexandrum Minervæ auxilio ſibi obventuras credidiſſe? Appoſitâ ad Nummum ratione, inquit ARCHÆOPHILUS, neque enim ſola Pallas, ſed etiam victoria in eo viſitur, non nuda, ſed Palladi Lauream porrigens, invicto indicio, non tantùm Victorias eum à Pallade ſperaſſe, ſed etiam obtentas ejus gloriæ appoſuiſſe. Subſcriberem, reſpondit DULODORUS, niſi Alexandrum, inſigni Victoriâ partâ protinus aras MINERVÆ ſimul & VICTORIÆ exſtruxiſſe, Curtius aſſereret Lib. IV. c. 13. & L. VIII. c. 2. Inde ſane conſtat Victoriam, hanc Lauream non Palladi, ſed ipſi Alexandro porrigere. De Victoriis Alexandri plura dicere ſuperſedeo. Pleni de iis ſunt Hiſtoricorum Libri. *Cum nullo unquam hoſte congreſſus eſt, quem non vicerit*, inquit Juſtinus Lib. XII. c. 16. *Nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Nullam urbem objedit, quam non expugnaverit.* Barbari, cis & trans Iſtrum, Victoriarum principium fuere. Thebarum excidium, & Græciæ Homagium, ad majora tranſitus: Darius ſolio dejectus, ſubactumque, quàm late patuit, Perſarum Imperium, Virtutis & Fortunæ fervor: Porus & India, operum corona. Omnia hæc ſub Victoria Numiſmatis latere, facile probavero; Victoria enim non Lauream tantùm, ſed & Tridentem geſtat, quod ut alibi dixi, devicto Oriente, cùm Oceanum intraret, ab Urbibus & Populis, ad quos fama rei pervenerat, hæc Numiſmata cuſa ex adjectis ſignis pateat.

Mihi regeſſit ARCHÆOPHILUS, omninò præferenda videtur ſententia eorum, qui Victoriam aliquam navalem ſub tridente hoc adumbrari arbitrantur. Mihi ſecus, reſpondit DULODORUS, quamvis de navali Alexandri potentia non negem; Cùm enim in Aſiam trajiceret 182. Naves eum habuiſſe, Juſtinus Lib. XI. c. 6. memorat. Et idem Author Lib. XIII. c. 5. dicit, eum *Mille Naves* ſociis imperâſſe, quibus bellum in Occidente gereret. Arrianus Claſſem ejus *bis mille Navium* fuiſſe, aſſerit. Sed quid hæc ad rem, cùm potiora contrarientur? Navali prælio eum abſtinuiſſe, Perſasque terrâ vincendos, vel cœleſti augurio ſibi imperatum, ipſe contra Parmenionem faſſus eſt. Licet in Occidente mille naves ſociis imperârit, de Victoria tamen nihil legitur. Contra Orientem claſſem non duxit, ſed demum, cum ad reditum ſe accingeret, viſendi Oceani cupidine, ad Hydaſpis ripas paravit, eique Nearchum præfecit, non quòd pedeſtri itinere exercitum ſalvum reducere non poſſet, ſed quòd vellet omnia Litora, Portusque, & Inſulas perluſtrari, omnes etiam ſinus pernavigari, Urbesque ad mare, regionesque, quæ fertilis, quæ deſerta eſſet, inquiri. Id præſtitiſſe ſibi viſus eſt, cùm ipſe Oceanum navigaſſet, cùm Oceanô luſtratô, Nearchum cum claſſe recepiſſet, Suſisque deinceps Babyloniam usque navibus veheretur.

Sed eadem, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc in Nummo Victoria eſt, quæ & ſuprà ſub Philippo fuit. Quid tum, reſpondit DULODORUS, an-

non eadem res, diverſa ſignificare poterit, ſi de diverſis explicetur? Sed attentiùs Numiſmata contemplare! invenies, confido, differentiam ſanè non contemnendam. In Philippi Numiſmate Tridens nudus eſt; at in propoſito, locô trium cuſpidum, tria puncta viſuntur. Hæc quid interpretaberis? ſi non Margaritas, pretioſiſſimas illas Indiæ baccas, cœleſtemque Oceani partum, quem Hercules reperiſſe, filiæque ſuæ Pandeæ in ornatum dediſſe, apud Arrianum legitur? Non pulchriore ſymbolô Victorias ſuas Victoriis Patris præferre potuit Alexander: Non elegantiore inventô merita ſua, Herculeæ ſive virtuti ſive fortunæ, ſi non præponere, tamen æquare. Audi quid apud Curtium Alexander ipſe devicto Poro: *Vilia*, inquit *& obſoleta eſſe ſpolia de Perſis: Gemmis* MARGARITISQVE, *& Auro atque ebore Macedoniam Græciamque, non ſuas tantùm domos repleturum.* Intuere Palladem! Quæ in omnibus aliis Numiſmatibus, quæ ego quidem viderim, vel nudô collô, vel æquali vinculô ſuperbit, ea in propoſito Torquem ex Margaritis gravidam oſtentat, ut ita conjecturam hanc rejiciendam non eſſe, vel etiam hinc intelligas. Subit

LYSIMACHUS,
ALEXANDRI SE LEGITIMUM SUCCESSOREM FERENS

Nihil hîc novi eſt. Projectam Cervicem, & Cornua ideò Succeſſoribus Alexandri uſurpata, ut ſe, & oris & habitûs ſimilitudine, ejus quaſi legitimos hæredes probarent, Per-Ill. *SPANHEMIUS* docet. Et in Lyſimacho, concurrit Diadema Alexandri, Ammonis, ut credi voluit, filii; Id enim fronti ſuæ impoſitum, præcipuum Regiæ Dignitatis auſpicium habuiſſe, Appiano & Juſtino memoratur.

Ad Numiſmata propoſita, excepit ARCHÆOPHILVS, hæc facilè admiſerim, Cornu enim arietinum, quale Ammonis fuit, in iis ad oculum patet; At in eo, quod in Theſauro Palatino protuliſti, utique non cornu arietinum, ſed taurinum eſt, mutuaturque interpretationem ex Appiano, qui, Politiano teſte, Lyſimachum Taurum, à ſacrificio Alexandri fugientem, cornibus retinuiſſe, adeoque & hoc Regiæ Dignitatis auſpicium habuiſſe, memorat. Nihil minus, reſpondit DULODORVS. Appianus factum non de Lyſimacho, ſed de Seleuco tradit. Errorem Politiani, qui ad Lyſimachum id tranſfert, jam dudum detexit ſummum elegantiorum Literarum Decus, Per-Illuſt. *SPANHEMIUS*. Quod ad Nummum attinet, fateor Sculptorem, in Theſauro Palatino, cornu taurinum expreſſiſſe, ſed falsò. Prototypon enim, quod & hîc exhibeo, reverâ non taurinum, ſed arietinum habet. Error ex retorto Cinno ortus eſt, qui cornu apex videbatur, cum reverà capillus eſſet. Inſpice Numiſma, & judica!

Res indubia eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, video enim adhuc inciſuras illas, quibus cornua arietum inſigniri ſolent: Video umbram, cornu à Cinno ſeparantem; Sed aliud incidit. Lilius Gyraldus in Baccho ſub Epitheto Βουγενέως;

Sunt,

Sunt, inquit, *qui ſcribant, cornua criſtas vocari, ut in illo Virgilii XII. Æn. Et rubræ cornua criſtæ, hoc eſt comæ, quas Græci κέρατα nominant: Et cornua hi volunt Cincinnos eſſe, ac ideò Moſen cornutum Hebræis viſum putant, ut etiam Lyſimachum Regem in ejus Numiſmatibus videmus*: De Moſe, inquit DULODORUS, valeat horum commentum, nos enim non tangit. Valeat & de Baccho, hujus enim effigiem, tali cornu inſignem, infrà producam, quanquam & veris cornibus ſubinde ornatus proſtet. De Lyſimacho autem res omninò falſa eſt; vera enim hunc cornua inſignire, & oculare judicium deprehendit, & ratio hiſtoriæ ſuadet, cùm Ammonem non cincinnis, ſed veris cornibus inſignem paſſim videamus, cum & Alexandrum, qui Ammonis ſe filium jactabat, cujusque Diadema Lyſimachum Regiæ Dignitatis auſpicium habuiſſe, diximus. Verba Juſtini ſubnecto: *Lyſimachum*, inquit, *deſiliens equo Alexander, haſtæ cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis aliter cludi non poſſet, quàm Diadema ſibi demtum Rex, alligandi vulneris causâ, capiti ejus imponeret. Quod auſpicium primum Regalis Majeſtatis Lyſimacho fuit.*

Ad Diadema cornutum hæc ſufficiant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Ad averiam audire cupio, an adhuc ad junctа, cum gloria militari, Philoſophiæ ſtudia reſpicias? Poſſem, reſpondit DULODORUS, cùm eleganter ſuas Victorias Deæ Sapientiæ, rerumque bellicarum, quas colebat, Præſidi accepta tuliſſe, credi poſſit; Cui enim porrigat Victoriam, ſi non Regi, cujus in adverſa caput eſt? Elegans locus apud eundem Juſtinum ſuccurrit. *Lyſimachus*, inquit, *Virtutis experimentis omni Nobilitate clarior: quæ tanta in illo fuit, ut Animi magnitudine, Philoſophiâ ipsâ, Viriumque gloriâ omnes, per quos Oriens domitus eſt, vicerit.* Vides Opinionis meæ baſin, ARCHÆOPHILE, ſi tamen ea minus placeat, poterit eôdem Zelô, quô ſe legitimum Alexandri Hæredem in Diademate jactavit, etiam Minervam credi expreſſiſſe; Hanc enim, uti ſuprà vidimus, etiam Alexander habuit, Victoriarum & auſpicem, & adjutricem. De Victoriis Lyſimachi ſi plura deſideras, cogita Antigonum cæſum, Pyrrhum Macedoniâ ejectum: Si plura de Pallade, recordare Alciden, quam in Macedoniâ cultam ſuprà docui, Mechanitin, quam monogrammon ΜΕ. in Nummiſmate ſecundo. Παρθενον, quam ΠΑΡ. deſignare poterit. His ſane cognominibus Minervam cultam, idoneô Authorum ſuffragiô adſtrui poteſt, Mechanitis, quod diverſa Artium inſtrumenta invenerit, Παρθένου, quòd Virgo eſſet.

Quid autem Tridens? inquit ARCHÆOPHILUS; An ad Victoriam Navalem ſpectat, an ad locum ſignati Numiſmatis? Huc certè & monogr. ΠΑΡ. Te retuliſſe memini, quod Parus Inſula ſub eo commodè intelligeretur. Ne ſic quidem refragabor, reſpondit DVLODORVS; Eſt enim in his, uti incerta diſquiſitio, ita & ambulatoria deciſio. Succedit

NUMISMATA REGUM
PYRRHUS,
QVI
VICTORIARUM GLORIA
Dianam imitatus eſt.



AD Pyrrhi Numiſma, inquit ARCHÆOPHILVS, Dianæ in Epiro cultum Te attuliſſe memini: Memini ſub Victoria gradiente curſum Victoriarum ejus contemplatum eſſe: Tandemque & affixa in Jovis & Minervæ templis Gallorum & Macedonum ſcuta duabus inſcriptionibus docuiſſe. Quid præterea ad Nummum deſiderem? Nihil, inquit DVLODORVS, ſi non incertitudinem; Quis enim inter tot Victorias, quas Pyrrhus retulit? inter tot Regiones, quas victoriosè peragravit, certi quid ſtatuere auſit? cùm Numiſma nullô indiciô, nullô hiſtoriæ fulcrô determinetur? Diana equidem in Epiro cùlta eſt, ſed eadem culta eſt in Macedonia, eadem in Sicilia, Italia, Peloponneſo, id quod ex ſequentibus patebit. Quid ſi fulmen rem conficiat? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, fulmen enim in Nummis Epirotarum vulgò proſtat.

At ſimile Numiſma, reſpondit DULODORUS, apud Goltzium non Fulmen, ſed ſtellam præfert, & quid ſi non ad locum ſignaturæ Fulmen, ſed potiùs ad Jovem referri debeat? cui, ut dictum, ſcuta Pyrrhus memoratur ſuſpendiſſe? Tropæa ſanè Jovi inferri ſolita? non tantùm apud Romanos Jupiter Feretrius teſtatur, ſed etiam apud Græcos Τροπαιοῦχος Ζεὺς, cujus mentio eſt apud Dionyſium Halicarn. & Plutarchum: Imò & Ζεὺς Τροπαῖος, cujus templum Pauſanias memorat. Quicquid ſit, Victorias Pyrrhi non tantùm ſub Victoria contemplamur, ſed & ſub Diana, tam Venatrice, quàm Lucifera, cùm illius more, hoſtium catervas urſerit, hujus autem, Orbem gloria impleverit. Elegans eſt apud Juſtinum ejus elogium: *Satis conſtans*, inquit, *inter omnes Authores fama eſt, nullum nec ejus, nec ſuperioris ætatis Regem, comparandum Pyrrho fuiſſe; raroque non inter Reges tantùm, verum etiam inter Illuſtres Viros, aut vitæ ſanctioris, aut juſtitiæ probatioris viſum fuiſſe: Scientiam certè rei militaris in illo viro tantam fuiſſe, ut cum Lyſimacho, Demetrio, Antigono, tantis Regibus bella gerens, invictus ſemper fuerit: Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, & Carthaginenſium bellis nunquam inferior, plerumque etiam Victor extiterit: Qui patriam certè ſuam anguſtam ignobilemque, famâ rerum geſtarum, & claritate nominis ſui, TOTO ORBE illuſtrem reddiderit.* Haud aliter

ANTI-

ANTIGONUS,

Qui

PANOS INSTAR ARCADIBUS TUTELARIS,

Hoſtiles Lacedæmoniorum copias pepulit.



NUmiſma hoc Per-Illuſtris SPANHEMIUS, Antigono Tutori vindicavit, & rectè; licet enim Clypeus eôdem planè modô, quô hîc viſitur, etiam in Numiſmate Antigoniæ occurrat, quæ ab Antigono Gonata nomen traxit, effigies tamen à Gonata diverſiſſima eſt.

De Clypeo, inquit ARCHÆOPHILUS, cuperem doceri, neque enim intelligo, quid ſibi velint ornamenta? Nihil mihi de iis compertum eſt, reſpondit DULODORUS, niſi Lunam & Solem arbitreris, & Argyraſpidum & Chryſaſpidum memoria ſubeat, cùm Argentum ſub Luna, Aurum ſub Sole Chymicis intelligatur. Si hoc ita ſit, excepit ARCHÆOPHILUS, Numiſma ad Antigonum Aſiæ pertinebit, conſtat enim eum Argyraſpidas viciſſe. Argyraſpidas vicit, inquit DULODORUS, qui Alexandri erant, cùm autem in Clypeo & Chryſaſpidarum ratio eſſe poſſit, qui non minus ac Argyraſpidæ, Macedoniæ decora fuêre, uti teſtimonio Julii Pollucis conſtat, planum utique eſt, non ad Regem Aſiæ, ſed ad Regem Macedoniæ Nummum eſſe referendum. An igitur Antigonus utrosque habuerit? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Id compertum mihi non eſt, reſpondit DVLODORVS; Non enim hi, ſed Chalcaſpides in ejus exercitu apud Polybium memorantur, ab æreo Clypeo dicti, qualibus & Megalopolitanos armavit. Megalopolitanos? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Hæc Arcadiæ Urbs fuit, quibus Tutelarem Antigonum fuiſſe, ſtatuis; Sed quæſo! An Antigonus in Arcadia bellum geſſit? Geſſit, inquit DULODORVS, & quidem contra Cleomenem, id quod apud Polybium pluribus deſcribitur.

Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, adeòque ad Regis effigiem tranſeo, & Cornua contemplaturus & clavam. Effigies neſcio quid monſtroſi ſpirat, & Clava curva eſt, contrà quàm alibi ſolet, & Cornua cùm recta ſint, dubito an hircina eſſe poſſint? De Cornibus, inquit DVLODORVS, dubium non eſt; Non enim ſunt hirci vetuli, ſed qualia, ruptâ nuper fronte prominere ſolent. Ratio in hoc ipſo pro Arcadibus contra Cleomenem bello videtur conſiſtere. Arcadum Deus Pan fuit. Pro Arcadibus cum Antigonus pugnaret, quidni Panos habitu effingeretur? quidni Panos honore afficeretur? Id factum eſſe, hôc Numiſma demonſtrat. Facies eſt τερατωπὸς *monſtroſa*, ὄψις ἀμείλιχος ἠυγένεια *effigies implacabilis & hirſuta*, frons, δικέρως ſive *bicornis*, quæ omnia de Pane memorat Homerus in Hymno. Accedit à tergo Pedum, & ipſum Panos inſigne. Pedum enim hoc eſſe, non Clavam, ut hactenus credebatur, ex curvatura intelligimus. Pedum enim curvum Pani fuiſſe, ex Servio conſtat.

De

De Adverſa, inquit ARCHÆOPHILUS, non incongruè philoſopharis; Non video autem, quomodo Averſa cum his cohæreat? Quid? annon Minerva cum Caſſide & monogrammate, Nummum hunc in Macedonia percuſſum arguunt? id utique ſuprà ad Alexandrum docuiſti. Quid tum? reſpondit DULODORUS. Nonne & hi ad Pana potuerunt alludere, cùm Regem ſuum Bellonæ inſtar Lacedæmonios quaſi fulmine percuſſiſſe, & ex Arcadiæ Urbibus ejeciſſe audirent? Quanquam fortaſsè monogrammon non Heracleam Macedoniæ, ſed Heræam Arcadiæ ſignificet, quæ ſe Antigono tradidiſſe, apud Polybium memoratur. Heræam ſane ab Aliphera, in quâ ærea Minervæ Statua, & ſpecie & magnitudine præſtans fuit, non procul diſſitam, imò & Panos Templo nobilem, ex Pauſania diſcimus: Ἔστι ναὸς ἐν τῇ Ἡραίᾳ πανὸς, ἅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίου. *Eſt Templum PANOS in Heræa, quippe qui Arcadibus indigena Deus eſt.* Et paulò poſt, ex verſione Amaſæi: *Aliphæram ab Heræa ſi veniendum fuerit, Alphæum ubi tranſieris, ſtadiis propè X. confectis, ad montem accedas, unde ſtadium penè XXX. itinere per clivum in Oppidum aſcendas. Nomen Alipheræ à Lycaonis filio Aliphero inditum. Ædes ibi ſacræ Æſculapii & MINERVÆ, quam quod apud ſe natam & educatam perhibent, præcipuis dignantur honoribus, quô nomine & Lecheatæ Jovi aram dedicârunt, quòd ibi Minervam pepererit. Fontem etiam Tritonidem nuncupant, ad eum, quæ de Tritone amne vulgata ſunt, referentes. Deæ ipſius ex ære ſignum eſt, Hypatodori opus, ſpectatu dignum, tum magnitudinis, tum artificii causâ. Jam verò & nundinas celebrant, cui Deo, non ſatis conſtat: MINERVÆ arbitror.* Hæc Pauſanias. de Minerva teſtatur & Polybius; Artificem autem non Hypatodorum, ſed Hecatodorum & Soſtratum nominat, Statuam inter magnificentiſſima & exquiſitiſſimæ artis eorum opera reponens. Sed avocat nos

PHILIPPUS AB HAEMO REDUX,

Caput barbatum interprete non eget. Jovis eſt, de cujus in Macedonia cultu ſuprà ad nauſeam diximus, nec aliud hîc addendum, quàm quod Livius aſſerit, in Comitiis Argivorum, nomen Philippi, poſt Jovem, Apollinem, & Herculem, pronunciari ſolitum fuiſſe. Averſæ Eques, ipſe Rex videtur, eôdem modô expreſſus, quô in Numiſmatibus Romanorum Imperatores ſolent, poſt bella in Urbem revertentes, id quod inſcriptio ADVENTUS AUGG. indicare ſolet. Quid ſi tale quid etiam de Philippo ſtatuamus? Bellis hunc interfuiſſe, tota ferè Græcia ſenſit. Ætolicum cogita, cogita Romanum, quæ latius apud Polybium & Livium deſcribuntur.

Res in aprico jacet, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed cùm barbatus hic Eques ſit, adeòque Regem jam ætate gravem adumbret, neſcio annon ad reditum ab Hæmo, ubi Jovi & Apollini ſacrificaſſe memoratur, Numiſma referre debeam. De eo certè Livius L. XL. c. 23. *Hæc* (indicia ſcil. de Demetrio, fugam

ad

ad Romanos meditante) *ſuper cætera triſtem ADVENTUM IN MACEDONIAM Regi fecerunt.* Quid concinnius ad Numiſma dici poterit? Si ſubſiſtas, inquit DULODORUS, ſubjectum Equiti Tridentem Urbis cujusdam maritimæ, in qua Nummus percuſſus ſit, arbitraberis ſymbolum, quanquam etiam ad Copias Philippi navales referri poſſit, de quibus Polybius paſſim. Sed habitus contemplatione dignus eſt. Caput Pileo tegitur. Ab humeris dependet Chlamys. Chlamydem Macedonum veſtem fuiſſe, Strabo docet p. 226. & Pileum Macedonicum, *Cauſiam* dictum, ex Julio Polluce conſtat L. X. c. 36. Ita apud Plutarchum Neoptolemus ait, *Macedones deſiderare Craterum, ejuſque ſi CAUSIAM modo conſpexiſſent, cum armis ad eum venturos*; Et paulò pòſt: *Jus Eumeni fuiſſe, CAUSIAS purpureas & Chlamydes conferendi, quod habebatur apud Macedones inter dona Regia præcipuum*; Et in Demetrio: *Eum CAUSIIS DIMITRIS ſe ornâſſe*; & iterum: *CHLAMYDEM ei textam fuiſſe.* Ex quibus omnibus & de Cauſia & de Chlamyde docemur. Prodit

PERSEUS,
MAGNIFICUS DEORUM CULTOR,



Sed ultimus Macedonum Rex, qui à L. Paulo victus, Romæque in Triumpho ductus eſt. Animi vitia, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ Te ex hiſtoriis deduxiſſe memini, vel in facie agnoſco. In Numiſmate autem non vitia, ſed Virtutes celebrari crediderim, modò verum ſit, quod & ipſum docuiſti, ſub Aquila Regem, ſub Fulmine Regias vires intelligendas, quibus Civicam ſe meriturum Perſeus ſperaverit. Ita tunc, reſpondit DULODORVS, nunc Aquilam & Coronam querceam omninò ad Jovem retulero. Quanquam enim cœteris in rebus Perſeus inſanierit, *in duabus tamen*, verbis Livii utor, *magnis honeſtisque rebus, verè Regius erat animus: In Urbium donis, & Deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum ſe circumdaturum Urbi eſt pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ Theatrum magnificum è marmore facere inſtituit. Cyzici in Prytaneum, id eſt, penetrale Urbis, ubi publicè, quibus is honos datus eſt, veſcuntur, Vaſa aurea menſæ unius poſuit. Rhodiis, ut nihil unum inſigne ita omnis generis, ut quæque uſus eorum poſtulaverunt, dona dedit. Magnificentiæ verò in Deos, vel JOVIS OLYMPII TEMPLUM ATHENIS, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, poteſt teſtis eſſe. Sed & Delon Aris Inſignibus, Statuarumque copiâ exornavit. Et ANTIOCHIÆ JOVIS CAPITOLINI magnificum templum, non laqueatum auro tantùm, ſed parietibus totis laminâ inauratum, & alia multa, in aliis locis pollicitus, quia per breve tempus Regni ejus fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentiâ, ſuperiores Reges vicit.* Hæc Livii verba, cum Numiſmate noſtro collata, utique indubiè monſtrant, ad Jovem hanc Aquilam Κεραυνοφόρον, ad Jovem hanc è quercu Coronam pertinere; Quid enim litera A. ante Aquilam ſignificet? ſi

non Athenas, ubi Olympici Jovis templum Perſeus inchoavit? Quid AN. inter Aquilæ pedes? Si non Antiochiam, ubi templum Jovis Capitolini ſe ædificaturum promiſit?

Perſuades, inquit ARCHÆOPHILUS, Aquilam enim & Quercum Jovi dicatam nemo neſcit. Sed quid litera Φ. ſupra Aquilam? quid Aratrum infra coronam? Litera Φ. reſpondit DULODORUS, *Philippos*, locum ſignati Numiſmatis indicare poteſt, Aratrum procul dubio ad Agriculturam pertinet, cujus inſtrumentum eſt. Qui apud exteros magnificus volebat videri, quidni idem & in ſubditos Clementiam, Regionisque inde enatam Felicitatem credatur jactâſſe? Sed in Aſiam tranſimus. Hic

DEMETRIUS POLYORCETES
& Navium vaſtitatem, & Navalem contra Ptolemæum Victoriam jactat.



RAtionem aſſerti Tui, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor, eam habes, quòd ea Victoria omnium longè maxima fuerit, & his potiſſimùm de cauſis celebrata, quòd titulum Regis Succeſſoribus Alexandri dederit. Satis ſpecioſa hæc eſt, quanquam an ſatis firma, jure fortaſſis dubitem. Quid enim? annon plures Victorias navales Demetrius obtinuit? utique cum Nonnio hoc ipſe fateris? Annon Regis titulum ab Athenienſibus nactus eſt, multò ante, quàm ad Cyprum depugnaret? Annon monogrammon Heracleam indicat, quæ Demetrio, cùm trecentis & triginta navibus adveniens, Caſſandrum Athenas obſidentem, Thermopylas usque fugaſſet, ſe dedidit? Si quod ſentio, fateri licet, hæc ipſa de Caſſandro Victoria Nummo expreſſa videtur, quòd Neptuni inſtar advectus, hoſtem tanquam Deus aliquis aggreſſus eſt, divinosque eô factô honores meruit. Victoria contra Caſſandrum, reſpondit DULODORUS, navalis non fuit. Titulum Regis ante Victoriam de Ptolemæo ad Cyprum, non aſſumſit. Qui Neptunum Tridente infeſtum: Qui Victoriam navi inſiſtentem, tubâque res geſtas decantantem expreſſit, procul dubio actionem reſpexit, non Terrâ ſed Mari patratam. Ut ita non videam, quid contra opinionem meam allatæ rationes valeant? Si nihil, excepit ARCHÆOPHILUS, quid Numiſma denuò producimus? Ut Demetrii, inquit DULODORUS, arrogantiam contemplemur, qui riſit, ſi quis alium, extra ſe & Patrem, Regio nomine dignaretur: Ut fiduciam Victoriarum intueamur, quæ tanta fuit, ut etiam per ſomnum, non Jovem tantùm, ſed & *Victoriam* ſe prælii teſſeram daturum, Alexandro reſponderit: Ut naves intueamur, quarum ſplendor eô tempore haud vulgaris fuit. Et quinam? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Is, reſpondit DULODORUS, quem Plutarchus pluribus deſcribit: *In Claſſem*, inquit, interprete Xylandro, *Machinamentisque ſplendidè parandis, atque in iis cum voluptate commentandis erat nimium curioſus; Quippe mole vel amicos percellebant, venuſtate*

nuſtate retinebant & hoſtes. SENUM DENUM, ET QVINUM DENUM ORDINUM NAVIGIA *ejus, ſtabant ſtupentes hoſtes, quum littora ſua præterveherentur.* Et iterum: CLASSEM NAVIUM *ad quingentarum numerum moliens, alias ædificabat in Portu Piræi, alias Corinthi, alias Chalcide, alias circa Pellam. Ipſe aſſiduè accurrebat, docebatque quæ eſſent ex uſu, & conſilio fabros adjuvabat. Obſtupeſcebant omnes non numerum modò, verùm molem quoque operum. Nemo enim conſpexerat ante mortalium nec* QVINDECIM ORDINUM, NEC SEXDECIM NAVEM. Magna hæc, inquit ARCHÆOPHILVS. Magna fateor, reſpondit DULODORVS; vicit tamen, ut navium multitudinem Ptolemæus Philopator, ita ipſum Demetrium

SELEUCUS,

Qui Palladis auxiliô origini divinæ fidem fecit.



ORiginem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, memini Te ſub Anchora contemplatum eſſe, quòd non tantùm, Juſtino teſte, Mater ejus cum Apolline concumbens, Annulum concubitûs præmium habuerit, idque deinceps ſignum Seleucidarum genitale fuerit; ſed etiam, quòd Appiano memorante, ea ipſa Regni auſpicium Seleuco dederit, & excidente Annulo circa Euphratem, & apparente anchorâ ſub lapide, ad quam offenderat, Babyloniam obiens. Memini & de victoriis Te Juſtinum adduxiſſe, qui ſanè cum de cœteris, tum maximè de ea, quam contra Lyſimachum obtinuit appoſitè. *Lætus*, inquit, *tantâ victoria Seleucus, & quod majus victoria putabat, ſolum ſe de cohorte Alexandri remanſiſſe,* VICTOREMQVE VICTORUM *exſtitiſſe, non humanum eſſe opus, ſed divinum gloriatur.* Benè hæc, inquit DULODORVS, quanquam non ſufficiant. Quid deſideretur? ſubjecit ARCHÆOPHILVS. De Pallade ut dicatur, reſpondit DULODORVS; Sub hâc enim tantùm Seleuci fortitudinem contemplatus ſum, cùm tamen omninò Deam hanc, Alexandri more, in bellis adjutricem videatur, & credidiſſe Seleucus, & coluiſſe, id quod vel ex Numiſmate planum eſt, quod Celeber. Vaillant: de Regibus Syriæ protulit, in quo Pallas ex quadrigis Elephantorum, non triumphabunda proſpicit, ſed præliatur. Sed & in nomine Regis, imò & in anchora adhuc ſunt, fortaſſis non adeò vulgata. Seleucum jam in Branchidis, cùm Oraculum captaret, *Regem* appellatum, Diodorus author eſt: Et Philoſtratus narrat, *Apollonio adoleſcentem, omnium Indorum nigerrimum occurrentem, dextrâ manu* ANCHORAM *prætuliſſe, quam Indi pro Caduceo habeant, ἐπὶ τὸ πάντα ἰσχεῖν, quòd omnia coërceat.* Quid hoc ad Seleucum? inquit ARCHÆOPHILVS. Multum, reſpondit DVLODORVS, Seleucum enim in Indiam, à Sandrocotto occupatam, expeditionem ſuſcepiſſe, utique ex hiſtoriis docemur; Quid igitur, ſi Indi anchoræ ſymbolum à Seleuco habuerint? Quid ſi ad Indorum, imò & ad Ptolemæi Lagidæ apud Appian. in Syr.

mentem, sub anchorâ, in Nummo expressâ, non tantùm augurium Regni lateat, sed & ostentatio pacis, & securitatis, quam Seleucus Victoriis suis pepererit? Quicquid sit, Nicatorium à Seleuco exstructum, id quod Arrianus refert, nec ad Victoriam tacendum. Sed

ANTIOCHUS

Succedit, Seleuci filius qui originem divinam in Nummo pleniùs exposuit.



SEleuci filium Tu hunc? infit ARCHÆOPHILVS. Atqui Antiochum M. in Thesauro Palatino statuisti. Sententiam retracto, inquit DVLODORVS, idque penitiùs & inspectâ & trutinatâ utriusque effigie. Nasi apicem in Numismate reductam cernimus, planè qualiter Antiochus Soter habuit, neutiquam autem, qualiter Magnus; Hic enim, ut & in sequenti videbimus, nasi apicem prominentem habuit. Numismata conferentibus differentia obscura esse non potest. Apollo, qui in aversa cum arcu & sagitta sedet, interprete non eget. Adjecta anchora cum ad originem Seleucidarum apertè deducit.

Scio, inquit ARCHÆOPHILUS. Sed de monogrammate, quod Apamiam interpretatus es, mihi nondum convenit; Quid enim? annon justius Apollinis hoc Epitheton judicabitur esse? sive Patrouum, qui in Attica: sive Parrhasium, qui in Arcadia: sive Pataræum, qui in Lycia: sive Pasparium, qui in Pariis & Pergamenis: sive denique Pagasæum arbitreris, qui apud Magnesios cultus est. Quidni & Παρνοπίωνα *Muscarium* addis? subjecit DVLODORVS, cujus & ipsius apud Pausaniam mentio exstat: Sed age, quem ex his omnibus in Numismate præferendum arbitraris? Pataræum, respondit ARCHÆOPHILUS, idque non tantùm, quòd Patara à Pataro, Apollinis filio, cognominata memoratur, sed etiam, quòd ei inter cœtera Donaria, etiam arcus & sagittæ, quas in Nummo exhibet, ferebantur, id quod ex Stephano discimus. Quasi verò, inquit DULODORUS, non etiam alibi hæc insignia Apollo præferat. Mihi pro Urbe sentiendum, vel ideò videtur, quòd non tantùm locus Numismatis signati ita patescat, sed & Antiochi ipsius gloria; Apamiam enim ab Antiocho Sotere conditam, nomenque ei ex nomine matris impositum, Strabo asserit. At plures fuére hujus nominis, inquit ARCHÆOPHILVS. Fuére, respondit DULODORVS, sed Antiochus quam condidit, in Phrygia fuit, eô locô sita, quô Marsyam Apollo vicisse memoratur. Si tamen huic minus Numisma assignes, poteris id Apamiam Syriæ referre, quam inter tres, quas Seleucus in Uxoris honorem condidit, maxime illustrem fuisse, ex Authoribus constat.

De Sedili Apollinis adhuc doceas velim, inquit ARCHÆOPHILVS, neque enim de Cortina quod adfers, satis mihi probabile videtur. Conjectura id fuit, subjecit DULODORVS, quâ si certius attuleris facilè cessero. Apud

Pau-

Pausaniam in Phocicis, perrexit ARCHÆOPHILVS, ferrea Crateræ basis memoratur, basi latiore, in obtusum fastigium surgens, transversis e ferro Zonulis incincta, donum Halyattis, Lydorum Regis, Opus Glauci Chii, qui primus artem ferruminandi invenit. Quid si hanc in Numismate expressam arbitremur? nam & in hac basis latior in obtusum fastigium surgit, transversæque e ferro Zonulæ ad oculum patent. Vereor subscribere, inquit DVLODORVS, Zonulæ enim apud Pausaniam incinctæ dicuntur, ut in scalis gradus; In Numismate autem non hòc modò, sed decussatim se invicem intersecantes visuntur, planè qualiter Cistæ solent. Iterum ad Apollinem Pataræum devolvor, subjecit ARCHÆOPHILVS, hunc enim a Patara aut Cista ejusmodi appellatum esse, ex allegato Stephani loco intelligimus. En verba! Ἀλέξανδρος Σαλακίαν κόρην ἐξ Ὀφιονιδος φησὶ φέρειν ἱερὰ τῷ Απόλλωνι ἐν Πατάροις. Ἔστι δὲ ταῦτα πέμματα. λύραι τε, καὶ τόξα, καὶ βέλη, ὅις παίζειν νηπίους ὄντας. Θεῖσαν δὲ τὸ ἄγγος, ἀναπαύεσθαι κατὰ τὴν ὁδόν. Ἄνεμον δ' ἐπιπνεύσαντα εἰς τὴν θάλασσαν βαλεῖν τὴν Πατάραν. Κλαίουσαν δὲ τὴν παῖδα, εἰς τὸν οἶκον ἐλθεῖν. Τὴν δὲ Πατάραν τῇ Λυκίων χερρονήσῳ κατενεχθῆναι. Περιτυχόντα δέ τινα τῶν ἐκ τῆς Σαλακίας φυγόντων, τῇ Πατάρᾳ τὰ ἐν αὐτῇ πέμματα πάντα κατακαῦσαι, καὶ τὴν χερρόνησον ἱερὰν Απόλλωνι εἶναι. Ωνομάσθαι δὲ τὴν χώραν ἀπὸ τοῦ ἄγγους τοῦ Πατάρας, Πατάρα. Μεθερμενεύεσθαι δέ τὴν Πατάραν ἑλληνιστὶ, Κίστιν. *Alexander*, inquit, *quòd Salacia puella ex Ophionide ferebat sacra Apollini in* PATARIS. *Hæc vero sunt Bellaria, Lyræ, Arcus & Sagittæ, quibus ludebant, quum adhuc essent pueri. Posito vero vase, requievit in itinere. Perflante verò vento* PATARAM *in mare abreptam fuisse scribit: Ac puellam flentem domum rediisse:* PATARAM *verò ad Lyciorum Chersonesum delatam fuisse: Quendam verò illorum, qui ex Salacia fugerant,* PATARAM *invenisse, atque omnia bellaria, quæ in ea erant, cremavisse, itaque Chersonesum Apollini sacram esse. Regionem autem à* VASE PATARÆ *illic invento,* PATARAM *nominatam fuisse. Interpretari verò* PATARAM *Græcè,* ΚΙΣΤΙΝ, *id est, CISTAM.* Hæc cum ita sint, quidni Apollinem, in Numismate proposito, *Pataræ insidentem* credamus? Quidni *Apollinem Pataræum* intelligamus? Si Cista foret, respondit DVLODORVS, operculum utique aliquo saltem indicio distingueretur, uti distinguitur in Nummis Urbium Cretæ, apud Goltzium. Cùm non distinguatur, mihi satiùs videtur, in re obscura ignorantiam fateri, quam incertis conjecturis diutiùs jactari. Subit

SELEUCUS CERAUNUS, CUM FRATRE DIOSCURORUM SPECIE EFFICTUS.



CErauno hunc Nummum tribui debere, jam in Thesauro Palatino docui. Imò, excepit ARCHÆOPHILVS, sed hoc conjecturâ, quam utique fragilem ipse fassus es. Faxo, inquit DVLODORVS, ut fidem inveniat. Duo capita intuere, quæ in Numismatis adversa radiant! Intueor, inquit ARCHÆO-

PHILUS, & quidem Pileis tecta, qualiter Dioſcuri ſolent. Imò, ſubjecit DULODORUS, ipſorum etiam Dioſcurorum hic ratio eſt. Nonne Stellas cernis Pileorum apicibus impoſitas? Video, reſpondit ARCHÆOPHILVS, ſed quid hoc ad rem? Non hoc in argumentum adduco, perrexit DULODORUS, ſed ipſa capitum lineamenta; Non enim Dioſcuri hi ſunt, ſed ipſa Regum ſimulacra, Seleuci Cerauni ſcilicet, & fratris ejus Antiochi, qui Magni poſtea cognomen meruit. Si Numiſmata utriusque apud Vaillantium conferas, nihil omninò dubitabis.

Sed an tanta, inquit ARCHÆOPHILVS, fratrum concordia fuit, ut habitum ſibi Dioſcurorum vindicare poſſent? An tanta fiducia, ut id agerent ſine arrogantiæ nota? Alterum, reſpondit DULODORVS, ex Hieronymo adſtruxeris, qui in Danielem *poſt mortem Callinici duos ejus filios Seleucum cognomento Ceraunum, & Antiochum, qui Magnus appellatus eſt, provocatos ſpe Victoriæ & ultione parentis exercitum congregaſſe, memorat*; alterum ex lepido Galeris apud Ælianum verbo apparet. Is cum Ptolemæo equitans, & aliquos ad ſupplicium duci videns, *ſed ô Rex*, exclamavit, *quandoquidem proſperâ quâdam Sontium iſtorum fortunâ, in Equis nunc ſumus, age! ſi tibi gratum eſt, calcaribus admotis appareamus miſeris, quaſi* DIOSCURI SALVATORES, & OPIFERI, *ſalutem ferentes, quod commune proverbio de his Diis vulgatum eſt.* Scilicet ut hi fontibus, ita Seleucus & Antiochus locis citra Taurum, quos Attalus oppreſſerat, tanquam ſalutaria ſidera credi poſſunt properaſſe auxiliatum; Niſi potiùs ad ſpem Victoriæ Nummum referas, de quâ Hieronymus verbis ſuprà allatis. Corona adhuc obſcura eſt, excepit ARCHÆOPHILUS. Etiam in hâc, reſpondit DULODORVS, Dioſcuri noſcuntur. Dioſcuros enim Lacedæmonios fuiſſe, in vulgus patet, & Lacedæmonios Coronas è Palmis habuiſſe, quales in Nummo ad oculum patent, ex Athenæo docemur. En verba! Θυρεατικοὶ, οὕτω καλοῦνται στεφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις ὡς φησιν Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ Θυσιῶν, Ψιλίνους αὐτοὺς φάσκων νῦν ὀνομάζεσθαι, ὄντας ἐκ Φοινίκων. Φέρειν δ' αὐτοὺς ὑπόμνημα τῆς ἐν Θυρέῳ γενομένης νίκης τοὺς προστάτας τῶν ἀγομένων χορῶν. *Thyreaticas Lacedæmonii coronas quasdam appellant, ut tradit Soſibius in Libro de Sacrificiis, è* PALMA *factas, quas nunc Pſilinas appellant. Eas Victoriæ monumentum, quam ad Thyream obtinuerunt, geſtant Chororum Duces* &c. Sed ad alia pergimus.

DEMETRIUS SOTER,
Victorias ſuas, felicitatis publicæ, jactavit, fulcrum eſſe.



HOc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILVS, Demetrio Syriæ tribuis, idque ob cognomen *Soteros*, quod à Babyloniis accepiſſe, Appiano memoratur, cum Roma profugus, Lyſiam & Antiochum interfeciſſet, Heraclidam ejeciſſet, Timarchum, ut rebellem, occidiſſet; Sed quæsò DULODORE, annon & Poliorcetes *Soteros* cognomen habuit? Plutarchus rei teſtis eſt, ab Athenienſibus id

id ei collatum, in Vita memorans. Non cognomen tantùm, respondit DULODORUS, sed numerum in Numismate expressum, in testimonium adduco. Quid enim literis B Z P. sub Apolline expressis indigitetur, si non annus 162. qui ex æra Seleucidarum, in annum Demetrii duodecimum incidit, quo simul cum Regno & vitam amisit, uti rectissimè ex hoc Nummo, contra erroneum quorundam Chronologorum calculum, Nobiliss. Vaillant contendit. Sed non hoc tantùm Numisma commendat. In Apolline est, quod an hactenus observatum, valdè equidem dubitem. In Apolline? inquit ARCHÆOPHILUS, atqui longà hunc veste usum, ex Nummis Augusti, & ex vulgato illo:

Pythius in longâ carmina veste sonat,

Jamdudum constat. Ita nec Sagitta nec Cornucopiæ interprete egent; Illa enim Apollini, tantùm non propria est, & hoc Apollini ideò datum, Nobiliss. Vaillant existimat, quòd Apollo Sol fuerit, terras fœcundans. Non hoc, inquit DULODORUS, sed fruges dico, quibus Cornucopiæ refertum est. Quis enim ante me, in eo, *Pistacion* Syrorum observavit? Pistacion? interrogavit ARCHÆOPHILUS; At ego nihil nisi Poma & Uvam mihi videor deprehendere. Si Uvam arbitreris, subjecit DULODORUS, ne sic quidem abs re feceris, cùm non tantùm Bacchi in Syria cultus celeberrimus fuerit, adeò, ut in ejus templo, Lucianò teste, & lapilli Indici, & Elephantorum cornua, quæ Bacchus ex India attulit, asservarentur; sed etiam agri, vini generosi feraces, ex Nummis Philadelphensium Cœle Syriæ probari possint. Sed mihi, quod Tu Uvam interpretaris *Pistacion* esse videtur, cùm & hoc *racemosô fructu, albô cortice vestitô, oblongô, glandibus simili, accinorum instar coacervatô, ut alium incumbens alius contingat*, Athenæo memoretur.

Non hoc tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & aliud quid instar Dentis ex cornucopiæ protenditur: An cornu Elephanti id arbitrabimur, qualia in Bacchi templo fuisse, ex Luciano probâsti? Me judice non facies, respondit DULODORUS, non enim Indicæ divitiæ, sed Regionis partus, hîc mihi radiare videntur; Indeque quod Dentis instar prominet, *Cassiam*: quod Pomum dicis, *Palmulas*, magis fortassis ex vero definiemus, idque ex authoritate Melanippidæ Milesii apud Athenæum, qui ἱερόδακρυν λίβανον ἐυώδεις τὲ Φοίνικας, Κασιάντε, *Sacras lacrymas, thus, beneolentes Palmulas, tandemque &* CASIAM, Τέρενα Συρίας τέρματα, *insignes Syriæ opes* appellat. Quicquid sit, Regionis abundantiam hôc Cornucopiæ præfigurari nemo negabit, quæ, dicto Athenæo teste, tanta fuit, ut plures Syri conventus agerent, frequenter epularentur, lavarent, oleisque pretiosis ac unguentis delibuti sese ingurgitarent &c. Et cùm Apollo, qui stirpis Seleucidarum author fuit, in Nummo Demetrii Cornucopiæ teneat: Cùm insuper Apollo hic throno insideat, Victoriâ suffulto; Quis non videt, & Regionis abundantiam Demetrium, suis Victoriis hîc persuasurum, & procurari, & sustineri? Laurea sanè Victoriæ præmium in adversa caput Regium ambit; Neque enim ad Daphnem retuleris, cùm adjunctum monogrammon Aradi hunc Nummum percussum, non adeò obscurè videatur arguere. In sequenti Numismate

CLEO-

CLEOPATRA ET ANTIOCHUS, Victoriam de Alexandro, Jovi acceptam tulére.

DE capite Antiochi, inquit ARCHÆOPHILUS, dubium esse potest, an Epiphanis id sit, an verò Evergetæ. Ille Cleopatræ filius fuit, & hic fuit maritus, licet vivo adhuc marito Demetrio. Dubium hoc, respondit DULODORUS, à Celeb. Vaillantio dilutum est, idque ex Numismate alio, in quo similia capita annum Seleucidarum 187. præferunt, quo Cleopatra, interfectô Demetriô, alterô maritô, occisôque Seleucô, filiorum maximô, Antiochum, filiorum alterum, ad Regni non tam habenas, quàm umbram admovit. Ex eo sanè sequitur, non Antiochum Evergetem, nam is ante quinquennium jam occisus erat, sed Epiphanem in Nummis, Cleopatræ sociari, id quod & dispar honoris gradus evincit; Cleopatra enim velo Divinitatis ornata, *Dea* dicitur, & filio, qui *Regis* tantùm titulo fulget, præponitur, quod utique tantùm abest, ut maritus, magnanimus præsertim ille Evergetes, credi possit fuisse laturus, ut potiùs in omnibus, quæ quidem hactenus apparuére, ejus Numismatibus, solus occurrat. Ad propositum Te observare velim, diversum fuisse Diadema Reginarum ab ἀναδέματε, sive triangulari isto fœminarum super frontem ornatu, de quo inter Gemmas dictum est. Utroque enim Cleopatram insignem cernis: Cernis & luxuriosis capillorum cincinnis, non ad tempora tantùm, sed etiam in fronte insignem. Sed de his pluribus dicere operæ pretium non est. Aversam, recordaberis, ad Victoriam de Alexandro me retulisse, de quo insignis ad rem Justini locus est. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, sed juxta Antiochi nomen adhuc monogrammon video, quod in Thesauro Palatino omissum est. Tale, excepit DULODORUS, etiam in Nummo Seleuci Cerauni, imò & hujus ipsius Antiochi apud Clar. Vaillant occurrit, an Syriæ Callipolis, an verò aliud quid eô indigitetur, Peritiorum judicium esto!

Virgulam adhuc video, perrexit ARCHÆOPHILUS, Sceptrum Jovis supra manum decussatim secantem. Talis ferè, respondit DULODORVS, & in Sceptro Astartes, Sidoniorum Deæ, apud eundem Vaillantium cernitur, quò autem pertineat, non facilè dixerim. Cœterùm nec Avis prætereunda, quæ Sceptro imminet. Aquilam hanc esse, notissimam Jovis satellitem, non arbitror inficiaberis. Sed ecce! Idem

ANTIO-

ANTIOCHUS EPIPHANES
An Jovis? an Dei Luni? ſimulacrum expreſſit,



Idque Matri non amplius junctus; Hanc enim jam ante novem annos venenô, quod Filio paraverat, conſtat occubuiſſe. Ante novem annos? excepit ARCHÆOPHILUS, & unde hoc probaveris? Ex adjecta literâ numerali Σ. reſpondit DVLODORVS, hæc enim annô Seleucidarum 200. Numiſma percuſſum arguit: Cleopatra autem occubuit, non diu poſt Victoriam contra Alexandrum relatam; Ea enim Antiochi authoritatem erexit, id quod Cleopatra dolens, venenum paravit.

Si hoc ita ſe habeat, perrexit ARCHÆOPHILUS, forſitan etiam in aversâ Jovis, qui inſolitâ plane figurâ hic viſitur, nobis notitia ſurget; Vix enim crediderim, ſub Sole & Luna duplicem annum latere, naturalem ſcil. & civilem, id quod Cel. Vaillant ſtatuit, quid enim hæc ad Jovem? Ego potiùs, ut & in Romanorum Numiſmatibus, ſymbola hæc æternitatis crediderim; Solis enim & Lunæ decurſu omnis temporum periodus deſcribitur, & Jovem legis perpetuæ & æternæ vim creditum, ex Cicerone conſtat. Solem ſane & Lunam Jovis oculos fuiſſe, Athanaſ. Kircherus ait Oedip. Ægyp. Gymnaſ. Claſſ. II. Sphinge Myſtagoga p. 362. & Jovem Belum, quem Syri coluére, eundem cum Sole fuiſſe, ſuprà ex Servio docuiſti. Huc facit, quod allegante Oiſeliô, Horus & Diodorus tradunt, Solem ſcilicet & Lunam ſidera æterna fuiſſe, additâ inſcriptione antiquâ:

ÆTERNITATI.
SACR.
SOLI. ET. LUNÆ.

Fervidè pugnas, inquit DULODORVS, &, ſi modò Jupiter hic ſit, fortaſſis non incaſſum;. Quanquam nec prior opinio rejicienda videatur, cùm Jupiter non temporibus tantùm, ſed & hominum actionibus creditus fuerit imperare. Ita in Sole, quidni annuum Solis decurſum intelligamus, qui omnia vivificat & producit? ſub Luna, quidni menſium ordines, ad quos Civilis Politia in Pace componitur, uti ſub jaculo, quod in ſiniſtra Jupiter figit, bella, quibus & ipſis præſidet.

Jaculo? inſit ARCHÆOPHILUS, at ego Sceptrum hoc cum Antiquariorum Peritiſſimis hactenus credidi. Sceptrum Jovis, reſpondit DULODORUS, purum erat, at in propoſito ferrum præfixum, ſagittæ inſtar, ad oculum patet, eôdem modô, quô & in Jove Cario Hecatomni, de quo infra dicendi locus erit. Martem ego bellorum Præfectum arbitrabar, excepit ARCHÆOPHILUS. Imò & Jupiter fuit, reſpondit DULODORUS. Inde enim Stratii ſive militaris cognomen, & in Caria meruit, & in Ponto, uti apud Herodotum & Plinium videre eſt. Hæc ut ut ſe habeant, tacenda tamen non eſt Illuſtriſſimi

Scientiarum Sideris, *SPANHEMII* ſententia, cui & nos tantò juſtius aſſurgimus, quantò certius eſt, HERCULEM hunc MUSAGETEM nihil, niſi bene perſpectum aſſerere. Non Jovem hoc in Nummo agnoſcit, ſed omninò Deum LUNUM, juxta ſolitos ejus etiam in aliis Nummis typos, Dimidiæ ſcilicet Lunæ ſuprà caput, & haſtæ in ſiniſtra &c. Additque, occurrere eum, tum alibi, tum in antiquis Antiochiæ, Romanæ Coloniæ in Piſidia, Nummis, cum inſcriptione, MENSIS COL. CÆS. ANTIOCH. Quid magis ad rem adferri poteſt? Succedit

ANTIOCHVS PHILOPATOR
Qui
Victoriam de Fratre Palladi acceptam tulit.



VIctoriam hanc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Numiſmate propoſitô exhiberi, Te ſtatuere memini, ſed ſimile cùm Nobiliſſimus Vaillant initio Regni ab Antiochenſibus percuſſum producat, neſcio an opinioni fides acceſſura ſit. Vaillantius, reſpondit DULODORVS, ex lanugine argumentum ſumſit, quod minus mihi firmum videtur. Hiſtoria ipſa potior eſt. Quid enim Pallas bellorum Præſes, ſummôque honore etiam ab Alexandri Succeſſoribus culta, quid, inquam, Victoriolam porrigens? ſi non Victoriam bello obtentam ſignificet? Antiochiæ percuſſum eſt & noſtrum Numiſma, & ſub Pallade adhuc literarum numeralium AΣ veſtigia non adeò obſcurè obſervantur, quæ utique rem ad annum Seleucidarum 201. reducunt, quo dictâ Victoriâ Philopator potitus eſt. Sed nihil præter hæc in Numiſmate novum.

SELEUCUS
EPIPHANES NICATOR,
Eandem Palladem expreſſit, idque ob Victoriam de Antiocho Philopatore,

Uti Nobl. Vaillant rectè ſtatuit. Idem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Seleucum anno 216. quo Pater interfectus eſt, ſucceſſiſſe, anno verò 217. Victoriam retuliſſe

retuliſſe ſcribit, an rectè? fateor, mihi hactenus dubium fuit; Licet enim, quod ex Nummis & Joſepho demonſtrat, anno Seleucidarum 187. Regis nomen acceperit, Regni vero 29. interfectus ſit, illud tamen diſquiri poteſt, an utrinque anni completi, an verò incompleti intelligendi ſint? Si prius ſtatuas, utique cum Vaillantii calculo ritè ſenſeris, ſed vereor ut baſis ſubſiſtat: Si poſterius, quod utique credibilius eſt, mors Patris, & initium filii, utique poterit in annum 25. reduci. Non initium tantùm, reſpondit DULODORVS, imò & Victoria de Antiocho Philopatore annô 215. accidit. Non firmiore teſtimoniò rem adſtruxero, quàm expreſſis, quas Vaillantius omiſit, literis numeralibus ΕΙΣ. Inſpice Numiſma & judica! Ad oculum patent, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed literæ priori E. adhuc alia, & niſi fallor A. adjungitur.

Recte vides, reſpondit DULODORVS. Antiochiæ Nummum ſignatum fortaſſe arguit. Atqui Vaillantius, excepit ARCHÆOPHILVS, ad Sidonem reſpicit, idque ob Acroſtirium, quod in Nummo cernimus. An Acroſtirium hoc ſit? reſpondit DVLODORVS, an Palmæ ramus? dubitari poteſt. Figura ſanè Palmæ quam Acroſtirio propior eſt, & quid ad Victoriam, Palmæ ramo convenientius? quid ad cognomen ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ? Quanquam nec ratio pro Acroſtirio deſit; Literæ enim A. quam Antiochiæ forſan initialem dixi, in ſummo apice Omicron junctum cerno, eo modô, quô monogrammon Aradi præfigurari ſolet. Quid ſi hinc Aradi Nummum percuſſum, eoque Acroſtirium pertinere contendas? Sed

ANTIOCHVS EPIPHANES DIONYSUS

Duplici in Numiſmate ſe nobis offert, utrobique & Hederâ, & Diademate, & Radiis ornatus. Ut Diadema Regem, ita Hedera Bacchum, & Radii Solem indicant, quem cum Baccho eundem Veteres credidére. Bacchum certè in Nummo ejus apud Vaillantium videas, qui & ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, *Bacchi viſibilis*, cognomen à Damaſcenis ei datum aſſerit, quod illis in præſenti rerum ſuarum æſtu, tanquam Deus apparuiſſet.

De hoc dubium non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, imò nec de Apolline ſedente, qui in Seleucidarum Nummis, tanquam generis author, frequens eſt. Sed de adjectis literis ΟΡ ΣΤΑ & Φ. audire velim, de hac enim omninò video Te tacuiſſe, & illas licet Ὀργια Σταφυλίτου interpretatus fueris, vix tamen aſſentior, cùm in aliis literæ hæ ſeparatim legantur: Ita ΟΡ in Nummo Demetrii ſecundi, apud Vaillantium numeralis eſt, & ΣΤΑ. in pluribus hujus Regis Numiſmatibus obſervari, idem Author aſſerit. Incerta in his diſquiſitio eſt, reſpondit DULODORVS, ſi conjectura de Orgiis minùs placet, poteris ΟΡ. vel ad Apollinem Ὀρχηστὴν *Saltatorem* referre, qualiter Pindaro & Homero

dicitur, poteris ad Apollinem Orum respicere, qui Ægyptiis colebatur, poteris Orgam fluvium ad Apamiam iis denominatum credere, de quo Holstenius in Notis ad Stephanum p. 39. imò etiam ad Ὄρεον Librum Patrem, sive *Montanum*, aciem mentis conjicere, qualiter dictum, ut & Oreades Nymphæ, Festus author est. Literas ΣΤΑ. equidem non ad Stagiram, Urbem Thraciæ, Aristotelis patriam, quid enim hæc ad Syriæ Reges? sed fortasse ad *Stasin*, Urbem Persicam, retuleris, quam Antiochus Seleuci Filius habuisse, Strephano memoratur. Litera Φ. Apollinem *Philesium* denotare potest, ita appellatum, quod lumen ejus amabile, amicissima veneratione oculorum consalutamus, uti Beroaldus ex Macrobio observat ad Apulej. Af. Aur. L. 9. quanquam alii aliter. Nudum sanè Philesium fuisse, qualiter hîc visitur, ex Plinio constat. Si tamen conjectura minus placet, poteris ad Philadelphenses Cœlesyriæ abire, quò similem literam in Antiochi Philadelphi Nummo refert Celeb. Vaillant. Sed secundum Numisma se sistit, ad cujus intellectum quid opus est dicere? cùm Per-Illustris *SPANHEMIUS* rem abundè præstiterit. Seleucum, à quo Regium stemma manavit, Ἐλεφαντάρχην dictum, ex Athenæo & Plutarcho observat: Eundem propè Laodiceam quingentos Elephantos alere solitum, ex Strabone notat, non minus ac id, quod propositum vel maximè tangit, Elephantos scil. *Lychnuchos* & λαμπάδας, sive δάδας rostrô ferentes, qualis in hoc Nummo cernitur, Suetonio & Dione memorante, in Cæsaris ministerio fuisse, moremque à Regibus Syriæ ortum traxisse. Quid ultra hæc desideres?

Vaillantii conjectura mihi in mentem venit, subjecit ARCHÆOPHILUS, qui ad Lampades Bacchi respicit, de quibus supra ad Gemmas, idque ideò potissimùm, quòd & ipse Antiochus, *Bacchi* & cognomine fulgeat & insignibus, nec de Elephante Baccho dicato res obscura sit. Mihi cùm Antiochum nostrum duas in Arabiam expeditiones suscepisse, ex historia constet, aliquando conjectura sedit, annon eò Numisma referre debeam. Si facias, respondit DULODORUS, non refragabor; Cùm enim Arabes, non minus ac Syri, Dionysum, sive Bacchum, præcipuô honore coluerint, uti ex Nonno & Arriano liquet: Cùm insuper, non minùs ac Syri, ob Regionis fertilitatem, vitamque inde delicatiorem celebrentur, eum in finem Numisma signâsse credi poterit Antiochus, ut tanquam Deus, omnis lætitiæ & abundantiæ author, eò lubentius reciperetur: Et quidni iisdem superbiæ furiis eum credas agitatum, quô Magnus jam ante Alexander fuerat? quem Arabes ideò invasisse, Arrianus memorat, quòd audisset, duos tantùm apud eos Deos coli, Cœlum scil. & Dionysum: Scilicet, ut se, qui Dionysii facta æquâsset, tertiô locô colerent. Quanquam ut verum fatear, potius luxum suum, ut qui Elephantos λαμπαδοφόρους in servitio habuerit, Antiochus credi debeat ostentâsse. Mansuetos certè Elephantos Syriæ Regibus fuisse, ex Appiano constat. Et Elephantum, etiam genus Poculi fuisse, apud Athenæum legimus. Sed prodit

PTOLE-

PTOLEMÆUS SOTER,
LAGI an PHILIPPI? FILIUS,
Qui
Aquilam, infantiæ nutricem, Imperii auſpicium habuit.



HIc Vir prudentiſſimus, fortiſſimusque, & doctiſſimus S. Hieronymo vocatur, tantæque potentiæ, ut & Cyprum obtinuerit, & Phœnicem, & Cariam, multasque prætereà & Inſulas, & Urbes, & Regiones. Etiam Pyrrhum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Epiro expulſum, legitur reſtituiſſe, & huc potiùs Aquilam in Nummo arbitrabar referendum, quòd in Nummis Epiri, Aquila frequentiſſima fuerit, imò quòd Pyrrhus, uti ex Æliano diſcimus, *Aquila* fuerit appellatus. Si ratio valeat, reſpondit DULODORUS, Aquila in Nummo quaſi tropæum erit, non de devicto inimico, ſed de reſtituto amico. Sed Aquila infantiæ nutrix potior videtur. De ea Suidas in voce λάγος. En verba! Λάγος. ὄνομα κύριον. Ὃς Ἀρσινόην ἔγημε, τὴν Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος μητέρα. Τοῦτον δὲ τὸν Πτολεμαῖον, οὐδὲν ὀι προσήκοντα, ἐξέθηκεν ἄρα, ὡς λόγος, ἐπ' ἀσπίδος χαλκῆς. Διαῤῥεῖ δὲ ὁ λόγος ἐκ Μακεδονίας, ὃς λέγει ἀετὸν ἐπιφοιτῶντα, καὶ τὰς πτέρυγας ὑποτείνοντα, καὶ ἑαυτὸν αἰωροῦντα ἀποστέγειν αὐτοῦ τὴν ἄκρατον ἀκτῖνα, καὶ ὅτε ὕει, τὸν πολὺν ὑετόν. Τοὺς γε μὴν ἀγελαίους φοβεῖν ὄρνιθας. Διασπᾶν δὲ ὀρτυγας, καὶ τὸ αἷμα αὐτῷ παρέχειν τροφὴν ὡς γάλα. *Lagus, nomen proprium viri, qui Arſinoen Ptolemæi Soteris matrem duxit Uxorem. Hunc autem Ptolemæum mater in æreo clypeo, ut fertur, tanquam ad ſe nihil pertinentem, expoſuit. Ex Macedonia autem manavit fama, quæ dicit, AQVILAM accedentem, & alas ſubjicientem expanſas, & ſe ſublimem tollentem, ab ipſo nimium ardorem probibuiſſe, & cum pluebat, pluviam excepiſſe, & aves gregales terruiſſe, & coturnices dilacerâſſe, & ſanguinem, ut lac, ipſi pro alimento præbuiſſe.* Quid videtur ARCHÆOPHILE? annon hoc ad Numiſma appoſitè?

Faterer, inquit ille, ſi ſolus hic Aquilam ſignâſſet, cùm autem & Succeſſores idem fecerint, tutius forſan ad Nilum reſpexero, quem ἀετὸν, ſive Aquilam dictum, Ægyptiisque Divinô honore cultum fuiſſe, indubium eſt. An Nilus concurrat, reſpondit DULODORUS, de eo non diſceptabo, Aquilam autem infantis nutricem ideò præferrem, quòd exemplum Seleucidarum Reges Ægypti videri poſſint ſecuti, *Aquilam* exprimentes, ut illi *Anchoram*, utrique ſcil. ob auſpicium dignitatis, Progenitoribus vel cœlitùs ſubmiſſum! Potior ſanè hæc ratio videtur, quàm vel Jovis in Ægypto cultus, vel Regia Majeſtas; Quanquam eas non excludi debere, fulmen quod unguibus interdum Aquila hæc præfert, apertè evincat.

De Cognomine adhuc audire placet, inquit ARCHÆOPHILUS, licet enim à Rhodiis Ptolemæum id accepiſſe Pauſanias teſtetur, Stephanus tamen auguſtiorem originem indicat, quòd ſcilicet Alexandrum in Oxydracis ſervâſſet. Stepha-

nus, reſpondit DULODORUS, ſe ipſum evertit, id de Oxydracis alios mendacium aſſerens putare. Sed hæc alii diſquirant. Sequenti Numiſmate

PTOLEMÆUS PHILADELPHUS

Mihi videbatur exhiberi, nunc autem de aſſerto eo aliquantiſper dubito, facile ceſſurus, ſi certius quid audiero. In Nummo præter effigiem nihil occurrit, quod Philadelphum vel arguere, vel negare poſſit. Sola *Lorica* ex ſquamis apparet, quam Ptolemæos *auream* geſtâſſe, apud Julium Capitolinum in Maximino docemur.

At mihi etiam Laurea placet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quæ non tam Regiam dignitatem, quàm Victorias deſignat, indeque & in averſa, præter allatas ſuprà rationes, ſub Aquila Κεραυνοφόρῳ & Imperii vires & opem Divinam, quibus Victoriæ obtinentur; ſub Cornucopiæ autem rerum abundantiam, felicitatemque Populi intellexerim, quæ Victoriis & promoventur & firmantur. Hæc talia ſunt, inquit DULODORVS, quæ non de Philadelpho tantùm, ſed etiam de aliis Ægypti Regibus dici poſſunt. Eâdem incertitudine prodit &

PTOLEMÆUS
ELEPHANTI PROBOSCIDE ORNATUS.

At hunc, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, neſcio annon ritè de Cleopatræ Filio debeamus interpretari, cujus ſuprà mentionem fecimus, cujus etiam Mater in Nummis Elephanti exuviis ornata, apud Seguinum proſtat. Elephanti exuviæ, reſpondit DULODORVS, Ægypti Regibus communes eſſe poſſunt, noſti enim jam Philadelphum eos ex Æthiopia adduxiſſe, atteſtante Hieronymo in Danielem: Noſti Philopatora, ob Victoriam contra Antiochum, Elephantos quatuor Soli mactâſſe, eosdemque poſtea, ut Deum eô factô offenſum placaret, æreos ſtatuiſſe, uti Ælianus & Plutarchus referunt: Noſti & Africæ caput, Elephanti proboſcide inſignitum, in Nummis proſtare. Propoſitum autem ne Cleopatræ Filio tribuam, facit Numiſma ſequens, in quo diverſa planè hujus Ptolemæi effigies viſitur. Is fuit

PTOLE-

PTOLEMÆUS SOTER,
OCTAVUS ÆGYPTIORUM REX,
Quem posteà
LATHURUM
dixerunt.



OCtavum Tu hunc statuis, & tamen Lathurum vocas? interrupit ARCHÆOPHILVS; Atqui apud Eusebium Octavus non *Lathurus*, sed *Physcon* dicitur. Eusebius, respondit DULODORVS, hôc locó conjungenda distinguit. Evergeti 29. Regni annos tribuit, Physconi autem septendecim, cùm tamen reverâ, & Evergetes & Physcon, non nisi unus fuerint, occupentque 29. imperii annos, quos Eusebius Evergeti tribuit. Eundem fuisse Evergetem & Physconem, expressè docet Strabo. Ita enim Lib. XVII. cum Ptolemæos VI. Lagi scil. filium, Philadelphum, Evergetem, Philopatora, Epiphanem, & Philometora, succedente ubique in Patris locum filiô, enarrâsset: Τοῦτον δ' ἀδελφὸς διεδέξατο ὁ δεύτερος Εὐεργέτης, ὃν καὶ Φύσκωνα προσαγορεύουσι. *Philometori*, inquit, *frater successit, secundus* EVERGETES *nominatus, quem &* PHYSCONEM *dicunt.* Addo & Athenæum lib. XII. Τοιοῦτος ἐγεγόνει καὶ Πτολεμαῖος, ὁ ἕβδομος Αἰγύπτου βασιλεύσας, ὁ αὐτὸν μὲν Εὐεργέτην ἀνακηρύττων, ὑπὸ δὲ Αλεξανδρέων κακεργέτης ὀνομαζόμενος. *Talis*, inquit, *fuit Ptolemæus* (Obesus scil. & distentus,) *Ægypti Rex septimus, qui Evergetem, beneficum, se cognominavit, & veluti proclamavit, cùm ex adverso* κακεργέτην, *maleficum, Alexandrini vocarent.* Hæc Scaligerum, Eusebio interdum satis gravem, non animadvertisse, mirum est. Reverâ autem rem ita esse, etiam ex Nummo nostro deduxeris. Litera Σ. in eo occurrens, aut numeralis est, aut etiam cognominis index: Si cognominis index, tunc apertè ΣΩΤΗΡΑ prodit, qualiter Lathurum dictum, Henningius in Theatro Genealogico docet; Si sit numeralis, tunc annum 200. designat, Æræ scilicet Alexandrinæ, qui coincidit cum annorum 17. quos Eusebius Physconi tribuit, primordiis. Hæc cum ita sint, expendamus effigiem, & an Physconi dari possit, judicemus! Non juvenilis tantùm est, sed etiam decenti adhuc formæ elegantiâ, succulentâque gracilitate conspicua: An talis Physcon? Neutiquam! Et *vultu deformis, & saginâ ventris non homini, sed belluæ similis*, Justino memoratur, id quod & Athenæus ex Posidonio refert. His ita deductis, utique vides, ARCHÆOPHILE, Eusebium hîc attendi non debere, sed omninò Lathuro Numisma addicendum esse. Appositè huic quadrat Corona spicea; Respondet enim & cognomini Σωτῆρος Servatoris, & amori Civium, qui cùm Mater Regnum in Alexandrum, fratrem minorem, translatura esset, vel invitam coëgit, ut majori deferret: Tandem tamen expulsus, fratri Decennium concessit, quo exactô, octo adhuc annos Regno præfuit, id quod nec Eusebius inficiatur. Ex Ægypto in Cyrenaicam transimus, ubi elegantissimo juxta & rarissimo in Numismate

BATTUS

BATTUS ET CYRENE



Se sistunt. Hoc in Numismate, cùm alii vel Cappadocum, vel Cypriorum, vel Cretensium, vel denique Comagenorum Regem arbitrarentur, recordaberis, ARCHÆOPHILE, me Battum Cyrenæorum Regulum agnovisse, idque eâ potissimum ratione, quòd non tàm necessarium fuerit, nomen dignitatis exprimi, quàm Personæ. Illam enim jam Diademate indicari, hanc autem, nisi adscriptô nomine incertam futuram.

Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, & miror. Tune sub literis BA. Regem non vis intelligi, cùm tamen, Herodoto teste, Battus linguâ Libycâ *Regem* significaverit? Lingua Libycâ, respondit DULODORUS, concedo; At in Numismate, linguæ Libycæ vestigium nullum est. Adde, quòd non tantùm Regem significaverit Battus, sed & nomen proprium fuerit, eôdem modô, quô & *Cæsar*, *Augustus*, aliaque. At ex literis initialibus nihil certi colligi potest, regessit ARCHÆOPHILUS? Quidni? respondit DULODORUS. Lucas Holstenius, in Notis ad Stephanum, citat Numisma, quod ab altera parte Silphium exhibet, inscriptum K Y P. ab altera caput muliebre, cum litera K. Hoc Numisma indubiè Cyrenæorum est, ejusque testimoniô, indubiè utique evincas, etiam propositum Cyrenæorum esse; Eadem enim litera K. capiti muliebri etiam hîc apposita est, proindeque planum omninò, Regem adversæ alii addici non debere, quàm Batto Regi, quem Diadema demonstrat.

Hæc utut agnoscam, perrexit ARCHÆOPHILUS, nihil tamen magis de Persona constabit. Plures Battiadæ fuerunt, indeque dubium adhuc est, ad quem eorum, Numisma referri debeat? An ad *Primum*, qui Cyrenas? An ad *Secundum*, qui Zoam condidit? An ad *Tertium*, qui Εὐδαίμων cognominatus est? An denique ad *Quartum*, sub quo Democratia instituta est? Si conjecturæ locus, respondit DULODORUS, ad Tertium retulerim; Sub hoc enim, cùm hactenus Cyrenæorum non plures censerentur, quam ab initio in coloniam missi fuerant, Græci undique, vel Oraculô exciti influxére, eorumque ope non vicini tantùm Libyes ejecti sunt, sed & ingentes Ægyptiorum copiæ fusæ. At mihi pro Quarto sentire tutiùs videtur, inquit ARCHÆOPHILUS; Is enim puer adhuc, solium conscendit, quæ ætas in Numismate expressa est. Quartus, respondit DULODORUS, vix tantæ dignationis credi potest, ut elegantissimo Numismate æternitati se commendaret. Herodoto teste, qui præcipuam de Battiadis historiam reliquit, claudus fuit, adeòque subditis despectus, ut Demonacim Mantineâ accerserent, ejusque & ope & consiliô Rempublicam constituerent. Ætas quid contra Tertium faciat, non video; cùm enim Pater ejus Archelaus, anno regni 16. decesserit, consequens est, etiam hunc adhuc juvenem Regni habenas suscepisse.

Res

Res in medio relicta sit, inquit ARCHÆOPHILUS; De capite turrito velim edoceas, an Urbis id Genius sit, an Nympha, quam eximiæ pulchritudinis, à Thessaliæ monte Pelio ab Apolline raptam, Justinus memorat. Utrumque, respondit DULODORUS. Alterum enim evincit & Nomen & Forma, alterum autem Corona. Sed opinio roborabitur infrà, ubi simile Numisma cum Capite Palladis producemus. In Cilicia se sistit

ARATUS POETA.



Miror Te pro Poëta sentire, inquit ARCHÆOPHILUS, licet & Musa & Lyra hunc videantur demonstrare, & Arati nomen clarius sit, quàm ut negari possit; Quid enim? Nonne Aratus Cœlestia scripsit? adeòque non Thaliam, sed Uraniam in Nummo exprimere debuisset? Ego sanè tutiùs hunc Nummum Arato Sicyonio tribuerem, Achæorum aliquoties Prætori, cujus gesta pluribus apud Polybium leguntur. Rebus bellicis hic inclaruit, respondit DULODORUS, adeoque quid Musa & Lyra ad eum faciant non video. An nescis, perrexit ARCHÆOPHILUS, Musicam etiam ad bellica pericula utilem, indeque Lacedæmonios Tibiis, Cretenses Lyrâ, in præliis usos? an nescis Alexandrum, cùm Lyra Paridis sibi offerretur, Lyram Achillis se habere respondisse, quâ is animum solatus sit,

Magnorum cantans illustria facta Virorum.

Sed si bella Tibi minus placent, respice moderationem animi, quâ Aratus adeò inclaruit, ut etiam vitæ jacturam inimicis ignoverit: Respice concordiam, cujus Peloponnesiis author memoratur fuisse, *operis*, ut Polybio vocatur, *longè pulcherrimi*. Lyram certè concordiæ symbolum esse, nemo nescit, & Musicam ad sedandas iras luctusque vocandam, Euripidis sententia fuit. Non obstat Thalia; Hæc enim hominem de fero sociabilem facit, in conviviis: Indeque eos, qui amicè & hilariter compotant, Θαλιάζειν dicimus, id quod, non minus ac superiora, Plutarchus testatur. Quid ais DULODORE?

Eleganter Te causam tueri, regessit ILLE, quanquam subscribere, nisi integrior Nummus id suadeat, adhuc verear. Quod de Urania attulisti, id Aratum Solensem non negat: Unam enim Musam pro alia poni solitam, quis nescit? Sed suum in his sit cuilibet judicium! In Caria se sistit

HECATOMNUS
CUM
JOVE LABRADENSI.



NUmmus ob raritatem meretur inſpici, quanquam, niſi fallor, jam abundè dilucidatus. Verba Plutarchi de Jove docent: *Cur Jovis Labradenſis*, inquit, *in Caria ſimulacrum non Sceptrum aut Fulmen, ſed SECURIM elatam tenet? Hercules Hyppolytam cùm necâſſet, inter alia arma Securim quoque ejus captam Omphalæ dono dedit. Lydorum poſt Omphalem Reges eam geſtârunt, ut unam de aliis rebus ſacris, Succeſſoriique itidem tradita fuit. Donec Candaules dedignatus, cuidam Sociorum ferendam dedit: Poſtquam verò Gyges, defectione initâ, Candaulæ bellum intulit, venit à Mylaſſenſibus Arſelis, auxiliares Gygi Copias adducens, interfecitque & Candaulen, & Socium, BIPENNEMQVE in Cariam inter alia ſpolia pertulit, JOVISQVE adornato SIMULACRO eam in manum APTAVIT, LABRANTEUMQVE nominavit JOVEM, LABRAM enim Lydi vocant, quod alii SECURIM.* Quam expoſitionem clariorem deſideres?

Scio, inquit ARCHÆOPHILUS, his verbis non tantùm de Securi, ſed etiam de Labradei etymo contra Lactantium & Ælianum Te ſtatuere, quorum ille ita dictum arbitratur, quòd Labradeus ejus hoſpes fuerit, & in bello adjutor; Sed mihi de ipſo Jove dubium incidit; Figura enim in Nummo expreſſa non tantùm Securim tenet, ſed etiam jaculum ferrò præfixum: Quid igitur, ſi non Jupiter hic ſit, ſed Arſelis ex bello cum ſpoliis redux? Non dixerim, reſpondit DULODORUS; Quid enim hic ad Hecatomnum? potius, uti ſupra in Nummo Antiochi Grypi, ita & hîc jaculum Jupiter credi debet præferre, utrinque ſcil. ut Stratius ſive Militaris agnoſcatur, quem ad Labrandam Cariæ vicum templum habuiſſe, ex Strabone diſcimus. En verba interprete Xylandro: *Milaſenſes habent duo templa Jovis, unum ejus, quem Oſogo dicunt: alterum LABRANDENI. Illud in Urbe. Labranda pagus eſt in monte, quò Alabandis Milaſa euntibus is ſuperatur, longius ab Urbe: Ibi templum eſt Jovis antiquum, & ſimulacrum Jovis STRATII ſeu MILITARIS.* Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Jupiter Labradenſis & Stratius unus idemque fuerint; At ego *Carium* cum *Labradenſi* eumdem arbitrabar, eò quòd is Lydis, Myſis, & Caribus communis fuerit, & quid ſi eôdem pertineat *Chryſaorius* & *Oſogo*, qui Strabone docente, & ipſi Cariis culti fuére. Imò & *Aſcræus*, de quo Apollonius in Hiſt. Mirabil. num. 13. Hos ego non confunderem, reſpondit DULODORUS, diverſis enim in Cariæ locis culti fuére: Carius apud Mylaſſenſes, ubi & Oſogo: Chryſaorius autem in agro Stratoniceno: Aſcræus Halicarnaſſi. Sed ex omnibus Hecatomno Stratium ſive Labradenſem placuiſſe, de nihilo non eſt, cùm is & militiæ & ſpei propior fuerit.

Memini, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſub Leone præſertim, caudâ ſe ipſum flagellante, Te bellum contra Evagoram intellexiſſe, cùm autem Hecatomnus

mnus eô in bellô Navarchus fuerit, uti Theopompus apud Photium teſtatur, neſcio an terreſtre animal eô referre poſſim. Ad Solem ego crediderim reſpiciendum, cum Leonem Soli ſacrum conſtet, Sol autem apud Seguinum in Nummo Idriei occurrat: Aut etiam ad Leonem Teumeſſium, quem Jupiter in Cœlum tranſtulit, ut Herculis gloriæ conſuleretur. Herculis ſanè in Caria memoriam ſervat Heraclea ad Latmon, urbs Cariæ, quæ Stephano & Ptolemæo memoratur. Quid reſpondes DULODORE? Id quod Nummus ſuggerit, reſpondit ille, in quo & Jupiter Militaris, & Leo ſe caudâ flagellans, ejusmodi conjecturas excludunt. Si militia contra Evagoram minùs placeat, poteris in fortitudine ſubſiſtere. Carum certè fortitudo ex Strabone liquet: *Studii rerum bellicarum*, inquit, *argumenta adducunt Scutorum Anſas, Inſignia, & Criſtas, quæ omnia dicuntur Carica. Anacreon quidem inquit:*

Inſertare manum Caricæ Anſæ benè fabricatæ

Alcæus autem,

Criſtam quaſſans Caricam.

Et paulò pòſt. *Per totam Cares Græciam, ære militando merentes, ſunt diſſipati.* Addi poteſt & Herodotus, qui Lib. V. c. 117. ſeqq. Pixadorum Mauſoli filium, bello contra Perſas conſuluiſſe memorat, ut Mæandrum à tergo ponerent, ita enim, ſi ſpes fugæ ademta foret, fortiores fore; Sed cùm contra agerent, fuſos ad *Labranda* in *Jovis Militaris* templum ſe recepiſſe, in magnum & ſacrum lucum platanorum: Solos autem ex iis, quos novimus, Cares fuiſſe, qui Jovi Militari hoſtias obtulerint: Subſidio venientibus Mileſiis, licet iterum fuſos, tamen tertiô reparatis Copiis, Perſas ex inſidiis adortos eſſe, & omnes cum Ducibus trucidâſſe. Hæc ſi de Caribus Strabo & Herodotus, quidni de Carum Rege Numiſma? cùm Leones & Regum & Heroum ſymbolum eſſe notius ſit, quàm ut doceri debeat. Regum Leonem ſymbolum eſſe novi, excepit ARCHÆOPHILUS, nam Oppianus, Lib. III. ℣. 62. Κλυτὸν βασιλῆα λέοντα vocat; ſed de Heroibus non memini. Innumeri Poëtarum loci ſunt, reſpondit DULODORUS, ita Homerus de Achille λέων δ' ὡς ἄγριος ἔιδε, inquit, quod, ut Pauſanias teſtatur, hominem bellicoſum, cùm prælium jam ineat, nihil mitè præ ſe ferre oporteat. Ita Ajax apud Quintum Smyruæum L. III. ℣. 266. hoſtes invadit, *ut Leo* canes venaticos: Ita & Cæſar Leoni comparatur apud Lucanum: Et Agamemnon Leonis pellem induiſſe, Homero Il. I. ℣. 23. canitur. Et quis omnia huc facientia coacervaret? In Bithyniam aſcendentibus occurrit

PRUSIAS
CUM JOVE TARANTAEO.



PRuſiam vides, κυνηγὸν cognomento, ſive *Venatorem*, cujus faciem Appianus, αἰσχρὸν, *illiberalem* & *turpem*, vocat. Turpem fuiſſe, excepit ARCHÆO-

PHILUS, etiam ex Tzetze collegeris, qui os unum, locô omnium dentium, eum habuiſſe author eſt: Verba, quòd Pruſiæ Patrem & Avum demonſtrent, eò lubentius ſubjicio:

Ὁ τοῦ Ζιποίτου μὲν υἱὸς ἐκεῖνος Νικομήδης,
Ὁ κτίσας Νικομήδειαν, πατὴρ ὁ τοῦ Προυσίου,
Προυσίου ἔχοντος ὀστοῦν ἓν τοὺς ὀδόντας πάντας.
Zipœti quidem filius ille Nicomedes
Qui condidit Nicomediam, pater Pruſiæ,
Pruſiæ habentis os unum locô omnium dentium.

Quod Patrem & Avum attinet, reſpondit DULODORUS, ſubſcribo; Quod autem os unum loco omnium dentium, in eo falli Tzetzem, jam Ludov. Nonnius obſervavit, ad Nummos Νικομηδέων. Pruſias Μονόδους non noſter fuit, ſed noſtri Filius, Nicomedis II. ſive Epiphanis, Frater. Apertè id Valerius Maxim. *Pruſiæ*, inquit, *Bithyniæ Regis Filius, eôdem nomine, quô Pater, pro ſuperiori ordine dentium, unum os æqualiter extenſum habuit, nec ad ſpeciem deforme, neque ad uſum ulla ex parte incommodum:* Quibus ex Verbis non ille tantùm Tzetzis error eluceſcit, quòd Patrem pro Filio poſuit, ſed & ille, quòd locô omnium dentium unum os eum habuiſſe aſſeruit, cum tamen id tantum de ſuperiore dentium ordine verum fuerit. Audi & Plinium: *Aliqui*, inquit, *vice dentium continuô oſſe gignuntur, ſicuti Pruſiæ Regis Bithyniorum Filius SUPERNA parte oris.* Ita & deformitatem hæc attuliſſe, uti quidem arbitraris, ARCHÆOPHILE, ex dicto Valerio Maximo evertitur, indeque potiùs Appianum citaveris, quô Authore Pruſias, non *illiberali* tantùm *facie*, ſed & *Puſillâ ſtaturâ* fuiſſe dicitur, imò quod turpitudinem auxit, Perſeô, cujus Sororem in matrimonio habebat, captô, Ducibus Romanis togatus, moreque Italico calceatus, pileatusque, & raſo capite memoratur occurriſſe. Riſum ſanè eô factô etiam Romanis movit, licet ſe Libertum eorum profiteretur, oſculòque limen Curiæ contingeret, voce minus Regiâ, *Deos Servatores ſuos* Senatum appellando, orationemque pronunciando, ut Livius ait, non tam honorificam audientibus, quàm ſibi deformem.

In Numiſmate tamen, inquit ARCHÆOPHILUS, adeò deformis non eſt, & neſcio annon pietatem aliquam etiam averſa præferat. Effigies, reſpondit DULODORUS, ſi ritè examinetur, inter elegantiores vix videbitur numeranda, licet dubium fortaſſe non ſit, artificem ſolitô ejuſmodi hominibus more, naturâ pulchriorem finxiſſe. Averſa non tam Pruſiæ Pietatem infert, quàm Jovis in Bithynia cultum, de quo, cum Pruſias noſter, utpote in Jovis templo interemtus, vel ſuâ morte teſtatus fuerit, non arbitraberis pluribus dicendum. At ipſum Te, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in Theſauro Palatino Jovem Lauream porrigentem, memini de conceſſo divinitùs victoriarum curſu explicaſſe, imò & Appiani verba ſubjeciſſe, quibus Pruſias Attalum fugâſſe, jumenta Romanorum comprehendiſſe, Caſtellum Nicephorium diruiſſe, Attalumque Pergami oppugnâſſe memoratur. Omittis Templa ab eo incenſa, reſpondit DULODORUS, quô unicô Pietas ſubvertitur. Id fortaſſis ratio belli poſtulavit, inquit ARCHÆOPHILUS, uti & Æſculapii ſtatuam Auream eum Pergamo ſuſtuliſſe legimus, cui antea ſacrificaverat, quô ex facto temporibus eum inſerviiſſe, palam eſt. Imò, reſpondit DULODORUS, ut vultu deformis fuit, ita & animo varium inde didiceris, adeòque non abs re Suidæ ἀλλοπρόσαλλον vocatum fuiſſe. Pietas, niſi conſtantiâ nitatur, Pietatis nomen non meretur, & licet forte in vulgus eum ſparſiſſe, quod non credebat, haud difficulter mihi perſuadeam, tamen & interiora ſimul rimari volupe eſt. Jovem hîc Lauream porrigentem, victoriam à Jove conceſſam ſignificare, non nego; At qui pius non erat, is pius

is pius volebat videri, jactatô in vulgus pietatis monumentô. Cœterùm non de Attalo tantùm victoriam reportavit Prusias. Etiam Byzantios, Rhodiorum auxilio fretos, terrâ marique pressit, ademtisque, quas possederant, regionibus, vel portas exire prohibuit, uti Polybius memorat Lib. IV. & V. Gallos, qui Arisbam oppidum occupârant, jamque Asiæ terrori erant, vicit, uxorès & liberos interfecit, castra militibus diripienda tradidit. Annon & hæc sub Lauro à Jove porrecta significaverit?

Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS. Et quid si, quæ Regum Ethnicorum vanitas fuit, se ipsum Jovis habitu effinxerit? adeòque victorias suas in Lauru extollenda jactet? viresque sub Aquila κεραυνοφόρῳ sibi integras vendicet? Id conjectura est, respondit DULODORUS: De Jove autem res firmior videtur; à Bithyno enim, Jovis filio, Bithyniam appellatam, Stephanus tradit, & Jovem duplici cognomine, *Tarantæi* scilicet & *Pappæ*, in Bithynia cultum, ex Appiano, & eôdem Stephano docemur. Et quid? Nonne *Tarantæum* designant adjectæ literæ T A? Verba Stephani subjicio, ut eò planius judicium sit. *Ἐστὶ καὶ Τάραντος ἀρσενικῶς λεγομένη πόλις Βιθυνίας, ἔνθα τιμᾶται* TAPANTAIOΣ ZEYΣ, *ὡς Δημοσθένης δευτέρῳ Βιθυνιακῶν. Est etiam Tarantus, in genere masculino, dicta Urbs Bithyniæ, ubi TARANTÆUS JUPITER colitur, uti Demosthenes, Secundô Bithynicorum testatur.* Quid clarius ad Numisma dici potest? Sed ecce! Idem

PRUSIAS
CUM
DIADEMATE ALATO.

Prodit, qualiter inter Gemmas Musam vidimus: Qualiter Mercurium in Numismate Metapontinorum apud Goltzium: Poëtam Titium, in familia Titia: Calaim Boreæ Filium, apud Jacobum de Wilde. In his, inquit ARCHÆOPHILUS, rationem Alarum facilè agnosco, cum jam suprà dixeris, celeritatis eas Symbolum fuisse; Sed in Prusia quid statuam, non succurrit. Eadem ratio, respondit DULODORUS, etiam in Prusia valere potest, quanquam non sola, cùm omninò simul ad vires bellicas respiciendum arbitrer. Nosti ARCHÆOPHILE, Coronam Alatam cursûs olim in Olympicis præmium Paschalio credi, idque ex Pindaro Od. XIV. de Asopicho Stadii victore:

Ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
Πτεροῖσι καίταν.
Coronavit inclytorum certaminum
PENNIS cæsariem.

Nosti & galeis affixam fuisse Alam, id quod in Roma vulgatum est, in Minerva autem ex Nummo Thuriorum apud Goltzium constat. Nosti Alas metaphoricè pro equitum turmis poni, imò & mysticè numerosos exercitus significare, uti apud Ezechielem Prophetam. Si hæc respicias, utique clarum erit, uti in

averſa hujus Nummi, victoria divinitùs conceſſa, ſub Jove Lauream porrigente depingitur, ita in Diademate Alato, depingi victoriæ media, Exercitus ſcil. & Celeritatem. Illos bella geſta demonſtrant, hujus ſpecimen Pruſias dedit, contra Attalum & Romanorum Legatos, non ut convenerat cùm mille Equitibus ad diſceptandum adveniens, ſed univerſo cum exercitu, tanquam ad prælium.

Ala Galeæ affixa, regeſſit ARCHÆOPHILUS, quin ad bella & victoriarum celeritatem reſpiciat, dubium non eſt; At Diadema Alatum potiùs videtur ad Regiam celſitudinem pertinere, quòd Alis in ſublime ſe tollant volucres: vel ad gloriam, quòd Solino teſte, Hercynius ſaltus aves gignat, quarum pennæ per obſcurum emicent. Neque hæc negavero, reſpondit DULODORUS, cum celeritate bellicarum expeditionum Regiæ celſitudinis gloria ſe & tollere & jactare ſoleat. Optimè Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum: Πτέρυγες δὲ λειτουργίαι τε καὶ ἐνέργειαι αἱ μετάρσιοι δεξιῶν τε ἅμα καὶ λαιῶν δυνάμεων. *Alæ ſunt miniſteria & operationes ſublimes, dexterarum ſimul & ſiniſtrarum poteſtatum.* Non miniſteria tantùm & operationes, ſed operationes *ſublimes*, quales Regum ſolent eſſe, quales & Pruſiæ contra hoſtes, quas tamen immane quantum offuſcavit, abjectâ in Romanos adulatione. Adulatio in Romanos, inquit ARCHÆOPHILUS, conjecturam movet, annon Diadema Alatum etiam in Romanorum honorem aſſumſerit Pruſias. Polybius enim, Suidâ teſte, Coronas Alatas Romanis apertè tribuit, ἐπικοσμοῦνται οἱ Ρωμαῖοι πτερίνῳ Στεφάνῳ, *Romani*, inquit, *exornantur Alatâ Coronâ.* Polybius, reſpondit DULODORUS, proprie non de Corona loquitur, ſed de Criſta, galeam quaſi coronante; Id enim ex ſequentibus palam eſt, ſub πτεροῖς Φοινικίοις, ἢ μελασιν ὀρθοῖς τρισὶν, ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος, *Pennis puniceis, aut pullis erectis tribus, magnitudine cubitalibus uſos ait*; Ὧν προστεθέντων κατὰ κορυφὴν ἅμα τοῖς ἄλλοις ὅπλοις, ὁ μὲν ἀνὴρ φαίνεται διπλάσιος ἑαυτοῦ κατὰ τὸ μέγεθος, ἡ δ' ὄψις καλὴ καὶ καταπληκτικὴ τοῖς ἐναντίοις, *quibus in vertice additis, unà cum aliis armis, vir quidem duplò major, quàm revera ſit, ipſe verò adſpectus pulcher & formidabilis hoſtibus appareat.* Vides ARCHÆOPHILE, Polybium non de Corona loqui, ſed de Caſſide: Vides, ne quidem de Caſſide Alata eum intelligi debere, ſed de ea, quæ in vertice tres pennas elatas geſtat, ut vir eò longior videatur. Hæc ut ut ſint, fortaſsè tamen futile non eſt, quod Pruſiam à Romanis Alarum inſigne mutuaſſe conjicis: Cùm enim pileô aſſumtô eorum Libertum ſe profeſſus ſit, quidni & alâ aſſumtâ eorum celeritatem crederetur æmulatus? Quanquam, ne quid diſſimulem, non in Pruſia tantùm hæc Ala occurrat, ſed etiam in Regibus Syriæ, & ſi Cl. Vaillantium audias, in Antiocho Sotere, cui nihil omninò cum Romanis commercii fuit. Sequenti in Numiſmate

PRUSIAS
CUM HERCULE MARIANDYNORUM

Proponitur. Herculis rationem, inquit ARCHÆOPHILUS, vel à Cio, vel ab Hyla Te, cum Nonnio, deduxiſſe memini, quorum Ille ad Cium fluvium conſe-

conſederit, hic autem circa eundem à Nymphis raptus ſit, adductô in teſtimonium egregiô Strabonis locô, qui non tantùm de utroque teſtatur, ſed & feſtum apud Pruſienſes, in Hylæ memoriam, memorat actum. Præter hæc quid lucis Numiſmati accedere poſſit, non video: Non video quî Herculem Mariandynorum hîc agnoſcere debeam? Monogrammon, inquit DULODORUS, conjecturam de Mariandynis ſuppeditat; Quomodo enim junctas literas H & M interpreteris, ſi non Ηράκλεια Μαριανδυνῶν? Idem Strabo mihi aſſiſtit. Τὴν Ηράκλειαν ἐν τοῖς Μαριανδυνοῖς ἱδρύσθαι Φασὶ, Μιλησίων κτίσμα. Τίνες δὲ καὶ πόθεν, οὐδὲ εἰρηται, οὐδὲ διαφορὰ ἐθνικὴ περὶ τοὺς ἀνθρώπους Φαίνεται. παραπλήσιοι δ' εἰσὶ τοῖς Βιθυνοῖς. ἔοικεν οὖν καὶ τοῦτο Θρᾴκιον ὑπάρξαι τὸ Φῦλον. *Heracleam in Mariandynis ſitam à Mileſiis conditam, ajunt: qui fuerint aut unde, non oſtendunt: Neque gentile aliquod diſcrimen Mariandynorum apparet, ſed ſimiles omninò ſunt Bithynis. Itaque hæc quoque gens Thracica videtur.* An igitur Bithyni gens Thracica fuerunt? inquit ARCHÆOPHILUS. Si Strabonem audias, reſpondit DULODORUS, fuerunt. Ita ille in prioribus: Οἱ μὲν οὖν Βιθυνοὶ, διότι πρότερον Μυσοὶ ὄντες μετωνομάσθησαν οὕτως ἀπὸ τῶν Θρακῶν τῶν ἐποικησάντων Βιθυνῶν τε καὶ Θυνῶν, ὁμολογεῖται παρὰ τῶν πλείστων. *Bithynos, cùm ante Myſi eſſent, ſic denominatos eſſe à Thracibus Bithynis, atque Thynis, qui eò commigraverunt, pleriique unô ore affirmant.*

Si hoc ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, forſitan & originem tam Bithynorum, quàm Mariandynorum, hôc ſub Hercule Tibi imaginaberis. Herculem certè à Thracibus cultum, vel ex Nummis Perinthiorum conſtat. Nimis remota ratio foret, ſubjecit DULODORUS. Ego potiùs in proxima ſubſtiterim; Quid ſi Heraclienſes Mariandynorum, hôc Nummô Pruſiæ victorias Herculeæ gloriæ comparaverint? Quid ſi Herculem ſuum, Pruſiæ in bellis comitem futurum, adulatoriô cœlô mentiti ſint? Sed ad alia pergimus. In Ponto ſe offert

PHARNACES II.
Cum
JOVE SINOPENSI

Plures fuêre Pharnacis nomine, non Reges tantùm, ſed & Illuſtres, unde meritò dubitaveris, ad quem pertineat Nummus? Fuit Pater Artabazi, Parthorum & Choraſmiorum Ducis, ſub Xerxe Perſarum Rege, uti Herodotus memorat, Lib. VII. c. 66. Fuit ſuperioris nepos, Satrapa Phrygiæ & Myſiæ, qui Deliis exulibus Adramyttium incolendum tradidit, teſte Thucydide: Fuit Dux Perſarum, qui ad Granicum occubuit, Darii uxoris frater, Diodoro referente: Fuere tres Ponti Reges, ille Atavus, iſte Avus, hic Filius Mithradatis Eupatoris.

Mihi, reſpondit ARCHÆOPHILUS, electio facilis videtur: Nomen *Regis* adjectum non eſt, non obſcurô argumentô, non ad Reges Ponti, ſed Artabazi vel Patrem, vel Filium, vel etiam Perſarum ducem Numiſma pertinere:

Et

Et quid ſi Filium Artabazi præferam, cujus authoritas ex hiſtoria notior eſt? Non obſtat Jupiter in Numiſmate expreſſus: Non Aquila fulminis miniſtra; Jovem enim & in Myſia, & in Phrygia, jurisdictionis ejus limitibus, cultum fuiſſe, cognomina *Abretam* & *Bagæi* teſtantur, quorum illud apud Strabonem, hoc apud Heſychium legimus. Satis ſpeciosè hæc proferuntur, reſpondit DULODORUS, ne tamen omninò perſuadeant, facit Numiſma Sinopenſium apud Goltzium, ubi idem planè caput, eademque Aquila κεραυνοφόρος viſitur. Subſcriptio ibi non Pharnacem prodit, ſed Urbem Sinopen, quæ cùm Ponti fuerit, utique conjecturam ſuppeditat, etiam hoc Numiſma Ponti Reges concernere, præſertim cùm utrumque monogrammate effulgeat, non multum diſcrepante. Sed video omiſſum Regis nomen Tibi opinionis baſin eſſe; Quæsò ARCHÆOPHILE, annon ex ſuperioribus, & Goltzio, conſtat, etiam Reges Macedoniæ ante Alexandrum Magnum, licet reverà Reges eſſent, Regio tamen titulo in Numiſmatibus abſtinuiſſe? adeò ut nihil ſit, quò minus ad Regem Ponti reſpiciamus; Sed cùm tres fuerint, adhuc electio difficilis eſt.

Nova mihi conjectura naſcitur, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ex eaque fortaſſe rei veritas exſurget. Quid ſi caput hoc barbatum, & laureatum, non Jovis ſit, ſed ipſius Pharnacis? Pharnacem certe barbatum videas in Numiſmatibus Cæſaris, tropæo vel religatum, vel adſtantem; Neque enim de alio tropæum erexiſſe Cæſar legitur. Inde utique planum eſt, non alium hîc intelligi debere, quàm Mithridatis Filium, quem Cæſar ſubegit. Si conjectura valeret, reſpondit DULODORUS, utique caput hoc longiore barba conſpicuum foret, talis enim in Numiſmatibus Cæſaris captivus viſitur; ſed cum rotunda ſit, ſimilique modò in Nummis, non Sinopenſium tantùm, ſed plerorumque etiam Græciæ Urbium, Jupiter occurrat, omninò non ad Pharnacem, ſed ad Jovem, caput hoc retulero. Pharnacem imberbem fuiſſe, vel Mithradates Pater ſuggerit, qui & ipſe imberbis in Numiſmatibus viſitur: Argumentum ex Nummis Cæſaris fragile eſt; licet enim non memoretur, de alus hoſtibus Tropæa Cæſarem erexiſſe, inde tamen non ſequitur, id non eſſe factum. Pharnacem devicit, cum Dictator & Coſ. II. eſſet. At in plurimis ejusmodi Nummis nulla, nec conſulatûs, nec Dictaturæ mentio eſt, indeque apertè conſtat, barbarorum aliquem, quos variis in Orbis partibus devicit, ad tropæa exhiberi. Sed piget plura eam in rem coacervare, potiùs mentem meam pando: Numiſma hoc nec Primo Pharnaci, nec Tertio, ſed omninò Secundo tribuendum arbitror, Magni Mithradatis avo; Idque ex allegato ſimili Sinopenſium Nummo colligo; Sinopen enim ab hoc occupatam, ex Livio conſtat, ubi Rhodiorum Legati de clade illa Romæ queruntur.

De Sinope, denuò interlocutus eſt, ARCHÆOPHILUS, dubium movet Strabo pag. 373. ubi Mithridatem, ait, à Colchide ad Heracleam usque imperâſſe, reliqua ad Propontidem Regi Bithyniæ paruiſſe: Ex quibus utique conſtat, Sinopen non ſub Pontico, ſed ſub Bithynico imperio fuiſſe. Straboni, inquit DULODORUS, Diodorum oppono, qui Sinopen Mithradatis Regiam fuiſſe, aſſerit. Adhuc unum videtur monendum, perrexit ARCHÆOPHILUS. Jovem Sinopenſem ſub Ptolemæo Lagi filio, Alexandriam tranſvectum, Serapidisque deinde imagine cultum, Tacitus memorat Lib. IV. Hiſtoriarum. Factum id adhuc ante Pharnacem II. Quî igitur Jovis Sinopenſis memoria in Pharnacis II. Numiſmate exhibeatur? Eodem modô, inquit DULODORUS, quò Æſculapius apud Epidaurios, non deſiit coli, licet non Romani tantùm, ſed univerſus fere terrarum orbis inde Deum accerſierint. Videri poteſt Pauſanias in Corinthiacis. Scil. Auguſtior eô factô Dei gloria exſtitit, quòd cultum

non

non una in Urbe pateretur includi, ſed per tanta Marium ſpatia, in alio veluti Orbe, propagatum vellet.

De monogrammate adhuc reſtat dicendum, inquit ARCHÆOPHILUS. Id paucis exſequar, reſpondit DULODORUS, ΑΓΑ lego, intelligoque locum ſignaturæ Ἄγαμον. Ἄγαμος, inquit Stephanus, πόλις περὶ Ἡράκλειαν τὴν Ποντικήν. Ὠνόμασται δὲ ἀπὸ παλαιᾶς βασιλίδος, ἣ στέρξασα παρθένου καὶ κυνηγὸν αὐτήν. *Agamus, Urbs circa Heracleam Ponticam. Si vocata ab antiqua Regina, quæ ſe amavit Virginem & Venatricem.* Subit

POSIDIPPUS
An CASSANDRENSIS, An POSIDONIATA?



Poſidippum arguit inſcriptio. Fuit is Caſſandrenſis, & Comicus Poëta, Cyniſci Caſſandrei Filius, cœpitque docere, tertiô poſt Menandri mortem annô, legunturque adhuc ejus Epigrammatum quædam, in Anthologia: Mentionem etiam habent Stephanus, Athenæus, aliique: Reliquit Dramata 30. quæ ſi ſupereſſent, non dubito, quin certiſſimam Numiſmati noſtro lucem forent allatura. Fuiſſe non ignobilem Bacchi ſatellitem, id quod Poëtis tantùm non commune eſt, vel ex ſequenti ejus, de vinorum genere, judicio intelligas, quod ab Athenæo adducitur:

Διψηρὸς ἄτοπος, ὃ μυρρίνης ὁ τίμιος.
Vile hoc facit ſitim, eſt celebris Myrines.

Si huc reſpicias, inquit ARCHÆOPHILUS, illud forſitan Numiſmati quadrare arbitraberis, quod vulgò innotuit, & Author Epigrammatis in Cratinum, eôdem Athenæô referente, hôc verſu expreſſit:

Οἶνος τοὶ χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ.
Vinum EQUUS eſt lepido promptum veloxque Poëtæ.

Aliud videtur, reſpondit DULODORUS, ſub Equo Nominis Etymon conſidero: Sub Uvarum racemis, culturam & præſtantiam vini Mendæi, Mendæorumque ab Eretrienſibus originem. Nominis etymon *Neptunium Equum* exhibet: Vini meminit Stephanus, in Mende, Urbe Pallenes, quæ poſtea, Strabone in Excerptis Lib. VII. teſte, Caſſandria fuit, Poſidippi noſtri, ut dictam, patria. Præſtantiam Cratinus deprimit, Hermippus elevat, uterque apud Athenæum pag. 29. Cratini hæc ſunt: Νὺν δ' ἂν ἴδοι Μενδαῖον ἠβῶντ' ἀρτίως Οἰνίσκον ἕπεται καλουθεῖ, καὶ λέγει. Οἰμ' ὡς ἀπαλὸς καὶ λευκὸς ἆρ' ὄισει Τρία. *Mendæum at ille ſi videt fortè uſpiam, ætate pubeſcens, ſequitur, & tandem ait: Eheu mihi! quàm lene & album, tres feret?* Quod de admiſcendis tribus, quæ in generoſioribus conſueverant, aquæ portionibus intelligendum, Caſaubonus probat, quibus Mendæum, tanquam ἄπαλον *lene*, καὶ λευκὸν & *album*, ſive *aqueum*, ferendis impar ſit. Æquiore calamo Hermippus,

Μενδαίῳ μὲν ἐναυροῦσιν καὶ τοι θεοὶ αὐτοὶ
Στρώμασιν ἐν μαλακοῖς.
Mendæô Vinô Cœleſtia Numina mejunt
Mollibus in pratis.

Quæ verba cùm interpretes eò intelligerent, ac ſi Dii vinum mejerent, laudatus Caſaubonus luce ſuâ donavit, ἐνουρεῖν μενδαίῳ interpretatus, *vinum Mendæum tàm diu bibere, donec illud mejere cogaris*, additque: *Quid poterat dici* ἐνεργέστερον, *ad declarandam vini hujus præſtantiam? Nam ipsô Nectare, qui Deorum eſt potus, melius eſſe, non obſcurè declarat Poëta.* Hæc utut ſe habeant, tamen ad Numiſma noſtrum non tam quadrant, quàm verba Phaniæ Ereſii apud eundem Athenæum: Φησὶ δὲ Φανίας ὁ Ἐρέσιος Μενδαίους τοὺς βότρυς ἐπὶ τῇ ἀμπέλῳ ῥαίνειν τῷ ἐλατηρίῳ, διὸ γίνεσθαι τὸν οἶνον μαλακτικόν, *Phanias Ereſius ſcribit, Mendæos PENDENTES IN VINEIS UVAS elaterio, ſive ſucco cucumeris, rigare, ideoque alvum mollire vinum, quod ex illis ſit.* En pendentes in vineis uvas! planè quales & in Numiſmate cernimus, quales & in Nummo Ἐρετριέων infrà adducentur. Quæris rationem? Colonia Eretrienſium erant Mendæi. Audiatur Thucydides: Ἐν τούτῳ δὲ Μένδη ἀφίσταται αὐτῶν, πόλις ἐν τῇ Παλλήνῃ, Ἐρετριέων ἀποικία. *Interea verò MENDA defecit, urbs ſita in Pallene, ERETRIENSIUM COLONIA.* Audiatur Mela, Lib. II. cap. 2. fin. *Pallene*, inquit *ſoli tam patentis, ut quinque Urbium ſedes ſit, atque ager: tota in altum abit, angusta ſatis, ubi incipit. Ibi eſt Potidæa:* (poſtea Caſſandrea) *At ubi laxius patet, MENDE, Scioneque referendæ; ILLA AB ERETRIIS, Hæc ab Achivis, captô Iliô remeantibus, poſita.*

Seponente Numiſma DULODORO, ARCHÆOPHILUS, id excipiens: Eleganter, inquit, hæc de Mendæorum Vino & Origine; Sed ignoſce, ſi quod ſentio eloquar. Vereor ne magis ad ſpeciem, quàm ad veritatem dicta ſint; Quid? annon Poſidippus potiùs, *Neptunum Equeſtrem* denotabit? Annon Numiſma hoc Poſidoniatis in Sinu Pæſtano adſcripſit Goltzius? Annon expreſſæ in Vite pendentes Uvæ, ad decantatiſſima Pæſti roſaria potiùs retuleris? Equumque Neptuno ſacrum arbitraberis? vel quòd equitandi artem docuerit, vel quòd cum Minerva de Athenarum Dominio contendens, percuſsâ tricuſpide terrâ Equum eduxerit. Neptunus certè in omnibus Poſidoneatarum Nummis exſtat, ſive ut nominis ratio adumbretur, ſive ut Origo Urbis inſinuetur. De Neptuno in Poſidoneatarum Nummis exſtante, reſpondit DULODORUS; nunc non eſt quæſtio, ſed dabitur infrà, ubi illius Urbis Numiſma contemplabimur. Equus Neptuno ſacer mihi favet, dixi enim Nominis etymon ſub eo latere, quaſi *Neptunium Equum* diceres; Neque enim admittere poſſum opinionem Tuam, quâ vocabulum ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ, *Neptunum Equeſtrem* interpretaris, cum Nomina Propria Deorum, Appellativis in compoſitione præpoſita, non Deos prodant, ſed ea quæ Deorum ſunt. Ita Δημητρίσυλος non *Cererem canentem*, ſed *Hymnum Cereris*: Διόπαις, non *Jovem puerum*, ſed *Jovis Filium* denotat, qualiter Διόσκουροι, & alia, quæ pluribus exemplis proſtant, uti latiùs deduci poſſet, ſi prolixitatem propoſiti ratio admitteret. Quod ad Numiſma Golzianum attinet, vereor ne corruptâ literarum ſerie, ex priorum veſtigiis Poſidoniæ Urbi addixerit Nummum, qui reverà Poſidippi erat. Noſter enim indubitatæ Antiquitatis eſt, literarumque ſeries integerrimæ ad oculum patent. Quid? quòd nec Uvæ Poſidoniatis conveniant? Roſaria & Roſas jactant. Audi Propertium IV. El. V.

Vidi ego Odorati victura ROSARIA Pæſti
Sub matutino cocta jacere Noto.

Et Vir-

Et Virgilium Georg. IV.

Forſitan & pingues hortos, quæ cura coloni
Ornaret, canerem, biferiq́ue ROSARIA Pæſti.

Et Ovidium Pont. II. El. IV.

Calthaq́ue Pæſtanas vincet odore ROSAS.

Et Met. XV.

Leucaſiamq́ue petit, tepidiq́ue ROSARIA Pæſti.

Et Auſonium Id. XIV.

Vidi Pæſtano gaudere ROSARIA cultu,
Exoriente modò roſcida Lucifero.

Et Claudianum de Nupt. Hon. & Mariæ.

Cui Geminæ Pæſtana ROSÆ per jugera regnant.

En ubique Roſaria & Roſæ! Martialis vix Violas & Liguſtra addit.

Pæſtano Violas, & tana Liguſtra colono,
Hybleis apibus Corſica mella dabit.

De uvis altum eſt ſilentium, adeò ut ſecundum hactenus dicta, Numiſma hoc non Poſidoniatis, ſed Poſidippo dandum eſſe, ſimulque in honorem Vini Mendæi, Originisque ab Eretrienſibus percuſſum, firmiter credamus. In mentem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, mihi venit Numiſma apud Jac. de Wilde Tab. XI. iisdem planè figuris conſpicuum, quibus & propoſitum eſt; Sed Author ſibi aquam fatetur hærere, inclinat tamen ad Græciam, aut ad Macedoniam, ſperans elegantiorem & nitidiorem Nummum obſcuriſſima ænigmata illuſtraturum. Si propoſitum vidiſſet, Te quidem judice, aſſertum egregiè roboraſſet. Non opus erat Nummo integriore, reſpondit DULODORUS. Expreſſæ in Wildiano literæ ΕΥΠ. & ΜΑ. ſatis innuunt, ad Euporiam Macedonicam eum pertinere: Quod eò clarius adhuc eſt, ex *Parallelogrammo* utrinque expreſſo, de quo ad Archelai Numiſma dictum eſt: Et hoc quàm aptè ad Numiſma Poſidippi? Triumphas, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed vereor, ne ante Victoriam. Apud quem Comicorum non extat aliqua Vini, aut temulentorum commemoratio? aut cujus antiqui Comici, hôc Poſidippô celebrioris, exſtat hodie ſignatus ejus nomine Nummus? Accedit, quod Mende Thraciæ, Caſſandrea, quà ortus fertur Poſidippus, Macedoniæ Urbs foret, & vel in averſa Nummi parte aliqua, ut ſolet, Mendæ illius adſcripta fuiſſet memoria? Sed illud Palmarium eſt, quòd in Poſidoniatarum Magnæ Græciæ Nummis, non apud Goltzium ſolùm, ſed apud Volkamerum quoque, iidem omninò in utraque Nummi aræa, typi proſtent, cum inſcr. loci ΠΟΣΕΙΘΩΝΙΑΤΑΝ. Adde quod ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΥ nomen in Electorali Nummo, ſi non ad Neptunum ipſum, ad aliquem loci illius conditorem aut Heroëm, eundemque habitum Neptuno ἱππίῳ ortum, aut verò ſimpliciter ad aliquem loci illius Rectorem referri, Magni SPANHEMII judicio poſſit. Submitto faſces, ſubjecit DULODORUS; Jubar VIRI Illuſtrius eſt, quàm aciem ut contrà intendere, vel valeam, vel velim. Succedit

POSIDONIUS APAMENSIS, an OLBIOPOLITA?



CUr non addis & Alexandrinum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Tres enim hôc nomine apud Suidam me legiſſe memini, & quidem de Alexandrino memoratur, eum Zenonis Zittiæi diſcipulum fuiſſe, hiſtoriamque poſt Polybium Libris LI. usque ad bellum Cyrenaicum & Ptolemæum ſcripſiſſe; Declamationes item Rhetoricas, & in Demoſthenem Argumenta edidiſſe. Suidas ipſe, reſpondit DULODORUS, poſteriora potiùs Olbiopolitæ tribuenda cenſet: Et hiſtoriam reverâ non Alexandrini, ſed Apamenſis fuiſſe, ex ratione temporis jam dudum oſtendit, Gerardus Joh. Voſſius de Hiſt. Gr. pag. 154. ſeqq. Quanquam autem non negem etiam Alexandrini egregia ſcripta fuiſſe, quale credi poteſt, quod Ælianus memorat, *de inſtruendis aciebus*, quodque Macrobius Lib. I. cap. 23. Saturn. *de Heroibus ac Dæmonibus*, aliaque, ex his tamen Numiſmati noſtro lucis affulget, vel nihil, vel parum; Quid enim hæc ad Apollinem? Quid ad Navem?

Navem, reſpondit ARCHÆOPHILUS, cernimus in quibusdam Alexandrinorum Nummis, & Apollinem quis in Ægypto cultum neget? Diodorus & Plutarchus luculenti rei teſtes ſunt. Sed ſi hujus ratio omninò habenda non ſit, quidni habeatur Poſidonii Corinthii, quem ἁλιέυτικα, ſive *de ratione piſcandi* ſcripſiſſe, Athenæus author eſt? Huic annon Navis convenire credatur? Nullô modô, reſpondit DULODORUS, neque enim piſcatoria hîc ſcapha viſitur, ſed navis grandior, qualibus vel Maria ſulcamus, vel navali prælio concurrimus. Quod ad Numiſmata Alexandrinorum attinet, iis Romanorum potiùs, Cæſaris ſcilicet, & Antonii, quàm ſuæ gloriæ naves ſignaverunt. Nec de Apolline eadem ratio eſt, cùm Alexandrinis Serapis, Corinthiis autem Neptunus præcipuum Numen fuerit, adeò ut horum alter in Nummo radiare deberet, ſi Poſidonio, vel Alexandrino, vel Corinthio is addicendus eſſet.

Opinione meâ me cecidiſſe video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; ſed nondum video rationem, quâ vel Apamenſem, vel Olbiopolitam hîc agnoſcere debeam: Et quæsò DULODORE, cùm unius procul dubio ſit hoc Numiſma, annon diſcernas, utri ex his ſit tribuendum? Ubi rationes edidero, reſpondit DULODORUS, Tibi judicium relinquam. Ut Olbiopolitæ tribui poſſe arbitrer, in cauſa ſunt ejus opera. Suidam audiamus: Ποσειδώνιος Ὀλβιοπολίτης, Σοφιστὴς, καὶ ἱστορικὸς, περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ, καὶ τῶν κατ' αὐτόν. περὶ τῆς Τυρικῆς καλουμένης χώρας. Ἀττικὰς ἱστορίας ἐν βιβλίοις δ'. λιβυκὰ, ἐν βιβλίοις ιά. καὶ ἄλλα τινά. *Poſidonius Olbiopolita, Sophiſta & Hiſtoricus, ſcripſit de Oceano, & rebus, quæ ſunt in ipſo, vel juxta ipſum. De Regione, quæ Tyrica vocatur. Atticas hiſtorias, lib. IV. Libyca, lib. II. Et alia quædam:* Audi! de Oceano ſcripſit, & in Numiſmate Navis viſitur, cujus præcipuus in Oceano uſus eſt: De Tyrica Regione ſcripſit, & Tyrii navali potentiâ floruêre, adeò, ut omnia maris litora pervagati, ad ipſos Oceani

ceani receſſus abierint. Quid de Apolline dicam? qui non in Tyro tantùm & Libya cultus eſt, quorum illud ex hiſtoria Alexandri apud Diodorum Siculum, hoc ex amore Cyrenes intelligitur, ſed etiam, & vel præcipuè Athenis, ubi *Patroum* & *Alexicacon* Strabo Lib. XIV. & Macrobius Lib. I. cap. 17. memorant: Et clariùs adhuc Cicero Lib. III. de Nat. Deor. *Vulcani*, inquit, *complures, primus cælo natus, ex quo & Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui hiſtorici eſſe voluerunt.* Et iterum: *Apollinum antiquiſſimus is, quem paulò ante ex Vulcano natum eſſe dixi, Cuſtodem Athenarum.* Quid videtur ARCHÆOPHILE, qui Atticas hiſtorias ſcripſit, an mirum, ſi & is Atticæ præſidem Deum in Nummo oſtendat? Sed alia adhuc ratio ſuccurrit in Navigio, cui Apollo egregiè quadrare videtur, cum diverſa inde cognomina ſortitum conſtet, Ἐμβάσιος dictus eſt ab *ingreſſu*, cui Jaſon, navem conſcenſurus, ſacra feciſſe legitur: Ἐκβάσιος, ab *egreſſu*, quòd Argonautæ ei ſacrificaſſent, ex mari exeuntes: *Actius* quod litoribus præſideret: Ἐπιβατήριος, quod *aſcenſum* juvaſſet, poſt eam tempeſtatem, quâ Græci poſt Trojanum excidium affligebantur. Videri de his poſſunt Apollonius in Argonauticis, & Pauſanias in Corinthiacis.

Tanta, inquit ARCHÆOPHILUS, pro Poſidonio Olbiopolita adfers, ut ejus patriam nôſſe cupiam. Olbiopolita dicitur, ſed quæsô, quô Olbiopolis in terræ angulô? neque enim vel apud Stephanum, vel alium quemcunque Veterum, eam inveneris. Non Olbiopolin, reſpondit DULODORUS, ſed *Olbiam* inquiras, quæ & apud Strabonem & Stephanum, & quidem apud hunc appoſitô ad dubium Tuum effatô, Ὄλβια πόλις Λιγυστική, ὁ πολίτης Ὀλβιοπολίτης. *Olbia*, inquit, *Urbs Liguriæ. Civis OLBIOPOLITES.* Quibus ex verbis, licet & aliæ hoc nomine Urbes memoret, tamen quod earum cives non *Olbiopolitas*, ſed vel *Olbianos*, vel *Olbæos*, aliterve appellatos juxta ſignificet, planum utique eſt, Poſidonium noſtrum Olbiæ Liguſticæ civem fuiſſe; Quô autem tempore vixerit? quâve effigie fuerit? cum doctis me ignorare lubens fateor. Eſt quidem effigies Poſidonii apud Urſinum in imaginibus Illuſtrium; ſed cujus ſit, æquè incertum eſt. Plerique noſtrorum Apamenſi Syriæ, eam tribuunt, de quo adhuc dicendum reſtat.

De Poſidonio Apamenſi, inquit ARCHÆOPHILUS, memorabile eſt, quod Athenæus memorat; Eum, Scipionem Africanum Alexandriam comitatum eſſe, ipsumque Ptolemæum Phyſconem vidiſſe. Memorabile hoc, reſpondit DULODORUS, quia falſum. Ex ratione temporis id evincit Gerardus Joh. Voſſius, quòd legatio illa C. Claudio Pulchro, & M. Perperna Coſſ. id eſt, Anno V C. 614. contigiſſet, Poſidonius autem Coſ. Marcello, id eſt ab V C. 703. Romam veniſſet, id quod ex Plutarcho, Suida, & Strabone firmat. Vixiſſe certè Poſidonium hunc, Pompeji & Ciceronis ævô, vel inde clarum eſt, quòd uterque eum Rhodi audiviſſe, Straboni & Plutarcho memoratur. Rhodi, inquam; Ibi enim ſcholam eum habuiſſe, imò & *Rhodium* dictum, non ex his tantùm, ſed etiam ex Suida evincas: Et hæc mihi ratio videtur, cur non Apollinis tantùm effigiem, ſed & Navim, ejus in Numiſmate videamus; Conſtat enim, Rhodios & Apollinem impenſe coluiſſe, & navali gloriâ celeberrimos fuiſſe. Utrumque latiùs deducere neceſſe non eſt. Antiquitatum reliquiæ rem abundè teſtantur; & veriſimile planè videtur, Poſidonium gloriam Rhodi in Apolline & navi celebrâſſe, Apollo ſanè & eruditionis teſtis eſſe poteſt, de qua Lucianus in Macrobiis, Ποσειδώνιος ὁ Ἀπαμεὺς τῆς Συρίας, νόμῳ δὲ Ῥόδιος φιλόσοφος τε ἅμα καὶ ἱστορίας συγγραφεύς.

Hiſtorias, excepit ARCHÆOPHILUS, memini pluribus in locis citari Athenæo. Viderique de iis poſſunt etiam Strabo, & Plutarchus. De Rhodo

autem nondum ſuffragari poſſum. Ejus enim inſulæ Apollo non Laureatus, ſed radiatus in Nummis occurrit. Quid? quòd nec caput hoc Apollini videatur quadrare, cum ejus lineamenta potius hominem, quàm Deum indigitent. De lineamentis, reſpondit DULODORUS, non abſurdè judicas. Ipſi Poſidonio Caput tribuerem & ego, niſi Juventas judicium cohiberet, omninòque Apollini addicendum clamaret. Quod de Apolline mones, unâ diſtinctione elidere potero, Caput radiatum in Numiſmatibus Solis eſt, cui Rhodus ſacra fuit, cujusque celebratiſſimus in ea Coloſſus, nemini ignoratur. Multò aliter Caput Laureatum. Non Solem hoc indigitat, ſed Apollinem, ſtudiorum præſidem, quem cognominibus *Ixii* & *Telchinii*, Rhodiis cultum eſſe, apud Stephanum, & Diodorum docetur. Hunc quidni ſignaret Poſidonius, Sapientiæ nobilioris magiſter? quidni Laureatum, qui & vaticiniis ſuis ſapientiæ coronam meruerat? Et utriqne Patriæ, Syriæ ſcilicet & Rhodo, in veneratione erat? Nihil obſtare video. Tibi potiùs, dulciſſime ARCHÆOPHILE, his ita deductis, uti promiſi, liberrimum arbitrium relinquo, an Olbiopolitæ, an verò Apamenſi, hoc Numiſma tribuendum cenſeas. Anceps judicium eſt, reſpondit ARCHÆOPHILUS. Utriusque cauſa ſuis firmatur rationibus; Si ipſos alloqui facultas daretur, illud Menalcæ apud Virgilium huc detorquerem:

Et Nummo Tu dignus, & hic, & quisquis eodem
Nomine Neptunum coluit, Phœbumque celebrat.

NICOCLIA HEROINA

Sequitur, perrexit DULODORUS, cujus Numiſma, licet ſatis apertis adhuc literarum ductibus pateſcat, nihil tamen lucis, vel ex Hiſtoricis, vel ex Poëtis trahit. Quis enim unquam NICOCLIAM HEROINAM celebravit? Nicoclis Regis Cypri ſororem forſitan ex nomine conjicias. Sed quis Authorum ejus meminit? aut quomodò conveniet averſæ inſcriptio?

Eo rarius eſt hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, ſimilis ſanè cum ΗΡΩΙΔΟΣ elogio exſtant in Numiſmatibus *Nauſicaa* & *Julia Procla*, de qua poſteriore obiter egit Per-Ill. SPANHEMIUS ad Diatribam de Nummo Smyrnæorum, editam cum ſelectis Seguini Numiſmatibus alteræ editionis. In propoſita, niſi fallor, Laurea rationem nominis teſtari poterit, & averſæ Lyra, vel Apollinis cultum, vel Heroinæ ſtudium. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, quanquam etiam ad meritum referri poſſint; Cùm enim *Heroina* nominetur, procul dubio victoriam aliquam Citharâ decantandam obtinuerit; Sed quid Literæ Lyræ circumpoſitæ? an AZOPETON legas? ita ut locus ſignaturæ intelligatur, qualis forſan *Azorus*, Urbs Pelagoniæ, aut *Azora*, civitas Sophenes, penes Euphratem, apud Ptolemæum? An Literas dividas, adeò ut ſub ETOA. Annus *Primus* lateat, ZOP. autem, vel *Zoriga*, & ipſa Sophenes penes Euphratem Civitas, vel *Zoropaſſus*, civitas Armeniæ minoris ſit.

Vocem

Vocem ZOP., inquit ARCHÆOPHILUS, ætatem Cervi significare, Hesychius ait. Ita est, inquit DULODORUS, sed quid huc faciat non video. Ego potiùs literas ZOP, & ipsas numerales arbitrarer, significarique annum 177. Si litera A. deesset, assentirer, respondit ARCHÆOPHILUS. Ea nihil obstat, regessit DULODORUS, cùm ritè sub ea æra *Asyli* expressa credi possit, qualiter in Nummis Aradiorum cernimus, uti ad eorum Numisma videbimus. Incepit ea annô Seleucid. 70. adeoque, si ad hunc, calculum subducas, coincidit Nummus in annum Seleucidarum 247. quô Antiochus in serie Seleucidarum ultimus Syriæ præfuit. Nonne hoc appositè ad Nicocliam? denuò regessit ARCHÆOPHILUS: Nonne hoc ipsum demonstrabit, Nicoclis, Cypri Regis, vel Sororem, vel Filiam fuisse? Aradus certè Insulæ Cypro propior fuit, quàm ut dubitari possit.

Si Chronologia coincideret, respondit DULODORUS, forsitan assurgerem; Cùm autem constet, Nicoclem ultimum cum Uxore Axiothea, filiabusque & omni familia, adhuc sub Ptolemæo Lagi Filio interiisse, aut alia Æra hic statuenda erit, aut Nicoclis nec Soror nec Filia putanda, quæ in Nummo exhibetur. Mihi digitum intendisse sufficit; qui lucem firmaverit, ejus gloriam candidiore tubâ me celebraturum recipio. Succedunt

PHIDO
ET
MENSURÆ PHIDONEÆ.



De Phidone, Mensurisque Phidoneis, & Argenteo Phidonis Numismate, apertissimus est Strabonis locus, Lib. VIII. Φείδωνα τὸν Ἀργεῖον δέκατον μὲν ὄντα ἀπὸ Τημένου, δυνάμει δ' ὑπερβεβλημένον τοὺς κατ' αὐτὸν, ἀφ' ἧς τήν τε λῆξιν ὅλην ἀνέλαβε τὴν Τημένου διεσπασμένην εἰς πλείω μέρη. καὶ Μέτρα ἐξεῦρε τὰ Φειδώνεια καλούμενα, καὶ σταθμοὺς, καὶ νόμισμα κεχαραγμένον, τό, τε ἄλλο, καὶ τὸ Ἀργυροῦν. *Phidonem Argivum memorat, decimum ab Hercule, & omnibus suæ tempestatis Principibus potentiâ præstantem, quâ usus & totam Temeni successionem, in plures divisam partes, ad se recepit, & MENSURAS invenit, quæ PHIDONEÆ dicuntur, atque Pondera, & MONETAM tum aliam, tum ARGENTEAM procudit.* De Mensuris testatur & Plinius Lib. VII. cap. 56. *MENSURAS, & Pondera*, inquit, *PHIDON Argivus invenit.* De Numismate Julius Pollux, Φήδων πρῶτον ὁ ἀργεῖος ἔγραψε νόμισμα. *PHEDON Argivus primum NUMISMA percussit.* Quibus ex verbis utique Numismati nostro non exigua lux accedit.

Ex quo Thesaurum Palatinum inspexi, respondit ARCHÆOPHILUS, neque de Mensura, neque de Numismate dubitavi, sed de Phidone mihi dubium fuit, an Argivus? an Corinthius? an Ægineta fuerit? *Argivum* Straboni & Plinio dici, Te referente, modò audivi; sed in Scholiis Pindaricis dicitur *Corinthius* & apud

& apud eundem Strabonem, dictô librô, legitur *argentum signâsse in Ægina Insula*, idque *primus*. Hæc quomodo cohæreant, non video; neque enim ex Historia patet, an Phido Corinthi natus fuerit, an Corinthiis imperitaverit? Imperium affectâsse ex Plutarcho constat; sed ex eodem etiam constat, conatum irritum fuisse. Et quid? Qui Argis legitur imperitâsse, an is in Ægina Insula percusserit Numisma? De Ægina, inquit DULODORUS, res levior est, constat enim ex Pausania, Argivos Æginam tenuisse. De Corintho docet Casaubonus, ad dictum Strabonis locum, Phidonem Corinthium dici, non quod Corinthi natus esset, sed quod ibi maneret. Veneror Magni Viri effatum, sed vellem docuisset, quô id tempore factum fuerit, an ante occupatum Argivorum Regnum? an postquam à Lacedæmoniis & Eleis eversus est? Posterius non dixeris; Numisma enim tunc temporis jam signaverat, & proinde, cum Mensura in eo occurrat, Mensuras jam invenerat, quod ejus in Corinthios, imò in universos Peloponnesios, meritum celebratur. Prius igitur statuendum, sed eô positô facilè credas, Phidonem Corinthi non tantùm habitâsse, sed & natum esse. Scilicet exciderant Argivorum regno Phidonis Majores, & credibile est, apud Cognatos, Corinthiorum & Reges & Prytanes, exulâsse, donec Phido avitum regnum recuperaret, mensurasque à se Corinthi inventas, in Ægina Insula imperio suo subjecta, Numismati imprimeret.

Ergo Numisma propositum ex iis arbitraris, interlocutus est ARCHÆOPHILUS, quæ Phido in Ægina signavit? Omninò, respondit DULODORUS, video enim eandem planè mensuram in Numismatibus ΗΙΣΜΕΝΙΩΝ & ΦΑΣΤυρηνῶν, Urbium Bœotiæ. Docendo rem obscuriorem facis, excepit ARCHÆOPHILUS; Quid Bœotiæ cum Ægina? quid sibi vult vocabulum ΦΑΣΤυρηνῶν? Goltzius non Φαστυρηνῶν sed ΦΑΣΤίων meminit. Scio Nummum ita inscribi, regessit DULODORUS, sed an rectè, si me audieris, tuum sit judicare. Fastiæn Bœotiæ nullus Authorum meminit, sed ΑΣΤΥΡΙΝ habet Stephanus ex Characis Lib. II. cui vocabulo, si præponatur digamma Æolicum, id quod antiquis usitatum fuisse, Per-Illustris SPANHEMIUS dissertatione II. aperte docet, habebis utique ΦΑΣΤυρὶν Bœotiæ, de cujus cum Ægina nexu, nihil dubitabis, si memineris Theben & Æginam, à quarum altera, Bœotiæ Metropolis, ab altera Insula nomen sortita est, Sorores, & ita utramque gentem cognatos fuisse, id quod etiam ex Oraculo discimus, quô bellum cum Athenienſibus gerentes, cùm moniti Thebani essent, ut Cognatos in auxilium adhiberent, Æginetas petiére. Pindari Scholiastes ad 4. Nem. imò Pindarus ipse Isthm. VIII. asserti Authores sunt: Nec proinde miraberis ARCHÆOPHILE, si ex similitudine signorum, in Bœoticarum Urbium Numismatibus expressorum, hoc Phidonis Numisma ex iis esse statuam, quæ Phido primus in Ægina, Urbe Bœoticis cognatâ, signâsse legitur. Facilè enim hinc colligas, cùm Phido id Primus fecisset, Bœotos inventi gloriâ allectos, iisdem signis cognationem suam consecrâsse.

Hæc de Vase forsitan assumere possem, regessit ARCHÆOPHILUS, sed de Clypeo nescio adhuc quid statuam. In Thebanorum Nummis idem quidem Clypeus visitur, sed is cùm hactenus vel ad factum Herculis, quô refixis Templorum armis, Thebanos à Minyarum dominatu vindicavit, vel ad fortitudinem referretur, eorundem gestamen Tibi statuitur, in Spicilegio pag. 33. Quid tum, respondit DULODORUS, eô videlicet non nego, nec Herculis factum, nec fortitudinem Gentis. Imò potiùs utrumque, etiam hôc Phidonis apud Æginetas percusso Numismate mihi firmari videtur: Herculem Thebanum fuisse, nemo nescit, Phidonem ab Hercule decimâ generatione descendisse suprà ex

Strabone

Strabone audivimus, audivimus ex Scholiaſte Pindari, Æginetas Thebanorum cognatos fuiſſe, & ſi Pindarum ipſum conſulas, etiam de fortitudine Æginetarum manifeſtum fiet.

Πολλοῖσι μὲν γὰρ ἀεί
δεται νικαφόροις ἐν ἀέθλοις
τρέφασα, καὶ θοαῖς ὑπερτάτους
Ἥρωας ἐν μάχαις.
Multis quippe celebratur
(Ægina) *victricibus in certaminibus,*
Quod educârit, & acutis excellentiſſimos
Heroas in pugnis.

Inquit vetuſtiſſimus Lyricen, qui effatum ſuum re ipsâ firmavit, dum ex nulla alia vel Inſula, vel Regione plures victores celebravit: Ex Rhodo, Tenedo, Locride, Italia, Corintho, Orchomeno, Theſſalia, Argis, videas ſingulos, è Cyrenaica & Attica binos, è Thebis quatuor, è Sicilia octo, ex Ægina autem quatuordecim, & ne de laude martia dubites, in mentem veniant Æacus, Achilles, Patroclus, Ajax, Neoptolemus, quorum virtus notior eſt, quàm ut negari poſſit. Hæc cum ita ſe habeant, quidni ſcutum, hôc Phidonis apud Æginetas percuſsô Numiſmate, tam ad fortitudinem, quàm ad cognationem Phidonis & Æginetarum referas?

Mihi, regeſſit ARCHÆOPHILUS, cùm Argis imperitaverit Phido, Clypeus hic *Argolicus* videbatur. Id non dixero, reſpondit DULODORUS, Clypeum enim Argolicum rotundum fuiſſe, ex Virgilio patet, Lib. III. ℣. 637. ubi Polyphemi lumen:

Argolici Clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar

Memoratur: Ad quem locum Servius: *Græcorum clypei rotundi, ut Cato originum ait; id quod ex Homero hauſtum videtur, cui* Ἀσπίδες ἐυκυκλοι, CLYPEI ROTUNDI, *non uno in loco memorantur.* An ea rotunditas exacta fuerit, an fuerit ellyptica aut, ut loquuntur, ovalis, dubitari poteſt. Ellyptica ſanè forma non tantùm in Numiſmatibus Lacedæmoniorum, Argivorum, Opontiorum & Locrorum apud Goltzium occurrit, ſed etiam in Tabula Iliaca Raphaëlis Fabretti. Differt pro poſita ſolâ utrinque inciſurâ, quæ in reliquis Græcorum Clypeis abeſt, huic Phidonis autem cum Bœoticis communis eſt, adeòque cognationem eò apertiùs adſtruit.

Capio differentiam, ait ARCHÆOPHILUS, adeòque jam ad alia propero, neque enim in reliquis dubium ſupereſt, cùm Uvam ad uſum menſurarum Te retuliſſe meminerim. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed ſi hoc ſerves, probè diſtinguenda erit *Menſura Phidonea*, à *Phidone vaſe*; hoc enim licet à Menſurarum authore nomen ſumſerit, tamen Oleo deſtinatum fuiſſe, ex Polluce diſcimus, ἔιη δ' ἄν καὶ Φείδων τὶ ἀγγεῖον ἐλαιηρὸν ἀπὸ τῶν Φειδωνίων μέτρων ὠνομασμένον ὑπὲρ ὧν ἐν Ἀργείων πολιτείᾳ Ἀριστοτέλης λέγει. *Sit etiam Pheidon vas quodpiam, Oleum continens, à Pheidoniis Menſuris denominatum, de quibus in Argivorum Republica dicit Ariſtoteles.* Sed credibile eſt, Menſuras has Phidoneas non uno liquorum generi fuiſſe dicatas, nec uſum propter appoſitam Uvam ad vinum reſtringi debere, cùm potiùs antiquiſſimi Inſulæ Æginæ Nominis, & quidni etiam incolarum originis? nos admonere poſſit. Οἶνον *vinum* dicitur, & nomen Æginæ erat Οἰνώνη, ut eſt apud Stephanum, vel Οἰνοπία, ut apud Pindarum Iſthm. VIII. unde & Ovidius:

Oenopiam veteres appellavere, ſed ipſe
Æacus Æginam genetricis nomine dixit.

Si Gentis Originem ſpectes, ſuprà diximus eos Argivos fuiſſe. Rem planiùs exſequitur Pauſanias in Corinthiacis: Μοῖρα Αργείων τῶν ἐπίδαυρον ὁμοῦ Δηιφόντη κατασχόντων διαβάσα ἐις Αιγίναν καὶ Αιγινήταις τοῖς Ἀρχαίοις, γυνόμενοι σύνοικοι τὰ Δωριέων ἔθη καὶ Φονὴν κατεστήσαντο ἐν τῇ νήσῳ. *Argivorum*, inquit, *pars ea, quæ Epidaurum cum Deiphonte occupavit, in Æginam tranſmiſit, atque ejus Inſulæ incolis permiſta, Dorienſium in eam, cum mores, tum linguam importavit.*

Quorſum hæc? inquit ARCHÆOPHILUS. Ut demonſtrem, regeſſit DULODORUS, ſub uva originem ab Argivis latere poſſe, Homerus enim Epidaurum ubi antea conſederant Argivi, ἀμπελόεντα *vitiferam* appellat; Quidni potiùs ad vini in Ægina præſtantiam & ubertatem hanc uvam referas? inſit ARCHÆOPHILUS. Apud Strabonem, reſpondit DULODORUS, licet ager hujus Inſulæ in profundo gleboſus, in ſuperficie ſaxoſus dicatur, ſatis tamen hordei ferax memoratur, unde fortaſſis etiam de vino rationem formares, præſertim cum ager ſaxoſus vini præſtantiam augere credatur. Suffragari poteſt & Bacchi in Ægina templum, non minus ac Epidauro, quod Pauſaniæ memoratur, niſi ſimul & ad Bacchi cultum id referas. Quicquid ſit, Phido, qui Numiſma ſignavit, non Æginæ tantùm Dominus fuit, ſed & Epidauri, de cujus vineis allatum Homeri teſtimonium neminem dubitare ſinit. Antequam ad alia pergam, notandus adhuc error Vallæ, qui apud Herodotum, ubi Phidonis, ejusque inventi, mentionem facit, verba τὰ μέτρα ποιήσαντος τοῖς πελοποννησίοισι, *falsò interpretatur: SPACIA Peloponnenſibus ſtatuit.* Multum enim differunt Spacia & Menſuræ: Notandum, Menſuras has Pindaro, ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν, *equeſtribus in vaſibus*, memorari, eò quòd Phido Argivus eas invenerit, Argos autem hippium diceretur, utpote equis abundans, id quod ex Horatio diſcas, quô Authore,

— *Plurimus in Junonis honorem*
Aptum dicit EQUIS ARGOS.

De ἱππείοις ἔντεσσιν, reſpondit ARCHÆOPHILUS, memini me legiſſe in Pindari Scholiis, & Cœlio Rhodigino. Mihi adhuc aliud dilucidandum videtur, an ſcilicet verum ſit, quod de Phidone memoratur, eum *Primum*, Numiſma ſignâſſe? Id non tantùm Julius Pollux verbis ſuprà allatis videtur ſtatuere, reſpondit DULODORUS, ſed & Ælianus Lib. XII. cap. X. ubi de Æginetis, πρῶτοι, inquit, νόμισμα ἐκόψαντο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα αἰγιναῖον. Sed aſſertum hoc, ſi de Græcis in genere ſumas, vereor ut ſubſiſtere poſſit. Idem Julius Pollux, qui de Phidone docet, etiam de Erychthonio, quòd is Athenienſibus & Lyciis Numiſma excuderit; Atqui Erychthonius, ſi Euſebio fides, ferè ſeptingentis annis Phidone antiquior fuit? Ita & Hermodicen Uxorem Midæ, Regis Phrygum, Cumæis primam Nummos ſignâſſe, Cœl. Rhodiginus obſervat, Midas autem Phidone & ipſe, quingentis annis vetuſtior fuit. Herodotus Lydis primum Numiſma tribuit. Lucanus Jono Theſſalorum Regi:

Primus Theſſalicæ Rector telluris Jonus
In formam calidæ percuſſit pondera maſſæ,
Fudit & argentum flammis, aurumque monetâ
Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.
Illic, quod populos ſcelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum eſt.

Intelligis ARCHÆOPHILE, Phidonis Numiſma non primum fuiſſe tota in Græciâ, ſed in Ægina aut Argis aliisve fortè Phidoni ſubjectis Urbibus. Cæterùm ex Codice Sacro intelligas, jam Abrahami tempore Numiſmatum uſum invaluiſſe. Abimelech enim Rex, Abrahæ Uxori, Saræ *mille Keſeph*, id eſt *aureos* memo-

memoratur donâſſe. Sed hæc alibi profundiùs exquiremus. Coronidis locô notandum eſt, fruſtrà Plutarchum Joſepho Scaligero in Animadverſionibus vapulare, quod Φίδων & non Φειδων ſcripſerit; Eum enim excuſat Numiſma noſtrum, in quo non Φειδο ſed Φίδο legitur: Notandum, Phidonem hunc Euſebio fratrem Carani ſtatui, qui regnum Macedonicum fundavit. Notandum, Numiſma Εὐβόικον Grammaticis ideò vocari, quod Phidon in Eubœa, Argivorum regiuncula, Aureum Numiſma percuſſerit, uti Argenteum in Ægina. Rem videre eſt, in allegatis Scaligeri, dictô locô. Ad alia tranſimus.

PATREUS
JONUM VICTOR,
Cum
Lagena, Patrenſium Menſura,

Prodit. De Patreo, inquit ARCHÆOPHILUS, in Theſauro Palatino docuiſti, Preugenis Filium, nepotem Agenoris fuiſſe, qui ab Ampyce, Pelia, Ægineta, Derito, Harpalo, Amyda, & Lacedæmone ordinem gentilitatis deduxerit. Docuiſti, faciem in adverſa agnoſci debere; neque enim, ut Apollini tribuatur, integerrimam Equitis, quæ in aversâ eſt, pati. Monſtraſti, Lauream non obſtare; eâ enim redimita eſſe & Ageſilai & Polidori capita, in Nummis Lacedæmoniorum, qui eundem planè typum præferentes, & cognationem evincant, & idem ſignati Numiſmatis tempus. Oſtendiſti Equitem hoſti proſtrato infeſtum, Herois meritum indicare, referrique debere ad ejectos Jones, occupatamque Aroam, quam poſteà auctam Patreus de ſuo nomine Patras dixerit. Colophonis locô ad Pauſaniam lectorem ablegaſti, eôque inſpectô fidem habiturum, nihil omninò mihi videris dubitare. Fateor Pauſaniam multa habere, & de Patris, & de Patreo, aſſentirerque placito, niſi alia adhuc forent aſſenſum cohibentia. Apud Pauſaniam Patrarum Conditor non Πατραός dicitur, ſed Πατρεύς, & in contrario apud Polybium, inter Philippi duces Πατραῖον, *Patræum*, offendimus in Theſſalia, ad dimicandum paratum, cum Dorimachus Ætolorum Dux Regionem vaſtaturus eſſet. Hæc cùm ita ſint, quidni potiùs huic Πατραίῳ, Philippi duci, hoc Numiſma tribuam, convenientibus & Nomine & Virtute? Theſſali Equeſtri laude claruerunt, & Eques victor in Nummo expreſſus eſt. Patræ conditor vixit ante Chriſtum natum annis plus mille, ex qua Antiquitate utique vix credibile eſt Numiſmata ſupereſſe; cùm ſub Philippo Numiſmatum inventum, nullibi non invaluerat. Quid reſpondes DULODORE!

Acri me telo petis, inquit Ille, & niſi opinionis meæ firmus eſſem, non minus ſuccumberem, ac is, qui in Nummo nequicquam Equiti reluctatur. Patræus Polybii rem non conficit, & de Pauſania poſſem Philoſtrati locum adducere,

in vocibus Pausaniam minus idoneum testem asserentis esse, eò quòd Cappadox fuerit, Cappadocumque more literas consonantes, σύμφωνα τῶν στοιχείων, prorsus colliserit, producta corripuerit, correpta produxerit, coquo similis, obsonia sumtuosa malè condienti. Sed mitius judicium sequor, præsertim cùm non Pausaniæ tantùm, Scriptori, ut inter doctos constat, accuratissimo, sed & Stephano, Πατρεὺς dicatur. Id enim Dialecto fecerunt, ne Doribus quidem incognitâ. Dores pro πηλέος πηλεὺς, pro ἄρεος ἀρεὺς scribere, vel ex rudimentis planum est. Ita Patrarum Conditor, re ipsâ non Πατρεὺς sed Πατρέος, aut si cum Nummo per alium dialectum loqui mavis, Πατραίος dictus fuit. Patræus autem, de quo apud Polybium mentio est, ΠΑΤΡΑΙΟΣ dicitur, non Patraos. Forsitan & hîc dialectô rem excusabis; at nulla dialectus mutationem Ai in A admittit, Ai enim non in A, sed in H cum jota subscripto mutatur, adeòque si hîc intelligendum esset, in Nummo vel Πατραίος, vel Πατρηος legi deberet, quod tamen non fit; Agnoscis, ARCHÆOPHILE, omninò ad Patreum, Patrarum conditorem, hunc Nummum pertinere, & firmatur opinio, non capite juvenili tantùm, quâ ætate Patreo statuam positam, Pausanias memorat; sed etiam Equite hostem prostrante, qui in aversâ visitur, convenitque cum eo, qui in Nummis Lacedæmoniorum apud Goltzium habetur. Ætatem Numismatum in contrarium frustrà adduxeris; constat enim, Urbium Conditores Numismatum honore, à Posteris potissimùm, affici solitos, adeòque me vanum non fuisse, quòd ex similitudine Numismatum Polydori & Agesilai, non tantùm idem tempus utrisque assignaverim, sed & Patrei à Lacedæmonibus originem ostenderim. Patreum à Lacedæmone descendisse, imò & Lacedæmoniorum ope adjutum, Pausanias testatur; Audi verba, in Achaicis! Ἀχαιῶν δὲ ὕστερον ἐκβαλόντων Ἴωνας, πατρεὺς ὁ πρευγένους τοῦ Ἀγήνορος, ἐς μὲν Ἄνθειαν καὶ ἐς μεσσάτιν μὴ ἐνοικίζεσθαι τοῖς Ἀχαιοῖς ἀπεῖπε. Περίβολον δὲ τείχους πρὸς τῇ Ἀρόῃ βαλόμενος μείζονα, ἵνα ἐντὸς τοῦ περιβόλου καὶ ἡ Ἀρόη γένηται. Ὄνομα ἔθετο ἀΦ' ἑαυτοῦ Πάτρας τῇ πόλει. Ἀγήνωρ δὲ ὁ Πατὴρ τοῦ πρευγένους Ἀρέως παῖς ἦν τοῦ Ἄμπυκος, ὁ δὲ ἄμπυξ πελίου τοῦ Αἰγινήτου τοῦ Δηρείτου τοῦ Ἀρπάλου τοῦ Αμύκλα τοῦ λακεδαίμονος. *Ejectis deinde ab Achæis Jonibus,* PATREUS *Preugenis Filius, Agenoris nepos, Achæos edicto vetuit, Antheam & Messatin incolere. Aroës verò pomeriô ampliatô, veterem oppidi ambitum novô inclusit, & Aroën de suo nomine* PATRAS *vocavit. Agenor fuit Preugenis Pater, Arëi Filius, Ampycis nepos; Ampyx vero Pelei Filius. Is ab Ægineta, Derito, Harpalo, Amycla, Lacedæmone ordinem gentilitatis ducebat.* Et iterum in Laconicis: Ἐπὶ τούτου Πατρεῖ τῷ πρευγένους κτίζοντι ἐν Ἀχαίᾳ πόλιν, ἥντινα Πάτρας καὶ ἐς ἡμᾶς καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ πατρέως τούτου, συνεπελάβοντο Λακεδαιμόνιοι τοῦ οἰκισμοῦ. *Sub hoc* (Agide) PATREUM *Preugenis Filium in condenda Urbe in Achaia, quam de nomine* PATREI *hâc etiam ætate* PATRAS *vocant, adjuverunt Lacedæmonii.* Hæc cum ita sint, noli mihi peritiam Equestrem Thessalorum adducere, noli Macedonum, quod jure tamen potiore fecisses; Etiam apud Laconas equestre studium viguisse, vel Dioscuri testantur, crevitque tantum, ut Pausania teste, omnibus tandem Græcis eô præstiterint. Sed non in his tantùm, imò etiam in habitu originem à Lacedæmoniis contemplamur. Coronatus est Patreus; Et coronatos Lacedæmonios prælium inire, Lycurgus apud Plutarchum jussit, id quod etiam Xenophon tradit, Legem fuisse asserens, μήδενα λακεδαιμονίων ἀστεφάνωτον εἶναι, *ut nemo Lacedæmoniorum sine coronâ esset:* Post coronam pectus intueamur! Patrenses gravi armaturâ omnium scientissimè usos, Pausanias Author est. Morem scilicet imitabantur Achæorum, quos Χαλκοχίτωνες, Homerus vocat. Il. X. ℣. 287. *Æreas tunicas habentes.* Annon ex his conficitur, Equitem nostrum, utpote qui vix laneâ tunicâ indutus est, non Patrensium, sed omninò Lacedæmoniorum armaturam

ram exprimere? Hos enim absque togâ permansisse, & unicam tantùm in annum tunicam sumsisse, Plutarchus author est, quod in tantum invaluit, ut ne bello quidem, nisi purpuream haberent, asserente Xenophonte. Cassidem in Equite nostro vides & hastam, & apud Plinium legas, Lacedæmonios Cassidem & hastam invenisse, quod & ipsum opinionem nostram fulcit, ostenditque cum superioribus, Sole meridianò clarius, Patreum Preugenis Filium, qui ex Lacedæmonis stirpe descendit, omninò non tantùm in adversa hujus Numismatis agnoscendum esse, sed etiam in aversâ sub Equite latere, adumbrarique virtutem, quâ Jones devicit, iisque ejectis Patras condidit. De juventute non est quod moveas: de ea sunt verba Pausaniæ in Achaicis. Ἐν πάτραις δὲ ἰόντι ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἡ τὸ ἱερὸν τοῦ Απόλλωνος, πύλη κατὰ τὴν ἔξοδόν ἐστι ταύτην, καὶ ἐπιβήματα ἐπὶ τῆς πύλης ἀνδριάντες εἰσὶν ἐπίχρυσοι, πατρεύς τε καὶ πρευγένης, καὶ Αθερίων, ὃι πατρέως ἡλικίαν παιδὸς ἔχοντες καὶ αὐτοὶ παῖδες εἰσί. *Patris è foro abeuntibus, quâ parte est Apollinis Ædes, porta est in eô exitu, & supra portam maurataæ statuæ eminent* PATREUS, *Preugenes, Atherion,* PATREI PUERI *ætatem habentes, & ipsi Pueri.* Quam aptè hæc ad Numisma nostrum?

Agnosco, inquit ARCHÆOPHILUS, & jam mihi videor etiam vasis interpretationem nactus, quod à tergo Equitis hujus cernimus. Quid enim est, quò minus sub eo lateat Cothon, poculum Laconicum, cujus Athenæus l.b. XI. pluribus meminit, & ad Nummum appositè, *in expeditione militari utilissimum fuisse, quod facile in militum sporta ferretur, nec aqua, si fortè necesse esset, et impuram bibere, in eo appareret:* appositè, *eô usos esse Lacones in conviviis ob partam Victoriam: Fuisse rotundum, oris crassi, brevibus auriculis.* Ita quidem Dalecampius in versione Latinâ, respondit DULODORUS, in Græcis autem vox βραχώτος habetur, undè nescio, an duobus auriculis Cothona insignem fuisse, probare possis: Et si non possis, nescio an in Cothone subsistere debeamus. Suidas sanè apertissimè contrarium docet. Κώθων εἶδος ποτηρίου λακωνικοῦ μονώτου. *Cothon*, inquit, *genus poculi Laconici*, UNICAM *aurem habentis.*

Subrubuit ARCHÆOPHILUS, opinionem suam tam firmiter excussam videns. Tandem, libenter, inquit, Tibi cedo, DULODORE, sed eâ omninò conditione, ut firmius quid adferas. Agam quod potero, inquit ille. Mensura videtur Patrensibus λάγανος, Græcis reliquis λάγυνος dicta. Audi Athenæum pag. 499. Λάγυνον δὲ μέτρου λέγουσιν εἶναι ὄνομα παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ὡς χοὺς καὶ κοτύλης. χωρεῖν δ' αὐτὸ Κοτύλας Αττικὰς δώδεκα, καὶ ἐν ΠΑΤΡΑΙΣ δέ φησι τοῦτ' εἶναι τὸ μέτρον τὴν λάγανον. *Lagenam mensuræ nomen esse volunt apud Græcos, ut Cotylam & Choa, eamque Atticarum duodecim Cotylarum capacem,* τὴν λάγανον, PATRIS *mensuram ejusmodi vocari tradunt.* Hanc mensuram etiam poculi usum habuisse, ex Suida constat, sub voce λάγυνος, ubi varia in Epigrammate Epitheta profert, & inter cætera μεθυοφαλὴν, quasi *ebrietate titubantem*, & Στεινώχην, *angustum guttur habentem* appellat, appositè ad Nummum, in quo lagena hæc non erecta stat, sed in latus inclinata casum minatur: Non in latum diffluit, sed in angustum gutt, tur constringitur. Adde quod & ipsa non convivantium tantùm, sed etiam Peregrinantium instrumentum fuerit. Ex Athenæo lib. X. rem didiceris, ubi Demetrium Phalereum Crateto Cynico, σὺν τῇ πήρᾳ τῶν ἄρτων, καὶ λάγυνον πέμψαντα οἴνου, *cum pera panum etiam lagenam vini mittentem*, memorat. Quicquid sit: Lagenæ gestationem λαγηνοφορίαν dictam, imò λαγηνοφορίαν festum apud Alexandrinos fuisse, omnino hîc est notandum. Notandus etiam λαγήναρχος Hesychio teste, ὁ ἐξουσίαν ἔχων τοῦ οἴνου, *cui Lagenarum seu vini dispensandi cura commissa fuit.* Hæc ad Numisma Patrei, donec certius quid occurrat. In sequenti celebratur

AUDOLEON PÆONIÆ REX ET EQVITATUS PAEONICUS.



AUdoleontem Tu hunc? infit ARCHÆOPHILUS; At in *Theſauro Palatino* memini Te *Lydolam* ſtatuere: Memini inde Pauſaniam corrigere, apud quem non ΛΥΔΩΛΑ, ſed ΦΕΙΔΩΛΑ legitur: Memini Equam ad *Auram* referre, quæ collapsô ad carceres ſeſſore curſum peregerit, victoriamque obtinuerit. Mihi ſanè opinio de nihilo viſa non eſt, & miror, quâ ratione eam mutaveris? Apertâ, reſpondit DULODORUS, quamque non mihi adſcribo, ſed Cl. MORELLIO acceptam refero. Is enim non ΛΥΔΩΛΕ, ſed ΑΥΔΩΛΕΩΝ in Numiſmate legendum eſſe, intelligendumque Pœoniæ Regem, amicè monuit. Neſcio, an prævaleat, inquit ARCHÆOPHILUS; Primæ ſanè Literæ figura, Literæ Λ propior eſt, quàm Literæ A; Et apud Authores, Diodorum & Plutarchum, non ΑΥΔΩΛΕΩΝ, ſed ΑΥΤΟΛΕΩΝ hic Pœoniæ Rex vocatur. Diverſitas Literarum, reſpondit DULODORUS, ab aſſenſu me non dimovet; Prima enim Litera nec ipſa purum Λ videtur, ſed alterius brachii craſſities apertè arguit, obliquam virgulam ad Literam A deflectere. In diverſitate Nominis, Literarum T & Δ cognata poteſtas rem abſolvit, quæ cauſa eſt, ut inter ſe hæ Literæ haud rarò permutentur, id quod vulgò innotuit. Sanè, ut Diodoro & Plutarcho ΑΥΤΟΛΕΩΝ, ita Tzetzi Chil. 6. ΑΥΔΩΛΕΩΝ, hic Rex vocatur, qualiter & in Numiſmate. Si ita ſe res habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, de *Audoleonte* non amplius dubitem, velim tamen ejus Hiſtoriam, expreſſique in averſa rationem Equi noſſe. Equus, reſpondit DULODORUS, Equitatûs Pæonici teſtis eſt, quem in exercitu Alexandri M. laudat Curtius L. 4. c. 9. & 12. Hiſtoriam tradit ex Diodoro Reinerus Reineccius, quem Cl. MORELLIUS allegavit. Philippi, Alexandri M. & Caſſandri temporibus vixit Audoleon. Ab Illo ſubjugatus eſt: ſub his in Macedonum fide manſit, adeò ut Ariſtonem filium Alexandro in militiam conceſſerit, à Caſſandro autem contra Autariatas fuerit defenſus. Caput Palladis excepit ARCHÆOPHILUS, gloriam militarem videtur innuere. Et hâc inſignes fuiſſe Pæones, reſpondit DULODORUS, utique ex hactenus dictis patet. Sed

AURA, PHIDOLÆ EQVA.



Nos vocat, ne omninò ejus obliti videamur. At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon licet & hîc dubitare? Omninò, reſpondit DULODORUS, imò etiam ab opinione decedere, modò pari ratione nitaris; ſed inſcriptio ΥΡΕ annon pro Aura ſatis evidenter militat? Nomina Equorum, excepit ARCHÆOPHILUS, an mos fuerit Numiſmatibus inſcribere, incertum eſt, indeque potius & hîc, vel Virum quendam Illuſtrem, vel etiam urbem intellexerim. Subſcribam, inquit DULODORUS, modò alterutrum determines. Si non, patieris pro Aura me aliquantiſper ſentire; Neque enim Nomina Equorum Numiſmatibus exprimere, olim moris fuiſſe, probare difficile erit. Unicum Numiſma Morellianum rem conficit, in Specimine nobiliſſimo Tab. III. n. 3. De Aura nota eſt Pauſaniæ Hiſtoria. Subit

TAURION RERUM REGIARUM IN PELOPONNESO PROCURATOR.



HUjus Nummi, inquit ARCHÆOPHILUS, Prototypon videndi jamdudum cupidine ardebam. Nimis audaciter in eo Taurionem mihi videbaris agnoſcere, quòd ſimillimi, ut ipſe fateris, apud Parutam Hieroni tribuantur. Nummus ipſe, reſpondit DULODORUS, rem facile dijudicabit. Eum ecce! ſatis integra adhuc literarum ſerie conſpicuum. Quid ais? ARCHÆOPHILE, Verum eſt, inquit Ille. Taurion expreſſe legitur, adeòque in tantum deſiderio ſatisfeci. Ad res in eo contentas tranſeundum. De capite diſquirere libet, an ipſius Taurionis ſit? an vero Regem aliquem ob oculos ponat? Diadema certè Regem potiùs demonſtrare videtur. Si Regis hæc effigies foret, reſpondit DULODORUS, omninò vel Antigoni eſſet, vel Philippi, horum enim vices Taurion in Peloponneſo ſuſtinuit. At neutriûs eſſe, demonſtrat & Antigoni

tigoni Numiſma, & Philippi Juventus. Illud imberbem exhibet, hæc cùm imperium Philippus ſuſciperet, tanta fuit, ut etiam ab inimicis contemneretur. Hæc cùm ita ſint, utiquę planum eſt, Regum aliquem hîc agnoſci non poſſe. At nec Taurion poteſt, regeſſit ARCHÆOPHILUS. Quid enim? an Procurator rerum Regiarum ſtatim Diademate ſe exornet? Diadema, reſpondit DULODORUS, licet communiter quidem Regiæ poteſtatis inſigne fuerit, ſupremos tamen etiam militiæ duces id geſtaſſe, Paſchalius de Coronis agnoſcit. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed vereor ut aſſertum ſtabilire poſſit. Exempla enim, quæ attulit, rem non evincunt. De Xerxe dubitari poteſt, cùm non tàm exercitûs Dux, quàm Rex fuerit. Annibal magis ad rem faceret, ſi verum eſſet, quod Ariſtide Mileſio authore Plutarchus in Parallelis memorat, *Fabium* ſcil. *Maximum, poſt amiſſos trecentos milites, quos duxerat adverſus Annibalem, accepto lethali vulnere, in ipſum Annibalem vehementi curſu concitatum, eique ablatô DIADEMATE, ibidem oppetiiſſe.* Sed Ariſtidem ipſe Paſchalius pro Græculo nugatore habet. Quid dicis? DULODORE. Id quod Nummus ſuggerit, inquit Ille; Diadema enim adeò clarum non eſt, ut non etiam abeſſe credi poſſit: Si tamen adſit, Caput, ſi non Taurionis, tamen Neptuni eſſe poſſe, cujus in adverſa tridens viſitur. Capillorum horror opinioni ſuffragatur, & Diadema non tantùm Imperium Maris deſignat, ſed & in Neptuno Gentis Pompejæ occurrit, uti ſupra inter Gemmas vidimus.

Tridentem, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Neptunum reſpicere, indubium eſt. Rationem memini Tibi Vota eſſe, quæ Taurionem feciſſe auguraris, cùm Demetrium Pharium, ex Cycladibus Cenchrias appulſum, ad ferendum Achæis auxilium induxiſſet, ſumtusque Lemborum per Iſthmum trajiciendorum in ſe recepiſſet. Nec abs re; Notum enim eſt, in nobili de Corintho cum Sole controverſia, arbitro Briareo, Neptuno Iſthmum adjudicatum fuiſſe. Ratio ſufficiens eſt, ſubjecit DULODORUS, ſed aliam adhuc ſuppeditat Pauſanias. Neptuni templum, cum ſigno marmoreo, is in Orchomeniorum vetere oppido fuiſſe memorat. Quid hoc ad Nummum? regeſſit ARCHÆOPHILUS. Multum omninò, reſpondit DULODORUS: Nam apud Polybium legimus, Antigonum, qui Taurionem rerum ad Reges Macedoniæ ſpectantium procuratorem conſtituerat, Peloponneſo decedentem, Orchomenum, vi à ſe captum, Achæis non reſtituiſſe, ſed ſibi vindicaſſe & retinuiſſe, eô conſiliô, ut non aditum tantùm liberum in Peloponneſum haberet, ſed & mediterranea cuſtodiret, Præſidii ejus ope, quod in neceſſario apparatu Orchomeni futurum eſſet. Ex his utique conſtat etiam Taurionem Orchomeni præfecturæ ſuæ ſedem habuiſſe, adeoque non abs ratione Urbis illius Numen, Numiſmati ſuo impreſſiſſe. Cæterùm Taurion non tantùm ſumtus in Lembos per Iſthmum trajiciendos in ſe recepit, ſed & à Timoxene Achæorum prætore ad expugnandum caſtellum Clarium aſſumtus eſt, cum Arato Patras abiit, cum eodem in agro Clitoriorum conſedit, ad Caphyas ab Ætolis victus eſt, Præſidium militum Phialiam miſit, ad Arati inſtantiam Equites Peditesque paravit, quæ omnia Polybius paſſim. Nos in Siciliam tranſmittimus, ubi

GELO
SYRACUSANORUM, HERCULEI POPULI, REX, EIUSQVE LEONINUM
& robur & clementia



Se contemplationi ſiſtunt. Similia huic Numiſmata, inſit ARCHÆOPHILUS, etiam apud Parutam me vidiſſe memini; ſed ibi non Geloni Regi, ſed ipſis Syracuſis tribuebantur, & me judice rectè; Licet enim caput Diadematum in iis appareat, quod Regis alicujus eſſe poteſt. Inſcriptio tamen in ambiguo relinquit, an Regis alicujus hoc caput ſit, an vero Herculis? cujus in averſa monumenta viſuntur. Ne Herculi hoc caput tribuam, reſpondit DULODORUS, non tam Diadema facit, quam lineamentorum cum Gelone convenientia. Confer Numiſmata ejus, & apud Goltzium, & apud Parutam exſtantia. Eadem Naſi, eadem Frontis, eadem Oris, imò & Menti eſt delineatio. Et quid ſubjecta Leoni litera Γ. annon Gelonem apertè demonſtrat?

Id crederem, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi eadem etiam apud Parutam occurreret; Sed ibi in uno Σ, in alio AKP, in reliquis nihil cernitur: Apertô teſtimoniô, literam Γ ad Gelonem reſtringi non debere, ſed fortè locum ſignati Numiſmatis indicare, Γ quidem Gelam, Σ Syracuſas, AKP Agrigentum. Tres Urbes memoras, reſpondit DULODORUS, quibus imperitabant, vel ipſe Gelo, vel Gelonis Frater Hiero, vel Socer Theron: quâ ratione opinio mea nondum vacillaret; Sed notandum arbitror, Numiſma non poſſe ſimul & Gelæ & Syracuſis percuſſum eſſe, cùmque Syracuſanorum nomen apertè in eo legatur, literam Γ non Gelam denotare poſſe, ſed omninò Gelonem Syracuſanorum Regem. Alia ratio eſt in Numiſmatibus, in quibus locô literæ Γ, vel litera Σ, vel monogrammon AKP occurrit. Litera enim Σ à voce Syracoσίων non abit, nec inſolitum eſt, idem Urbis nomen in utraque Numiſmatis parte ſignari. Exemplum eſt in duobus aureis hujus ipſius Urbis, apud Parutam, & pluribus aliis apud eundem & Goltzium. Monogrammon AKP fateri poſſum ad Agrigentum pertinere, nulla enim Syracoσίων in eo mentio eſt. Numiſmata reliqua, in quibus litera nulla viſitur, Deorum inſignia exhibent; In nonageſimo nono eſt *Arcus Dianæ*, peculiaris Syracuſanorum Numinis: In centeſimo *Fax Cereris*, cui utpote Siciliæ Præſidi, Gelo templum memoratur extruxiſſe. In centeſimo primo *Sol*, & in centeſimo quarto *Tripos*, uterque Apollini dicatus, cui ob victorias dona miſit, adeò ut nec hinc contra Gelonem argumentum deduci poſſit, ſed omnia potiùs pro eo militent.

Sed quid Leo ad Gelonem? reſpondit ARCHÆOPHILUS, quid Clava? Neque enim Gelo, vel Herculem imitatus, vel etiam Leonem confeciſſe

legitur. Lupum potiùs ſignare debuit, quem imperii auſpicium memoratur habuiſſe. Clavam Herculis, reſpondit DULODORUS, ſi non ad cultum Herculis referas, quem Syracuſis haud ignobilem fuiſſe, ad eorum Numiſmata docebimur, referes omninò ad Gelonis virtutem, qui Herculis inſtar, infeſta Patriæ agmina non ſemel proſtravit, Urbemque Siciliæ principem, haud degener Filius, tanquam ex integro condidit. Leonis duplex ratio eſſe poteſt. Vel Carthaginenſes ſub eo contemplaberis, vel ipſum Gelonem. Conſtat Libyam Leonum frequentiâ celebrari, & ſi Diodorum audis, Gelonis virtute effectum eſt, ut Sicilia, cujus caput Syracuſæ erant, totam ſub ditione Libyam habere videretur. Quid concinnius ad Nummum dici poteſt, in quo Leo, nequicquam rugiens ſub clava Herculis vagatur? Nonne Syracuſanos hoc ſchemate & ſuam originem, felicitatemque, Regisque ſui ſimul & virtutem & gloriam eleganter arbitraberis expreſſiſſe?

Eleganter, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc excogitata ſunt, ſed an verè, de eo adhuc diſceptari poſſet. Fateor, regeſſit DULODORUS; neque enim rem aſſero ut certam, ſed ut probabilem. Id fatum Antiquitatis eſt, ut non ſemper demonſtrationibus effulgeat, ſed interdum neceſſe habeat, etiam conjecturis acquieſcere. Si ſuperior minùs placet, En aliam! Dixi ſub Leone etiam Gelonem intelligi poſſe, non tantùm quòd leoninò robore is in hoſtes progreſſus fuerit, ſed etiam, quòd leonis inſtar ei ſuffecerit hoſtes proſtrâſſe. Carthaginenſibus, cùm Exercitum eorum ad Himeram concidiſſet, adeòque gentem ſubjugare poſſet, pacem tamen integram conceſſit, idque conditionibus adeò non duris, ut ipſi, Diodoro teſte, τῆς σωτηρίας παραδόξως τετευχότες, *præter ſpem ſalutis compotes*, in poſtulata non tantùm libenter conſentirent, ſed centum inſuper Talentis Damaretam Gelonis Uxorem donarent. Eâdem clementiâ etiam erga Anaxilam uſus eſt, eâdem etiam contra reliquos, qui à Carthaginenſium partibus ſteterant. Poſt obtentam victoriam, cùm ultionis poteſtas eſſet, tamen amicos habere maluit, quam hoſtes.

Id ſcio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed ſi eò pertinet Leo, quomodo is ſub clava? Annon potiùs Leonem ad Herculem referas? aut etiam ad Leontinos, quorum in Numiſmate Leo occurrit? præſertim cùm Gelo, Herodoto teſte, ſub Hippocrate adhuc, inter cæteros etiam contra Leontinos belligerante, totius Equitatûs Præfectus fuerit, exſtiteritque jam tum ἀνὴρ λαμπρότατος, *Vir præclariſſimus*. Cùm hoc ante ſuſcepta Regiæ celſitudinis inſignia factum ſit, reſpondit DULODORUS, vix eſt ut aſſentiri poſſim. De Hercule res probabilior foret, quanquam nec ratio deſit, quâ clavam ſuper Leonem, Gelonis typum, interpreter. Quid enim, ſi Gelo ſub Tutela Herculis fortitudinem exercens hîc adumbretur? Quid ſi, ut ſub Leone Gelo, ita ſub clava Syracuſani lateant, Herculis progenies? Modeſtia Regis, quâ tot victoriis inclytus, tot palmis onuſtus multitudini ſe ſubmiſit, uti apud Diodorum videre eſt, nihil non ſuadere videtur. Succedit

HIERO

HIERO DEINOMENIS FILIUS CERTAMINUM EQVESTRIUM VICTOR, Bellicaque virtute insignis.

MEritò, inquit ARCHÆOPHILUS, denuò hujus Numismatis mentionem facis. Ea enim, quæ in Thesauro Palatino attulisti, an satisfaciant, valdè dubitavero. Inscriptionem opinionis tuæ fulcrum adducis:

Σόν ποτε νικήσας, Ζεῦ Ολύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα
Τεθρίππω μὲν ἅπαξ, μουνοκέλητι δὲ δὶς,
Δωρ' Ἱέρων τάδε σοι ἐχαρίσσατο; παῖς δ' ανέθηκε
Δεινομένης πατρὸς μνῆμα Συρακοσίου.

Juppiter Eleo rediit qui pulvere victor,
Quadrigaque semel, injuge bis & Equo.
Voverat hæc Hieron: Natus monumenta parentis,
Dinomenis posuit clara Syracusii.

Ex hac inscriptione, inquis, Hieronem bis Celete in Olympicis Victorem exstitisse discimus, qualis Victoria cùm in nostro Nummo expressa sit, figura hæc equestris ipsius Hieronis decurrentis statua, & in memoriam unius illarum Victoriarum signata credi debet, nec fides habenda Doctissimo aliâs Antonio Pisoni, qui Tarantem Neptuni Filium hunc arbitratur. De Tarante quidem facilè subscripsero; at de Hierone quæsô, quî persuadebis? Quidni poterit etiam addici HIERONI Tyranno Athenienſium, quem inter triginta à Lysandro Urbi impositum, Xenophon memorat? Quidni etiam Priennenſium Civi, qui Pausania in Achaicis teste, patriam suam maximis damnis affecit? Fragilia hæc sunt, respondit DULODORUS. Merita opinionem diluunt. Ea cum infanda fuerint, credibile non est, publicô in vulgus monumentô fuisse honorata.

Si hos rejicias, regessit ARCHÆOPHILUS, admittes tamen Hieronem Hieroclis Filium, qui non tantùm Siciliæ Rex fuit, non minus ac Filius Deinomenis, sed etiam bellicis artibus illustrissimus habetur. Nosti Victoriam ad Longanum fluvium, quâ Mamertinos contudit, Regiumque Diadema meruit; Nosti statuas etiam huic positas, Equestrem unam, alteram verò Pedestrem, opera Miconis Syracusii, quas Patri posuisse Filios, idem Pausanias author est. Nonne res ad Numisma quadrat, in quo Equestris statua visitur? Nonne ad elogium *αἰχμητοῦ hastæ periti*, sive *bellicosi*, quod Theocritus ei tribuit, cùm hastam in Nummo torqueat, idque ad descriptionem Syracusiorum, quos *medias lanceas gestasse*, interque eos *Hieronem superioribus parem Heroibus armatum, cumque*

Equinis Galeam operientibus jubis, idem Bucolicus meminit? Acriter pugnas, reſpondit DULODORUS, Video neque Parutæ neque Goltzii, neque cujuscunque aliùs Antiquarii in contrarium ſufficere authoritatem, licet communi hactenùs conſenſu Deinomenis Filio hoc Numiſma tribuerint, & vix eſſet, quô impetum ſuſtinere poſſem, niſi Nummus ipſe certitudinem affunderet. Literas ibi vides Υ. & Δ. Has quomodo interpretaberis, ſi non Υιοῦ Δεινομένου, Filii Deinomenis? quô poſitô, utique nemo dubitare poteſt, quin Hieronis primi hoc Numiſma ſit, ejusque Νίκαι, *Victoriæ*, ſub adverſæ Equite lateant? Noſti ARCHÆOPHILE, non tantùm inſcriptionem à me in Theſauro Palatino allatam, ſed etiam Pindarum Hieronis noſtri victorias celebrare, non Olympicas tantùm, ſed etiam Pythicas: non κέλητι tantùm, ſive *equô deſultoriô*, ſed etiam ἅρματι, *curru*. Leguntur cantilenæ in Olympicis No. I. in Pythicis N. I. II. & III. ex quibus ſimul diſcimus, Equum Hieronis *Pherenicum* appellatum fuiſſe. Audi verba in Olympicis:

Ἀλλὰ Δωρίαν ἀ-	*Sed doricam*
πὸ Φόρμιγγα πασσάλου	*Citharam à clavo*
λάμβαν', εἴ τι τοὶ Πίσας τὲ	*accipe, ſi qua Tibi Piſæque*
καὶ ΦΕΡΕΝΙΚΟΥ χάρις	*& PHERENICI gratia*
νόον ὑπὸ γλυκυτά-	*animum dulciſſi-*
ταις ἔθηκε Φροντίσιν.	*mis ſubjecit cogitationibus,*
ὁτε παὰ Ἀλφεῶ συτο, δέμας	*quando apud Alpheum con-*
ἀκέντητον ἐν Δρόμοισι παρέχων,	*citus porruit, corpus exhibens*
κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν	*non ſtimulatum incurſibus,*
Συρακόσιον ἱπποχάρμαν	*victoriæque admovit Dominum*
βασιλῆα.	*Syracuſium Equis gaudentem*
	Regem.

Adde verba ex Pythicorum tertia, quæ ita habent.

Εἰ κατέβαν ὑγίει-	*Si aſcendiſſem ſanitatem*
αν ἄγων χρυσέαν,	*afferens auream,*
κῶμόν τ' ἀέθλων Πυθίων,	*celebrationemque certaminum Pythio-*
ἄιγλαν στεφάνοις	*rum,*
τοὺς ἀριστεύων Φερένι-	*quæ eſſet ſplendor coronis,*
κος ἕλε Κίρρᾳ ποτὲ	*quas vinces PHERENICUS*
	accepit Cyrrhæ aliquando.

Quid ais? ARCHÆOPHILE, Nonne hæc ad Nummum appoſitè?

Si Chronologia conveniret, reſpondit ARCHÆOPHILUS, facilè acquieſcerem. Sed pace Tuâ dixerim, Victorias Olympicas Hieronis Dinomenis Filii, hoc in Nummo, Diadema excludere videtur. Diadema Regem aperte demonſtrat; At Hiero, cùm Victorias ſuas obtineret, Rex nondum fuit. Rex factus eſt annô tertiô Olympiadis ſeptuageſimæ ſextæ, ſed in Olympicis celete vicit Olympiade ſeptuageſimâ tertia, in Pythicis autem Pythiâ vigeſimâ ſextâ, quæ cum anno tertio Olympiadis ſeptuageſimæ tertiæ incidit: & iterum Pyth. vigeſimâ ſeptimâ, quæ incidit cum anno 3. Olymp. 74. De curru quam obtinuit Pyth. 29. cum anno 3. Olymp. 76. incidente, ad Nummum noſtrum quæſtio non eſt. Vides DULODORE, Diadema Victorias κέλητι obtentas excludere, adeòque non leve dubium eſſe, annon literæ Υ. & Δ. aliter explicari debeant. Nihil moves, reſpondit DULODORUS, idem enim hoc eſſet, ac ſi Pindari Odas in dubium vocares, eò quod Hieronem Βασιλῆα, *Regem*, vocat Ol. 1. & Pyth. 3. qui tamen, cùm Victorias obtineret, Rex nondum fuerit? Quæsò,

ARCHÆO-

ARCHÆOPHILE! Nonne & Pindarus & Numiſma Hieronis Victorias, annis quibusdam, poſtquam obtentæ fuerant, potuerunt celebrare? Atqui nihil communius fuit, vel ipsô Antiquitatis teſtimoniô. De Pindaro ita ſentit ejusdem ſcholiaſtes, quidni etiam nos de Numiſmate? Scholiaſtæ authoritas, refert ARCHÆOPHILUS, rem non conficit. Pindarus aliter excuſari poteſt, ex duplici ſcil. vocis Βασιλῆος ſignificatione, conſtat enim eô vocabulô non ſemper Regem electum aut confirmatum indigitari, ſed etiam Regiâ ſtirpe natum, imò & principem, ſeu hominem primarium, qualis Hiero etiam fuit, antequam Fratri in Syracuſanorum Regno ſuccederet. Non eadem ratio Diadematis eſt; Hoc enim, ubi quæsò niſi regibus tribuitur? De Diademate, reſpondit DULODORUS, ad Taurionem dictum eſt. Ad Hieronem obſervandum, etiam antequam in Regnum Syracuſanorum ſuccederet, jam Gelæ Tyrannum fuiſſe, adeòque Diadema geſtâſſe: Notandum Victoriam Celete obtinuiſſe, non tantùm ante fratris mortem, ſed etiam poſtquam fratri ſucceſſiſſet, eòdem ſcilicet annô, quô & mortuus eſt, Olympiade videlicet 78. Utrumque demonſtratum dabo. Hoc ex Pindari ſcholiaſte, cùm de ea Victoria, quam Olymp. 73. obtinuerat, locutus eſſet, ſubjicit, συνέζη δὲ αὐτὸν νικήσαντα καὶ τὴν οἰκ. Ὀλυμπιάσι ἐν ταύτῃ τελευτῆσαι. Quibus ex verbis ſimul & inſcriptionem ſupra ex Pauſania allatam intelligere licet, in qua expreſsè dicitur: *Equo κέλητι in Olympiis Hieronem victorem exſtitiſſe.* De Gelæ Tyrannide, non authores tantum, ſed & ipſa Gelenſium Numiſmata teſtantur. Duo videas & apud Goltzium & apud Parutam, in quibus hinc Minotaurus, cum ſubſcr. ΓΕΛΑΣ & inde eques nudus cum ſubſcriptione ΙΕΡΩΝ viſitur, imò etiam eſt cum capite Diademato, qualiter & in propoſito.

De Diademate, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil habeo quod ulterius moneam, ſed de ſtatua Equeſtri Numiſmata Gelenſium me turbant. Ut ipſe fateris equitem nudum ea exhibent; at in propoſito eſt armatus, Regiaque chlamyde inſignis. Quid inde, ſubjecit DULODORUS? Quid? reſpondit ARCHÆOPHILUS, ſi non, Nummum hunc, ſi ad ludos Olympicos referri debeat, etiam figuram nudam exhibere debere, vel ipſius Hieronis, vel ſaltem pueri cujusdam; Id enim de ſtatuis equeſtribus Hieronis in Elide poſitis memorat Pauſanias. Neſcio an ratio me feriat, reſpondit DULODORUS, ab initio enim dixi, non tantùm Victoriam Olympicam, ſed etiam fortitudinem bellicam hîc intelligi debere. De ea certè eſt graviſſimum Pindari teſtimonium, Od. 2. Pyth.

Νεόταται μὲν, ἀ-	*Juventuti tuæ, ô Hiero,*
ρήγει θράσος δεινῶν πολέμων: ὅθεν	*auxiliatur audacia gravium bellorum:*
Φημὶ καὶ σε τὰν ἀπεί-	*cenſeo etiam Te tam immen-* (*unde*
ρονα δόξαν ἐυρεῖν,	*ſam gloriam inveniſſe,*
τὰ μὲν ἐν ἱπποσόαισιν ἀνδρά-	*Cum inter EQVESTRES viros*
σι μαχνάμενον, τὰ δ' ἐν	*pugnantem, tum inter*
πεζομάχαισι.	*Pedeſtres.*

Vides ARCHÆOPHILE, rationem mihi conſtare, nec opus arbitror, ulterius Numiſmati immorari. Vocat nos ejusdem

HIERONIS
ET PIETAS ET CURRULE STUDIUM.

NUmiſma hoc adeò rarum non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nec video, quid cauſæ eſſe poſſit, ut denuò proponatur. Dubium quod de *Bigis* moviſti, cùm tamen & inſcriptio & Pindarus *Quadrigis* Hieronem viciſſe aſſerant, ſolidè mihi videris ſolviſſe, conveniente Monogrammate AP in Numiſmate cum titulo Odarum Pindari, quô Hieronem Ἅρματι *Curru* viciſſe docemur, adeò ut facilè credas, & Pindarum & Inſcriptionem, Poëticâ licentiâ, aliud Currûs genus pro alio poſuiſſe, aut ſi non Victoriam Pythicam, ſaltem Olympicam hîc intelligi debere, cujus ſcholiaſtes Pindari meminit, aſſerens: Secundum quosdam Hieronem Ἅρματι ſive *Curru* viciſſe; Ἅρμα certe Heſychio non tantùm ὄχημα & καροῦχα dicebatur, ſed & δίφρος, quod pro *Bigis* ſumi debere, ipſa vocis etymologia evincit. Vocabulum Ἅρμα, reſpondit DULODORUS, rem non conficit, licet enim negare non auſim, pro quocunque Currûs genere ſumi poſſe, tamen in Olympicis & Pythicis Ludis id locum habere nemo facile dixerit, duo enim his potiſſimùm innotuére genera Ἅρμα & ξυνωρίς. Ἅρμα idem fuit quod τέθριππον *Quadrigæ*, id quod ex Pindaro & Pauſania, collataque cum Pindari ſcholiaſte Inſcriptione indubium eſt: Ξυνωρὶς fuit idem, quod δίφρος ſive Bigæ, quod ad Gemmam demonſtratum dedi, & latius probat doctiſſimus Faber in Agoniſtico Lib. III. p. 606. ſeqq. Hæc cùm ita ſint, intelligis opinor, vocabulum Ἅρμα, quod Odis Pindari impoſitum eſt, ad Bigas in Numiſmate noſtro expreſſas, nihil omninò facere, idque eò certius, quòd Monogrammon AP apud Parutam etiam ſub Equite viſitur, apertô teſtimoniô, nec ipſum de Curru ſumi debere. Sed Princeps argumentum, quod Bigas has nec ad Olympicas, nec ad Pythicas Victorias pertinere perſuadet, eſt, quòd Hieronis tempore Bigæ, ſive ξυνωρὶς, nec in Olympicis, nec in Pythicis fuerint receptæ. Floruit Hiero circa Olymp. 73. Pythicas 26. ad Olymp. 78. Pyth. 30. at ξυνωρὶς, Pauſania teſte, in Olympiam recepta eſt Olymp. 93. in Pythicam autem 48.

Si res ita ſe habet, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi nec ad Olympicas, nec ad Pythicas Victorias hoc Numiſma pertinere poſſit, velim ſcire, quò igitur referas? Jam ab initio dixi, reſpondit DULODORUS, & Pietatem & Currule Hieronis ſtudium hîc adumbrari. Pietatem cernis in capite, ſive Cereris, ſive Proſerpinæ; Hæ enim non tantùm Syracuſis & in univerſa Sicilia, ſed etiam Hieroni ipſi tantâ ſuperſtitione colebantur, ut non dedignatus fuerit ſacrorum earum Antiſtitem ſe ferre. Audi ſcholiaſten Pindari ad Od. VI. Olymp. λέγεται ὁ Ἱέρων τῆς Δήμητρος καὶ τῆς Κόρης Ἱεροφάντης. Quid clarius ad Nummum dici poteſt? Locus apprimè quadrat, inquit ARCHÆOPHILUS, non ad adverſam tantùm ubi Ceres, ſed etiam ad averſam, in qua Virgo Bigas agitat, quam Proſerpinam ritè dixero, jam enim ſubit memoriam Pindarus ipſe, qui dictâ Ode non tantùm Hieronis

ronis Pietatem decantat, ſed & Proſerpinam λεύκιππον vocat, idque ideo, quòd ut ſcholiaſtes ait, poſt raptum, albis equis à matre in cœlum fuit reducta. Verba ſubjicio.

Εἶπον δὲ μεμνᾶσθαι Συρα-	*Jube autem meminiſſe Syra-*
κουσᾶν τε καὶ Ὀρτυγίας,	*cuſarumque & Ortygiæ,*
τὰν Ἱέρων καθαρῷ σκάπτῳ διέπων,	*quam Hiero ſincero ſceptro adminiſtrans,*
ἀρτια μηδόμενος, φοινικόπεζαν	*recta meditans, rubripedem*
ἀμφέπει Δάματρα ΛΕΥ-	*colit CERERE M, albosque haben-*
ΚΙΠΠΟΥ τε θυγατρὸς ἑορτὰν.	*tis equos FILIÆ feſtum.* &c.

Ubi Scholiaſtes: Λευκίππου τὲ θυγατρὸς. ἀπὸ κοινοῦ, τὸ ἀμφέπει, καὶ τῆς λευκοὺς ἵππους ἐχούσης θυγατρὸς αὐτοῦ. λέγει δε τῆς κόρης. Λέυκιππον δε εἶπεν, ἐπειδὴ λέγεται μετὰ τὴν ἁρπαγὴν ἡ κόρη ἣν ὑπέστη ὑπὸ τοῦ Πλούτωνος ἐυρεθεῖσα λοιπὸν ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς Δήμητρος, λευκοπώλῳ ἅρματι, ἀνήχθη εἰς τὸν Ὄλυμπον πρὸς τὸν Δία. Vides DULODORE, me non fruſtrà opinionem hanc fovere, & forſitan eodem retuleris etiam equum marinum, qui retrò Cererem viſitur. Neutrum mihi perſuades, reſpondit DULODORUS; Non primum, cùm Scholiaſtes expreſsè dicat, à Matre reductam fuiſſe, cùm tamen non duæ figuræ appareant, ſed una tantùm, quæ flagello equos laceſſit, eôdem planè modô, quô & in Philippi Numiſmatibus vidimus; Non ſecundum, quòd equus marinus nullô modô, vel Cereri, vel Proſerpinæ dicatus ſit, ſed omninò ad Neptunum referri debeat. Si Dea aliqua in averſa hujus Nummi expreſſa eſſet, quidni videretur Artemis, ſive Diana, quam & Monogr. AP. evinceret? Cùm conſtet, Hieronem in Ortygia Inſula, quæ Dianæ ſacrata fuit, ἱπποτρόφειαν habuiſſe? Id enim claris verbis aſſerit Pindari Scholiaſtes, ad Od. II. Pyth. Cùm conſtet Hieronem Εὐάρματον, *Currûs aptandi peritum*, ipſi Pindaro dictum eſſe:

Εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾧ κρατέων	*Curru vincendi artifex Hiero, in qua*
Τηλαυγέσιν, ἀνέδησιν Ὀρ-	(τετραωρία) *vincens,*
τυγίαν στεφάναις	*eminùs fulgentibus redimivit Or-*
ποταμίας ἕδος Αρτέμιδος.	*tygiam coronis,*
τᾶς ὄυκ ἄτερ, κείνας ἀγαναῖσιν ἐν	*fluvialis ſedem Dianæ,*
χερσὶ ποικιλανίους	*quæ non ſine, illius agilibus in*
ἐδάμασσε πώλους.	*manibus, pictis habenis ornatos*
	domuit pullos.

Adeò ut jam obſcurum non ſit, Monogrammon AP. ad Artemida pertinere, tam in noſtro Nummo ſub Bigis, quàm in Nummo Parutæ ſub Equite.

ARCHÆOPHILUS, locô penitiùs trutinatô, at inquit, hic non *Bigarum* mentio eſt, ſed ut ipſe fateris Τετραορίας *Quadrigarum.* Verum eſt, reſpondit DULODORUS, loquitur enim de Victoria Pythica, quàm omninò Quadrigis obtinuit, id autem non obſtat, ut etiam *Bigis* in Sicilia ſe exercere, imo etiam in ſolennitatibus Victorias iis reportare potuerit; Id enim Numiſmata abundè teſtantur, in quibus & Bigæ & Trigæ, non à fœminis tantùm, ſed etiam à Victoriis agitantur. De Bigis ſanè nec ipſe Pindarus inficiatur, cujus locum eò libentius adſcribo, quò apertius ſimul etiam de Neptuno docet; cui uti jam dudum in vulgus patet, Equus Marinus ſacer eſt. Audiamus Lyrici verba. Ita habent d. Od. II. Pyth.

Ἐπὶ γὰρ ἰοχέαιρα παρ-	*Nam Sagittis gaudens vir-*
θένος περὶ διδύμα,	*go, manu geminâ,*
ὅ, τ' ἐναγώνιος Ἑρμᾶς	*Præſesque certaminum Mercurius,*
Ἀιγλᾶντα τίθησι κόσμον	*ſplendentem imponit ei ornatum,*

ξεστὸν

ξεστὸν ὅταν ΔΙΦΡΟΝ
ἐνθ' ἅρματα πεισιχάλινα καταζευγνύῃ σθένος ἵππειον
ὀρσοτρίαιναν ἐυρυβίαν καλέων θεόν.

Politas quando ad BIGAS,
& ad currus habenis obedientes junxerit robur equinum,
Tridentis impulsorem & latè
potentem invocans Deum.

Vides ARCHÆOPHILE, me non absque authoritate loqui, indeque Numismati me satisfeciſſe confido. Subit

AGATHOCLES,
QVI
TROPÆUM DE POENIS EREXIT.

AGathoclis effigiem, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc in Numiſmate non video. Fortitan ideò fuerit omiſſa, quòd, Æliano in Varia Hiſtoria teſte Lib. XI. c. 4. perquam ridiculo, & turpiſſimo capite fuerit. De Sene hoc notat Ælianus, inquit DULODORUS, id quod ex calvitie planum eſt, quam Myrteâ coronâ texiſſe dicitur. De juvene & ætate virili Juſtinum & Diodorum prætuleris, quorum alteri *formâ & corporis pulchritudine egregius*, Lib. XXII. c. 1. alteri ὥραιος ἐυπρεπὴς, *formâ elegans*, audit: & quid? annon Agathoclis effigies apud Goltzium proſtat? Cur in propoſito eam non videas, alia ratio eſſe poteſt, ut ſcil. Victoriam non ſibi, ſed Proſerpinæ adſcribere videretur, quam in adverſa cernimus. Proſerpinæ? ſubjecit ARCHÆOPHILUS; at ſpica ipſam Cererem, videtur indigitare. Non ipſam Cererem, reſpondit DULODORUS, ſed Cereris Filiam, id enim appoſitum vocabulum κόρας arguit, qualiter Proſerpinam dictam ex Plutarcho, de facie quæ in ore Lunæ apparet, item ex Xenophonte L. VI. Rerum Græcarum conſtat. Proſerpinam certè ſpiceâ coronâ inſignitam, non minus ac Cererem, ex Nummis docemur, & Siciliam ei ſacram fuiſſe, teſtimoniis & Poëtarum & Hiſtoricorum patet, cùm illi pro anacalypteriis hanc Inſulam Proſerpinæ datam cecinerint, hi autem ſolenni quotannis Panegyri à Syracuſanis cultam memorent: Quibus poſitis utique planum eſt; Numiſmati Regis Siculi non aliò fine impreſſam, quàm ut Victoria adverſæ hujus Deæ auxilio adſcriberetur.

Victoriam, inquit ARCHÆOPHILUS, ad eam Te memini retuliſſe, quam in Africa Agathocles obtinuit, paulò ante, quàm cum Ophella Cyreneorum Regulo ſocietatem iniret, idque ideò, quod Agathoclem tunc, profligatis & Carthaginenſibus & Barbaris, Tropæum fixiſſe Diodoro memoretur, id quod in Nummo Victoria facit. Fateor rationem futilem non eſſe, cùm tunc nec nomen Regium adhuc aſſumſiſſet, quod ideò & in Nummo credi poteſt omiſſum eſſe; quanquam res indubia non ſit, conſtat enim etiam alias Victorias, & quidem in Sicilia, cujus ſignum in Nummo habetur, Agathoclem obtinuiſſe. Et quid ſi dicam Victoriam hanc ad eam referendam, quam contra Deinocratem Exſulum Ducem ad Galeriam obtinuit, eò quòd eâ elatus Syracuſasque regreſſus, nobiliſſima

liſſima manubiis fana exornâſſe, eidem Diodoro memoretur? Si templum in Nummo exſtaret, repoſuit DULODORUS, ſubſcriberem: Eô abſente, potiùs aperto hiſtoriæ teſtimonio adhærendum decerno. Trinacriæ ſignum non rem in Sicilia geſtam, ſed Nummum ibidem percuſſum arguit, quò quantâ lætitiæ pompâ Victorias Africanas nunciaverit Agathocles, vel inde conſtat, quòd Diodoro teſte, Bomilcare in Africa devictô, nuncii ad hoc Syracuſas miſſi, *Coronati & Pæana canentes* Urbem advecti memorantur. Sed hæc antequam Regium nomen Agathocles aſſumeret In ſequentibus prodit

AGATHOCLES REX.

UTrinque fulmen in averſa viſitur, ſed illi Diana Servatrix, huic Minerva apponitur. Diana Servatrix, inquit ARCHÆOPHILUS, an Agathoclis? Id inſcriptio videtur arguere, reſpondit DULODORUS, eô modô, quò in Numiſmate infrà adferendo ΣΩΤΕΙΡΑ ΣΥΡΑΚΩΣΙΩΝ dicitur.

At niſi fallor, regeſſit ARCHÆOPHILUS, olim non hoc ſtatuebas, ſed Dianam, providente Agathocle, Syracuſanos ſervaturam? idque ideò, me quidem judice, non abs ratione, quòd Dianam Lyen in Sicilia cultam, idoneô Authorum teſtimoniô conſtet, inde nomine ei impoſitô, quòd gravi morbô Siciliam aliquando ſolviſſet. Ad Numiſma Syracoſιων, reſpondit DULODORUS, ratio indubia eſt, ad Agathoclis autem, ad Regem reſtringi debet; cùm enim ſæpiſſimè is de fortunis ſuis periclitatus fuerit, quidni hoc Numiſmate ritè Dianæ credatur pro Salute, vel gratias fuiſſe teſtatus, vel etiam vota concepiſſe? Quidni & Minervæ? fulmen ſanè non tantùm Providentiæ, ſed & Regiæ potentiæ ſymbolum eſt, quam poſt exantlatos tot fortunæ iniquioris impetus Agathocles, etiam nonagenariô major, ſibi viſus eſt aſſeruiſſe. Sed Deos ſcelerum ultrices quis effugiat? Cùm ſacrilegio ſe pollueret, irâ Vulcani memoratur confectus. Vixit ſub eo

DEINOCRATES
DUX ET EXULUM ET AGATHOCLIS.

QVî Deinocrati vindicare poſſis hoc Numiſma, non aſſequor, inquit ARCHÆOPHILUS; video quidem inſcriptionem DEINO, ſed eam ſi

non potiore, tamen eâdem ratione etiam de Deinomene, de Deinosthene, de Deinolocho interpretari possem. Deinolochum ex Elide oriundum, per quietem sibi visa est Mater, coronatum in complexum suum recepisse, eoque somnio monitus puer, strenuè se ad certamina exercuit, & cum pueros cursu antevertisset, ei statuam fecit Cleon Sicyonius. Pausanias rei author est El. post. Idem etiam de Deinosthene memorat, Lacedæmonium fuisse, & è stadio viris devictis Olympiam palmam tulisse, Pilamque sibi simul cum statua in Alti posuisse. Quid dicam de Deinomene? quo nomine Hieronis primi & Pater fuit & Filius? De Patre videri potest Herodotus Lib. VII. Diodorus Siculus Lib. XXV. & Plutarchus. De Filio non tantùm Pausanias, ubi Patris Hieronis statuas posuisse memoratur, sed etiam Pindarus Pyth. I.

Μοῖσα καὶ παὰ Δεινομένει κελαδῆσαι	*O Musa! etiam apud Deinomenem ad canendum*
πείθεό μοι ποιναὶν τεθρίππων.	*obsequere mihi præmium quadrigarum.*
χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νι-	*Gaudium enim non alienum vi-*
καφορία πατέρος	*ctoria Patris.*

Ex his utique constat, non majorem militare rationem pro Deinocrate, quam militat vel pro Deinomene, vel pro Deinosthene, vel pro Deinolocho: Imò in his potior adhuc videtur, cùm de Victoriis eorum adducti authores testentur; Quis autem de Victoriis Deinocratis, vel fando aliquid inaudiit? Equidem apud Pausaniam in Messenicis de Deinocrate, sed Messeniorum Duce, legitur, cum Lycortam Achæorum ducem prosperâ pugnâ fugâsse, Philopœmenemque vivum cepisse; sed quid hic ad eum, qui sub Agathocle Exulum Dux fuit? Quid ad Ducem Exulum Victoria, cum cladibus quàm Victoriis insignior fuerit?

Finem fecerat ARCHÆOPHILUS; at DULODORUS, si nuda Victoria spectanda esset, inquit, fortasse me in sententiam Tuam traheres. Sed facilè me probaturum confido, nec Olympicam hìc locum habere, nec etiam Messeniorum Ducis. Ludicras Victorias in Numismatibus Græcorum non nudo schemate Victoriæ, sed statuarum præcipuè adumbrari solere, indubium arbitror, & ne in proposito talem intelligas, Minerva videtur obstare, Numen bellicum, cujus uti in Sicilia præcipuus cultus fuit, uti ad Nummos Syracusanorum videbimus: Ita præceps inde conjectura est, Victoriam hanc non alii, quàm Duci Siculo tribuendam esse: Firmatur opinio Numismate Dionysii apud Goltzium & Parutam; Eadem enim in eo Pallas, idem in aversa est Victoriæ gradientis schema, idemque ante Victoriam fructus: In tantùm, ut nisi inscriptio diversitatem induceret, à proposito diversum non censeres. Quid? an inde non firmiter concludam, etiam Numisma propositum Siculo cuidam tribui debere?

Si hoc concedam, subjecit ARCHÆOPHILUS; Quid inde pro Deinocrate certitudinis? Nonne potiùs ad Deinomenem Numisma pertinebit, Hieronis sive Patrem, sive Filium? Ad neutrum Ego retulero, respondit DULODORUS; Pater enim, licet tribus Historicis memoretur, ultrà nomen tamen, famæ non innotuit: Et Filius, licet ei Pindarus Victorias Patri æquales voveat, licet etiam Patris donaria in Olympicis dedicaverit, tamen nec ipse ultrà Catanæ præfecturam processit; Et si his Numisma addiceretur, vix dari posset ratio, cur Dionysius id æmulandum judicaverit. Secus in Deinocrate; Licet enim hic aliquoties victus fuerit, tamen & Victoriæ Numismati imprimendæ causam habuit: Semel cùm ejectis Agathoclis militibus Galeriam occuparet: & iterum, quando novum se Exsulantium ductorem ferens, Agathoclem retrò cedentem pressit; Ita enim de eo Diodorus: Τοῦ δ' Ἀγαθοκλέους λειπομένου πολὺ ταῖς Δυνάμεσι, καὶ Φυγομαχοῦντος, ἐκ ποδὸς ἠκολούθει συνέχων ἀκοντὶ καὶ περιπεποιημένος τὴν νίκην.

Dum

Dum Agathocles viribus longè inferior, pugnandi copiam non facit, ille vestigiis inhærens, crebrò Victoriam sine pulvere (quod dicitur) reportat. Ex his utique patet Victoriæ ratio. Quod autem eodem modò eam expresserit, quò & Dionysius, citatis in Numismatibus, amor Tyrannidis effecit. Amor Tyrannidis? iterat ARCHÆOPHILUS. Cùm Exulum contra Tyrannum Dux fuerit? Ita est, respondit DULODORUS, nec id efficaciùs probavero, quàm perfidiâ, quâ pace cum Agathocle factâ, Pasiphilum & socios prodidit, ipsumque Agathoclem Tyrannidem depositurum inhibuit. En verba Diodori Lib. ΧΧ. Ὁ Δεινοκράτης προδοὺς τοὺς συμμάχους, τὸν μὲν πασίφιλον ἐν τῇ γέλᾳ συναρπάσας ἀπέκτεινε. τὰ δὲ Φρούρια, καὶ τὰς πόλεις ἐνεχείρισεν Ἀγαθοκλεῖ, διετῆ χρόνον ἀναλώσας εἰς τὴν τῶν πολεμίων παράθεσιν. *Proditis Sociis Deinocrates, Pasiphilum Gelæ correptum interemit, Castellaque & Urbes Agathocli tradidit, biennio in subjugandis ditioni ejus hostibus consumto.* Et paulò ante eodem libro: Ἀγαθοκλῆς τηλικαύτην ἀρχὴν ἔκδοτον πεποίηται ταῖς ὁμολογίαις. τάυτας δ' ἀσυντελέστους συνέβη γενέσθαι, τῇ μὲν Ἀγαθοκλέους προαιρέσει κυρωθείσας, διὰ δὲ τὴν Δεινοκράτους πλεονεξίαν μὴ προσδεχθείσας. ὗτος γὰρ μοναρχίας ὢν ἐπιθυμητὴς. *Agathocles tantùm imperium conditiunculis deditium fecit, quas tamen effectus non comprobavit. Nam licet Agathoclis voluntate essent ratæ, Dinocratis tamen ambitio, illas non admisit, Monarchiæ enim inhiabat.* Sed

HIERONYMUS
ULTIMUS SICILIÆ REX



Se nobis sistit. Effigies juventutem prodit, cùm Livio teste, *quindecim annorum* fuerit, cùm Regni habenas capesseret: Diadema spiritus arguit, quibus inflatus, primò statim conspectu ab Avi moderatione descivit. *Qui per tot annos*, inquit idem author de Syracusanis, *Hieronem, filiumque ejus Gelonem, nec vestis habitu nec aliò ullò insigni differentes à cæteris Civibus vidissent, conspexêre Purpuram, ac DIADEMA, ac Satellites armatos.* Sed brevis fuit Potentiæ ostentatio: Idem hoc capitis insigne, quod cernis, modicò interjectò tempore, cædis indicium fuit. Tyrannorum hæc merces est, reposuit ARCHÆOPHILUS. De Hieronymo tanta crudelitatis documenta ab Authoribus memorantur, ut mirum sit, puerum tàm teneræ ætatis, & tam modicò tempore, Regnò potitum, ea patrare potuisse. Non Hieronymi hoc vitium fuit, inquit DULODORUS, sed vel eorum, qui ætate ejus abusi sunt, vel etiam Scriptorum, qui odii sui germina nimis largè disseminârunt. Historia de hoc, pleraque Romanorum fœtus fuit, & hi quid laudarent in eo, qui relictis Romanorum partibus Carthaginensium fœdus amplexus est? Aliter multò Polybius. Hieronymum contra Scriptorum iniquitatem graphicè defendit, tandemque & non eximiò ejus elogiò, τοῖς Φιληκόοις, inquit, ἡδίων ὗτος, καὶ τοῖς Φιλομαθέσι τῷ παντὶ χρησιμώτερος. *Audiendi cupidis suavior hic, & omni cupido discendi utilior.*

Si ita ſe res habet, inquit ARCHÆOPHILUS, in fulmine Providentiæ ſymbolo acquieverim, licet ante, præſertim ob adjectas literas ΞΑ. ad Jovem reſpexerim, quaſi Jovem Axurem hôc Nummô Hieronymus ſe tulerit. Fortaſſe, reſpondit DULODORUS, quanquam etiam literas has Numerales diceres de anno 61. interpretatus, tot enim fermè elapſi ſunt ab Regiis Hieronis, poſt Pyrrhi diſceſſum, initiis. Literarum ordo obſtat, excepit ARCHÆOPHILUS, ſolent enim literæ Numerales ordine inverſo poni, idque more Phœnicum, uti Jac. de Wilde teſtatur. Id perpetuum non fuit, reſpondit DULODORUS. Exemplum in contrarium habes in Nummo Antiochi M. apud Cl. Vaillant, ubi PIZ. non ZIP. pro 117. legitur. De fulmine, perrexit ARCHÆOPHILUS, adhuc origo materna Hieronymi mihi in mentem venit. Nereide Filiâ Pyrrhi natum, Polybius author eſt: Et Epiri, cujus Rex Pyrrhus fuit, fulmen ſymbolum eſſe, ex Numismatibus conſtat. Ad Jovem Dodonæum id pertinet, repoſuit DULODORUS. In Rege Siciliæ Jovis Olympici ratio propior foret, cùm hunc Syracuſis cultum, ex Livio & Cicerone doceamur. Et poteris ſimul ad vires Hieronymi, ſuſceptamque contra Romanos expeditionem reſpicere. Sed aliò properamus. In vicinas Siciliæ Inſulas navigantibus occurrit

PHILISTIS REGINA
An COSSURENSIUM, An MELITENSIUM?
Eiusque
ob Victoriam Triumphus.



NUmiſma Philiſtidis obſcuritate ſuâ raritatem ſuperat. Nemo hactenus fuit, qui Regnum ejus indicare potuerit, nemo quì ætatem, nemo qui Triumphum. Si Numiſmata deeſſent, vix eam noſceremus; Quinque protulit Paruta, minutis tantùm ſignis diſtincta; In primò retrò caput poculùm viſitur, in ſecundo Stella, in tertio Crux, in quarto Ceres cum Cornucopiæ & ſpicis, in quinto nihil. Ab omnibus abit propoſitum; Nudum enim à capite Cornucopiæ viſitur, in reliquis omnia inter ſe ſimilia ſunt; Caput Reginæ exhibent, fronte ſub velo Diadematâ, decentique comarum mundô decoratâ. Quadrigas Triumphales jactat, aurigante Victoriâ: Et ne neſcius eſſes, cujus vel effigies ſit, vel adumbretur Triumphus, addita eſt inſcriptio ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ. Hæc equidem cuilibet patent, excepit ARCHÆOPHILUS, nec arbitror operæ pretium, ut pluribus recenſeantur, potiùs miror, quomodo Reginam Coſſuræ aut Melitis hanc conjicias, cùm tamen, Te ipſo agnoſcente, Suidas, qui Numiſma Φιλιστίδιον dictum aſſerit, vel Siciliæ, vel Magnæ Græciæ Reginam faciat, nec abs ratione; Si enim, quod ſentio fateri debeam, & Cornucopiæ in hoc, & Ceres cum poculo, non Coſſuram, quæ ſterilis fuit, ſed omninò Regionem fertilem videntur indigi-

indigitare; Et quid? an Coſſura, quæ vix 30. millia paſſuum patebat, Triumphum tulerit, Regiôque ſe faſtigiô jactaverit? Meminiſſe Te velim, reſpondit DULODORUS, non ſolîus Coſſuræ Reginam me conjicere, ſed etiam Melites, de qua Venuſinus:

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ.

Fertilitatem certe non tantùm in his Philiſtidis, ſed etiam in Numiſmate Goltzii evincit Ceres, eodemque pertinet & ſpica apud Cl. Sponium Recherche d'Antiquitè p. 425. Ita nihil impedit Coſſuræ ſterilitas, ut Philiſtis ejusdem non minus ac Melites Regina credatur. Nihil impedit, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed etiam nihil ſuadet. Imò, reſpondit DULODORUS ſuadet caput Reginæ, ſimili omninò more velatum, tam in Coſſuræ, quàm in Melitenſium Nummis; Ectypa utriusque in Inſulas producere par eſſet, ſed cùm propoſito ſerviant, quid eſt, quò minus hîc exhibeamus?



Mirum! inquit ARCHÆOPHILUS, Lauream & Victoriam in Nummo Coſſuræ conſpici, cùm tamen parvitas tanta decora vix videatur admittere. Si nomen à Punico deducas, Bochardo teſte, *brevitatem* invenies: Si ab Hebræo, *inopiam*. Utrumque concurrit. Et brevis fuit, quia parva: & inops, quia ſterilis. De ſterilitate jam ſupra vidimus; de brevitate teſtatur Strabo: *Stadiis quadringentis*, inquit, *à Taphitide eſt Coſſura Inſula, contra Selinuntem Siciliæ fluvium poſita, ambitum habens 150. ſtadiorum, & Urbem eodem nomine*; Hæc cum ita ſint, quid Victoria fœminam coronans? quid Laurea Victoriæ præmium? Nihil in hiſtoria occurrit, quod lucem affundat. Triumphatam potius legas apud Gruterum pag. 297. De parvitate, inquit DULODORUS, nihil habeo, quod reponam: Potiùs firmatur ea & Polybii authoritate, qui oppidum πολισμάτιον vocat; Attamen ex eo, quòd digna habita eſt hæc Inſula, quæ Triumpharetur, haud forſitan abſurdè vires ejus æſtimes, priſcamque Victoriarum gloriam, quæ Nummô celebratur, ei vindices. Sed id nunc non agimus, ideò Nummos citavi, ut videas, Reginas heic imperitâſſe, Victoriarumque gloriâ ſe extuliſſe: ut videas Regium ornatum, Diadema ſub velo; adeòque mecum ex hâc convenientiâ conjicias, & Philiſtida harum Inſularum dominam fuiſſe.

Quod ad Melitenſium Numiſma attinet, excepit ARCHÆOPHILUS, dubitem an Regina eô exhibeatur; CL. CHAILLOV Recher. curieuſ. de Spon. eam *Junonem* arbitratur, quam velatam etiam in Romanorum Numiſmatibus cernimus. In Melite cultam eſſe, præter Valer. Max. Lib. I. c. 1. Exemplô ſecundô externorum, luculentus teſtis eſt Cicero Verrina IV. tantam templi ſanctitatem teſtatus, ut non modò Punicis bellis, ſed etiam in prædonum multitudine, inviolatum manſerit. Etiam hoc Tibi cedere poſſum, reſpondit DULODORUS, dummodò rurſus fatearis, faſtum Regium apud Antiquos tantùm fuiſſe, ut non contenti humanô cultu, etiam Deorum habitu divinitatem affectaverint: Adeòque nihil omninò mirum eſt, ſi idem fecerint & Reginæ Melites

lites & Coſſuræ, Junonem æmulando, tutelarem Inſularum Deam: Nihil mirum, ſi Phuliſtida eôdem habitu, eâdemque gloriâ inſignem eôdem referam. Apprimè ſanè quadrat, quod Cicero in templo Junonis inter alia & *Eburneas Victorias* memoret, antiquo opere & ſumma arte perfectas. Victoriam enim in Philiſtidis nummo quadrigas agitantem, in Coſſuræ autem ipſi Reginæ Lauream imponentem cernimus. Apprimè quadrant veſtes Melitenſes, quas Cicero Verri non ſemel objicit. Summa enim tenuitate texebantur, adeòque dubitari non debet, quin & velamenta Reginarum ex iis conſtiterint; Sed hæc conjecturâſſe ſufficiat. Si quis firmius quid attulerit, me non cunctanter aſſenſurum, publicè profiteor. In Africa pedem figimus. Occurrit

JUBA
REX MAURITANIÆ,
Divinis honoribus cultus.

NUmiſma hoc rarum non eſt, meretur tamen & noſtram operam, non tantùm quòd hactenus non ſatis explicatum, ſed etiam, & quidem præcipuè, quòd mutilum prodiit. Mutilum? inquit ARCHÆOPHILUS, & quâ in re? In inſcriptione, reſpondit DULODORUS, non quidem Latina, ſed Punica; Hanc enim poſt plures alios ſolertiſſimus Antiquitatum indagator Sponius, tantùm ab uno templi latere exhibuit, in propoſito autem ab utroque viſitur. Damnum pœnitendum non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cùm ne ſic quidem Numiſmati lux affulgeat; Quis enim inſcriptionis ſenſum aſſequatur? Quod linguæ damnum prohibet, reſpondit DULODORUS, id forſitan conjecturis aſſequemur. Si ad comam reſpicias, calamiſtro quaſi adornatas, en communem Maurorum morem, apud Strabonem Lib. XVII. Καλλωπίζονται δ' ὅμως κόμης ἐμπλοκῇ καὶ πώγωνι, καὶ χρυσοφορίᾳ. *Ornantur omnes comarum cincinnis, & barbâ, & auro.* Si omnes Mauri, quidni & Maurorum Rex? De barba Jubæ etiam Juvenis teſtatur Suetonius. *Maſinthan*, inquit, *nobilem Juvenem Cæſar adverſus Hiempſalem Regem tam enixè defendit, ut JUBÆ Regis Filio in altercatione BARBAM invaſerit.*

Et Barbam & Comas jam alii dixére, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & Sponius etiam notat in facie mentum prominulum, crudelitatis apud Phyſiognomos indicium, & Sceptrum Regiæ Majeſtatis inſigne; De ſolo Templo ſcire cuperem, an id ædificaverit Juba? & cui Deo id ædificaverit? Neutrum ego aſſerere auſim, reſpondit DULODORUS. Quis enim rei author, & undè rem probavero? potius cùm Divinis honoribus Jubam à Mauritanis affectum ex Athenagora Salmaſius obſervet, ipſi Jubæ hoc templum conjecerim eſſe dicatum. Sequitur

JUBA

JUBA JUNIOR.

PLura, inquit ARCHÆOPHILUS, Jubæ Junioris hactenus prodiére Numismata, sed propositum me vidisse non memini. Caput licet Leonis exuviis ornatum, mirâ tamen faciei amabilitate radiat. Ad faciem, respondit DULODORUS, Plutarchus in mentem venit, cui in Antonio βασιλέων χαριέστατος, *Regum gratiosissimus* vocatur. Ad Leonis exuvias recordaberis Leones, quorum in Mauritania celebris copia: Recordaberis morem, quô Leonum pellibus Mauri amiciebantur, iisque indormiebant: imò & Regibus usitatum, quô Herculem secuti Leonum pellibus pro Galeis utebantur; Herculis certè in Mauritania cultum, non tantùm fabula de Atlante, non tantùm Herculis Columnæ, sed & ara demonstrat, cujus Strabo mentionem habet.

Quid autem Cornucopiæ? quid Tridens? inquit ARCHÆOPHILUS. An & Neptunus in Mauritania cultus est? Si arbitreris, inquit DULODORUS, non refragabor, quanquam potius Mauritaniæ & situs, & felicitas his symbolis expressa videatur. Nosti ARCHÆOPHILE, utrôque Mari, & Atlantico & Mediterraneo, eam allui, & de felicitate Regionis, idem Strabo nos docet, cujus en Tibi verba: Τὴν Μαυρουσίαν εὐδαίμονα εἶναι χῶραν, παρὰ πάντων ὁμολογεῖται. Et iterum: Καὶ ταῦτα δὲ λέγουσι περὶ τῆς χώρας, ὅτι ἄμπελος φύεται δυσὶν ἀνδράσι τὸ πάχος δυσπερίληπτος βότρυν πηχυαῖον πῶς ἀποδιδοῦσα. *Mauritaniam feracem esse, omnes tradidere.* Et iterum: *Tum in eâ Regione VITEM ajunt nasci, cujus caudicem vix duo homines complecti queant, RACEMUM esse cubitalem.* Hunc Strabonis locum eò justiùs ad Nummum attuli, quô apertiùs in eo, si non vites, tamen Racemi aut Uvæ visuntur. Uvas video, sed non solas, inquit ARCHÆOPHILUS, alia adhuc sunt, globulorum figurâ conspicua: An Poma Aurea, ex Hesperidum hortis, de quibus fabula? Fortassis, subjecit DULODORUS, & quid si commentum de Pomis Aureis non omninò falsum fuerit? Aurea Poma quænam intelligas, si non Citria? At Plinius, *Mauri*, inquit, *Atlanti confines arborem Citri ferunt:* Et Martialis, mensam ex ejus ligno, *Mauræ Sylvæ Filiam*, & alibi, *Atlantica munera* vocat: Quæ loca ex Strabone lucem mutuantur, cui Mauritania non tantùm, μεγαλόδενδρος καὶ πολύδενδρος ὑπερβαλλόντως καὶ πάμφορος audit, sed etiam μονοξύλους τραπέζας ποικιλοτάτας, καὶ μεγίστας τοῖς Ρωμαίοις χορηγεῖ. *Mensas ex uno eodemqae ligno varias & maximas Romanis suppeditat.*

Cornucopiæ, infit ARCHÆOPHILUS, Herculem authorem habet, Herculem celebrant & Poma, quidni igitur, cum Hercules etiam Leonis pelle ornatus incesserit, quidni inquam ejusdem hôc Numismate & honores videatur affectâsse Juba? Res à vetania Regum, respondit DULODORUS, aliena non est, mihi tamen aliud suadet & Jubæ Eruditio, & Vinculum, quô Cornucopiæ Tridenti connectitur. Hoc ad oculum patet, remque apertè & ad fertilitatem Terræ, & ad commoditatem Maris deducit. Si Eruditionem spectes, ea tanta fuit, ut & Plinius Jubam, *studiorum claritate memorabiliorum* asserat,

quàm

quàm Regno. Fortunæ iniquitas mores emolliverat: Studia illuſtraverat intellectum; Indeque neſcio, an de Rege tam gratioſo, faſtum dicam an inſaniam? tantam præſumere poſſim? Potiore jure, quem non pœnituit de Libya ſcribere, ejus Regionis gloriam videbitur Numiſmate conſecrâſſe, quam Eruditionis, ſtudiique in Romanos præmium habuit. Ab Auguſto reſtitutus eſt, ab eaque reſtitutione annus Regni XXXVI. intelligendus, quem in averſa expreſſum cernimus. Ita Harduinus, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem fidem mereatur, haud abs re fortaſsè dubitares. Dubitarem? inquit DULODORUS, cùm tamen in ejusdem Jubæ Nummis aliis, numeri XXXX. XXXXII. & XXXXV. occurrant, idque ut & in propoſito, præmiſſa cum litera R? Cùm & in eorum, quos Levinus Torrentius ad Suetonium protulit, unus non R. tantùm, ſed & A. cum adjecto numero X. exhibeat? apertô teſtimoniô, *Regni Anno decimo* percuſſum eſſe. Subſcriberem placito, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ſi ubique numerus adjectus eſſet; Cùm autem easdem literas R. A. absque numeris capiti Equi inſcriptas, in Nummo Ptolemæi, Jubæ Filii, apud Cl. Sponium videam, in Miſcell. p. 146. Cùm inſuper litera R. non ſemper numero juncta ſit, & numerus non tantùm in Jubæ, ſed etiam in Coloniarum Juliæ Cartennæ & Juliæ Babbæ Nummis occurrat, neſcio an tutò Harduini ſententiam amplecti poſſimus. Ætas ſanè eam apertè explodit. Videſne effigiem hanc, ut juvenilis adhuc, & ſuculento ætatis flore eſt conſpicua? Atqui ſi numeri averſæ annum Regni 36. deſignarent, minimùm tunc ſexaginta annorum Juba fuiſſet; Anno enim V.C. 708. in Triumpho ductus, & anno V.C. 729. reſtitutus eſt, adeòque annos viginti & unum Regno caruit, quibus ſi addas annos infantiæ, quos ante Triumphum habuit, & annos Regni in Numiſmate expreſſos, haud minus ſexaginta exſurgent, quam ætatem effigies hæc neutiquam præfert. Effigiem, inquit DULODORUS, ſi probè conſideres, adeò juvenilem non deprehendes; tenui & longiore filo dependet, & circa oculos non obſcura ſunt provectioris ætatis indicia; Malæ equidem in rugas non concidére, ſed quis neſcit, eas in quibusdam ad ſenectutem usque ſucculentas perſtare. Quis neſcit, etiam Artifices plerumque in id incumbere, ut Regibus, etiam provectioribus, adulatorio cælo quendam vegetæ adhuc ætatis florem affingant? Nummus Ptolemæi quid in contrarium faciat, non video: Vel enim numerus vetuſtate detritus fuit, vel etiam literæ R.A. aliter erunt explicandæ, & quidni de *Reſtitutore Africæ*, quam caput Equi deſignare poterit? Quod de litera R. in quibusdam Nummis omiſſa, quod de numero etiam in Coloniarum Juliæ Cartennæ, & Juliæ Babbæ Numiſmatibus expreſſo moves, id leve eſt; Si enim ſignificatio numerorum in quibusdam edocta jam erat, non opus utique fuit, eam denuò, & in omnibus adjicere: & de Coloniis quid mirum, ſi annos Regni expreſſerint Regis ejus, ſub cujus Sceptro feliciter agebant? Exemplum Cæſareæ utique rem in aprico ponit; Hæc cùm antea *Jol* dicta eſſet, à Juba autem *Cæſareæ* nomen accepiſſet, Numiſma ſignavit, in cujus adversâ REX JUBA, & in averſa CÆSAREA. R. XXXII. legitur, apertô teſtimoniô, etiam Urbes annos Regni Regis ſui ſignâſſe. Sed age! Si Harduini ſententia Tibi diſplicet, ſubſtitue aliam firmiore baſi ſubnixam!

Davus ſum, inquit ARCHÆOPHILUS, non Oedipus; Tuô ſuffragiô acquieſco, gratias agens, quod dubia mihi eximere dignatus ſis. Ad alia igitur pergo, ſubjecit DULODORUS. In Europam regreſſum jamdudum exſpectat

COM-

COMMIUS ATREBAS ACERRIMUS LIBERTATIS GERMANICÆ CONTRA ROMANOS VINDEX.

DE Commio non alios teſtes adducere neceſſe eſt, quàm Julium Cæſarem & Hirtum de bello Gallico, quorum loca, licet plura ſint, tamen quòd ad propoſiti notitiam pertineant, non gravaberis, ARCHÆOPHILE, me referente, patienter excipere: Libro IV. c. 21. ait Cæſar, *Legatos Britannorum ſe remiſiſſe, & cum his unà COMIUM, quem ipſe Atrebatibus ſuperatis, Regem ibi conſtituiſſet, cujuſque & Virtutem & Conſilium probaſſet, & quem ſibi fidelem eſſet arbitratus, cujuſque Authoritas in his Regionibus magna fuiſſet. Huic imperâſſe, quas poſſet, adiret Civitates, hortareturque, ut Populi Romani fidem ſequerentur, ſeque celeriter eò venturum nunciaret.* Librô eôdem cap. 27. memorat: *Britannos COMIUM è navi egreſſum, quum ad eos Imperatoris mandata perferret, comprehendiſſe, atque in vincula conjeciſſe, prælio autem paulò poſt fuſos, eum remiſiſſe, reique culpam in multitudinem contuliſſe.* Lib. V. c. 22. *Caſſivellaunum Legatos per Atrebatem COMIUM de deditione ad Cæſarem miſiſſe.* Lib. VI. c. 6. *COMIUM Atrebatem cum Equitatu cuſtodiæ loco in Meſſapiis reliquiſſe, ſe autem in Treviros profectum eſſe.* Hactenus COMIUS Cæſari amicus erat, at in ſequentibus ab eo defecit. Libro VII. cap. 76. refertur: *Operâ COMII ſuperioribus annis fideli & utili uſum in Britannia Cæſarem, pro iisque meritis Civitatem ejus immunitate donâſſe, jura legesque reddidiſſe, atque ipſi Morinos attribuiſſe, tantam tamen univerſæ Galliæ conſenſionem fuiſſe libertatis vindicandæ, & priſtinæ belli laudis recuperandæ, ut neque beneficiis, neque amicitiæ memoria moti fuerint, omnesque & animo & opibus in bellum id incubuiſſe. Coactis Equitum IIX. millibus, & peditum circiter CCXL. Præfectos conſtitutos: COMIO Atrebati, Viridomaro, & Eporedorigi Æduis, Vergaſillauno Arverno Conſobrino Vercingetorigis ſummam Imperii delatam.* Libro VIII. cap. 7. Hirtius Author eſt: *Bellovacos Ducibus Correo Bellovaco, & COMIO Atrebate, exercitum comparâſſe, multitudinem Correo maximè obtemperâſſe, COMIUM ex caſtris diſceſſiſſe, ad auxilia GERMANORUM adducenda, quorum & vicinitas propinqua, & multitudo eſſet infinita.* Eôdem librô cap. 10. *COMIUM cum Equitibus Germanorum veniſſe, qui etſi numero non amplius fuerint quingentis, tamen GERMANORUM adventu Barbaros inflatos eſſe.* Eodem libro cap. 12. *Cùm Bellovacenſes ad Cæſarem Legatos mittere vellent, COMIUM Atrebatem ad eos profugiſſe GERMANOS, à quibus ad id bellum auxilia mutuatus fuiſſet.* Capite 23. *T. Labienum, cum COMIUM comperiſſet ſollicitare civitates & conjurationem con-*

ora Cæsarem facere, infidelitatem ejus sine ulla perfidia judicasse comprimi posse; C. igitur Volusenum Quadratum misisse, qui eum per simulationem colloquii cura-ret interficiendum. Rem Centurioni commissam, qui licet primo ictu, gladio caput ejus graviter percussisset, à COMII familiaribus tamen prohibitus eum conficere non potuerit. Gladios quidem utrinque districtos, sed non tam pugnandi, quàm diffugiendi fuisse utrorumque consilium. Romanorum, quòd mortifero vulnere COMIUM crederent affectum; Gallorum, quòd insidiis cognitis plura quàm viderent, extimescerent. Eoque facto statuisse COMIUM nunquam in conspectum cujusquam Romanorum venire. Capite 47. narrat: *COMIUM Atrebatem, post illam vulnerationem semper ad omnes motus paratum suis Civibus fuisse, & ne consilia belli quærentibus, author armorum Duxque deesset, parente Romanis Civitate, cum suis Equitibus se suosque latrociniis aluisse, infestuque itineribus commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercepisse. Missum ergo ab Antonio ad eum persequendum C. Volusenum Quadratum, qui & Virtute & odio COMII inflammatus, dispositis insidiis, sæpè ejus Equites aggressus, secunda prælia fecisset, novissimè cùm vehementiùs contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi COMII cupiditate, pertinacius eum cum paucis insecutus esset, ille autem fugâ vehementi Volusenum longius produxisset, repente omnium suorum invocasse fidem, atque auxilium, ne sua vulnera, perfidiâ interposita, paterentur inulta, conversoque equo se à cæteris incautiùs permisisse in Præfectum: Fecisse idem omnes ejus Equites, paucosque Romanos convertisse, atque insecutos esse. COMIUM incensum calcaribus Equum junxisse Equo Quadrati, lanceâque infestâ medium femur ejus magnis viribus trajecisse. Præfecto vulnerato, Romanos restitisse & conversos hostem pepulisse, multis vel vulneratis, vel in fuga prostritis, vel interceptis. COMIUM Celeritate Equi malum evitasse, & paulò post sive expiato sub dolore, sive magnâ parte suorum amissâ, legatos ad Antonium misisse, seque ibi futurum, ubi præscripsisset, & ea facturum, quæ imperasset, obsidibus datis firmasse: unum illud orâsse, ut timori suo concederetur, ne in conspectum veniret cujusquam Romani. Antonium quod postulationem ab justo nasci timore judicaret, veniam petenti dedisse, obsidesque accepisse.* Hæc, amicissime ARCHÆOPHILE, ea sunt, quæ partim Cæsar, partim Hirtius de Commio nostro memorant. Si Numisma conferas, utique non dubitabis, vel de fortitudine, vel de Libertatis studio. Vides Commii nomen. Vides Equum libertatis symbolum, nullo sessore gravatum, sed liberrimo saltu ferocientem, & eâ generositate insignem, ut quoscunque pro libertate labores martios videatur toleraturus.

Desierat DULODORUS; At ARCHÆOPHILUS, rem, inquit, nondum arbitror confectam. Quis enim dijudicet, an Comius Atrebas idem fuerit cum eo, quem in Numismate cernimus? In Cæsare sanè Comius legitur, in Nummo autem Commios, mediâ literâ duplicatâ; Et quid sibi vult appositum Capiti vocabulum GARMAN.? an Germanum sub eo intelligas? atqui Comius apud Cæsarem talis non fuit, sed Atrebas ubique dicitur? Atrebates autem Galliæ Belgicæ populus fuerunt. Facile respondetur, inquit DULODORUS. De geminata litera dubium eximit Dio Cassius, qui non *Comium* sed *Commium* vocat, planè qualiter in Nummo. Vocabulum GARMAN. vel de loco signati Numismatis potest explicari, vel de Gentilitate. Si de loco, forsitan intelligitur *Germanorum oppidum*, quod postea à Goare Presbytero *S. Goaris oppidum* dictum est, de quo videri potest Hadrianus Valesius in notitia Galliæ: Si de Gentilitate intelligas, Commium nostrum non tantùm natione Germanum fuisse, sed etiam, Germanorum & Ductorem & Amicum. Illud ex

Cæsare

Cæsare colligas de Bello Gallico L. II. c. 4. Ubi Remi asserunt, *plerosque Belgas à Germanis esse ortos:* Imò & ex Tacito de situ & moribus German. ubi eos, *qui primi Rhenum transgressi Gallos exjecere*, GERMANOS *vocatos asserit, idque Nationis nomen, non Gentis, paulatim invaluisse.* De amicitia cum Germanis, constat ex locis suprà allatis, quorum vi non tantùm auxilia à Germanis petiit & obtinuit, sed etiam Bellovacensibus de Pace cum Cæsare agentibus, ad Germanos profugit. An qui Atrebas dictus est, quòd Rex Atrebatibus datus esset, non eòdem jure etiam se *Germanum* aut *Germanorum ductorem* appellaret, postquam ad Germanos profugit, eorumque auxiliis ad tuendam aut restituendam libertatem usus est? Eum certe in finem videri potest id fecisse, ut eò lubentiùs socia arma Germani conferrent, seque ductorem reciperent, cùm agnoscerent, non pro exteris, sed pro suis cognatis se dimicaturos.

Egregiè, regessit ARCHÆOPHILUS, asserto tuo patrocinaris. Si GERMAN in Nummo legeretur, nihil haberem, quod in contrarium moverem; at vocabulum GARMAN, nec cum usu Romano, nec cum vocis Etymo videtur convenire. De usu Romano, respondit DULODORUS, sollicitus non sum, uti nec de Etymologia ex Romano idiomate depromtâ. Scio Strabonem eam somniare, qui cum Lib. VII. pr. Germanos moribus & formâ & victu Gallorum assimiles dixisset, subjicit, διὸ δικαιά μοι δοκοῦσι Ρωμαῖοι ἀπὸ αὐτοῖς θέσθαι τούνομα, ὡς ἂν γνησίους γαλάτας Φράζων βουλόμενοι. γνήσιοι γὰρ οἱ γερμανοὶ κατὰ τὴν Ρωμαίων διάλεκτον, *Itaque rectè mihi videntur Romani hoc nomen eis indidisse, quum eos fratres esse Gallorum vellent ostendere.* Sed frivolum hoc est, uti & aliorum commenta, ab *immania gerendo*, vel à *germinando:* Tacitus magis ad rem: *à se ipsis inventô nomine*, inquit, GERMANI *vocantur*; A se ipsis? Ergo nec ad Carmanos Asiæ populos evagare necesse est, nec ad Gallos vicinos cum Philippo Cluverio, qui *Germanos* dictos arbitratur, quasi *Gerre Man*, aut *bellatorem*; Sed in ipsa Germanorum lingua Etymon quærendum est. Etiam hîc ingeniosa Doctorum solertia in diversum abit. Hadr. Junius, dictos vult, quasi *Geertman*, id est, *honoratos Viros:* Becanus à *Geren*, id est, *congregare*, à cogendo milite; Sed me judice omnium verissimè, & ad Gentis Gloriam, qui à tritissimo & simplicissimo *Gar & Man*, ut Germanus sit *prorsus vir*, πάνυ ἀνδρεῖος, eâdem ratione, quâ & *Alemanni* dicuntur ab *Alle & Man*, ob notam scilicet Germanorum Virtutem & fortitudinem. Quid videtur ARCHÆOPHILE? nonne Etymologia hæc cum Numismate convenit? Quod res est, negare non ausim, respondit ARCHÆOPHILUS, adeòque non invitus Commium tecum agnoscam, modò & in reliquis satisfacias. Video Commium hunc imberbem, an ob juventutem? An ob receptum Germanorum morem? Id libenter vellem doceri. Deinde, Capillos video dependentes & comtos, cùm tamen constet, Germanos comam in vertice colligâsse? Tertiò, Commius noster pileô tectus est, cùm tamen Germani antiqui non pilcati incesserint, sed comis in nodum colligatis superbierint? Ut taceam vestimenti genus, quod super humerum colligatum ad pectus descendit, qualiter Chlamys solebat, Romanorum insigne?

More Tuô, respondit DULODORUS, multa coacervas, ad ea ordine respondebo. De Juventute Commii non dubito, cùm Numisma eam non obscurè significet, nec ex rebus ejus gestis, quæ paucorum annorum sunt, contrarium demonstrari possit. Ut tamen eam juventutem ei adjudicem, quâ barbam nondum habuit, adduci non possum, cùm facinora virilem prorsus & animum & ætatem arguant. Id potiùs hîc latere arbitrer, quod Tacitus de Cattis asserit, *adolescentes barbam, non nisi hoste cæsô, exuisse:* Imò quod & de Civile Batavorum

duce, *eum post capta adversus Romanos arma, propexum rutilumque crinem, patratâ demum cæde Legionum, deposuisse.* Scilicet Commius noster hôc ipsô habitu & Germanorum morem videtur impleviſſe, & simul victas à se aliquoties Romanorum Turmas, & hostibus exprobrâsse & suis jactâsse. Quod de capillis in nodum comexis memoras, id proprium Suevorum erat. Apertè Tacitus: *Insigne Gentis*, inquit de Suevis, *obliquare crinem nodôque substringere. SIC SUEVI à COETERIS GERMANIS, sic Suevorum ingenui à servis separantur, sic in aliis gentibus, seu cognatione aliquâ Suevorum, seu quod sæpè accidit, imitatione rarum, & intra juventæ spatium.* Vides ARCHÆOPHILE, non universalem hunc morem fuisse, licet Seneca Lib. III. cap. 26. de Ira, & Martial. Ep. 3. in Amphitheatrum Cæsaris, in genere Germanis eum tribuat. At universalis fuit mos Comam nutriendi. Plinius Lib. II. cap. 78. ait: *Populos septentrionales flavos habere Crines & promissos:* Sidonius Germanos *Crinigeras Catervas* vocat: Et inde est, quod Suetonio narrante cap. 47. *Caligula procerissimum quemque ad Germanicum Triumphum legerit, eosque coëgerit RUTILARE & SUBMITTERE COMAM.* Rationem consuetudinis videas apud Tacitum & Clementem: *Principes*, inquit Tacitus, *Comam ornatiorem habent, non ut ament, amenturve, sed in altitudinem quandam & terrorem, adituri ad bella compti, ut hostium oculis, ornantur*; Et Clemens Pædagog. Lib. III. cap. 3. de Scythis & Celtis, sub quibus Germanos comprehendi indubium est. Τῶν ἐθνῶν οἱ Κέλτοι, inquit καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν. ἀλλ' οὐ κυμοῦνται; Ἔχει τι φοβερὸν τὸ ἔντριχον τοῦ βαρβάρου καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι. *Ex gentibus Celtæ ac Scythæ comam nutriunt, at non ornatûs causâ. Terribile quiddam in se habet, barbarum benè comatum esse, & flavus ejus color bellum minatur, ceu cognatus sanguini.* Agnoscis Commium, ut in positâ barbâ hostes victos jactantem, ita in Comis ulteriora pro libertate bella spirantem. Pro libertate, inquam, id quod non equò ferociente tantùm, sed & Pileô expressisse videri potest, modò Pileus sit, & non potiùs Galea, qnòd capiti ejus impositum cernis. Pileus notissimum Libertatis apud Romanos symbolum fuit, & quid mirum, si Commius, Romanorum aliquando convictor, ad indicandum libertatis ardorem eô fuerit usus? Sed ad finem propero. Ultimum quod protulisti, est Chlamys ab humero suspensa. Sagum appellat Tacitus. *Tegumen*, inquit, *omnibus est SAGUM, fibulâ, aut si desit, spinâ consertum*; & Mela L. III. cap. 3. *Viri Sagis velantur.* Illud hîc observari velim, Sagum hoc, nudo corpori injectum fuisse. Id ex nuditate prominentis humeri in Numismate agnoscas, & suffragatur Cæsar Lib. VI. *Pellibus*, inquit, *aut parvis Rhenonum segmentis utuntur, magnâ corporis parte NUDA.* Et iterum Lib. IV. *in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis, neque vestitus præter pelles haberent quisquam, quarum propter exiguitatem, magna corporis pars est aperta.* Sagum scilicet vulgò apud Germanos erat Pelliceum, uti apud Belgas, teste Strabone, Hirsutum, quod quidam de inferiore Saguli parte intelligunt, qui si verum sentiant, jam constabit, quare nec pellis, nec Hirsutæ materiei in Numismate appareat vestigium. Antequam discedamus, notandus adhuc capillorum habitus, qui flagellorum ad instar retrò verticem descendunt. Ad ea egregiè quadrant verba Sidonii de Theodorico Gothorum Rege, *Aurium legulæ*, inquit, *sicut mos gentis est, CRINIUM superjacentium FLAGELLIS operiuntur*, & Gregorii Thuronensis Lib. VI. cap. 24. de Gundobaldo Chlotarii Francorum Regis Filio, *diligenti cura nutritus, ut Regum istorum mos est, CRINIUM FLAGELLIS per terga demissis.* Hinc Martialis Lib. I. Epigr. ad Faccum:

Mol-

— — *Mollesque FLAGELLANT*
Colla COMÆ. — —

Flagella hæc cum cirris confundit Cluverius, an rectè? nunc non attinet dicere. Illud prætereundum non est, capillum non naturâ tantùm, sed & arte figuratum fuisse: Butyro atque aceto Burgundiones usos, ex Sidonio discas. Gallos calcis lixivio capillos lavisse, Diodorus author est: Eorundem ex sevo & cinere inventum rutilandis capillis, Plinius refert; Et ne de Gallis solis hoc dictum arbitreris, addit uterque, *apud Germanos majore in usu viris, quàm fœminis.* Martialis Lib. XIV. *Spumam* appellat:

Caustica Teutonicos accendit SPUMA capillos,

Et alibi,

Mutat Latias SPUMA Batava comas.

Quæ loca licet à Cluverio citata & juxta illustrata, operæ pretium tamen arbitratus sum hîc denuò proponere. Dum in Germania moramur, excepit ARCHÆOPHILUS, in mentem mihi venit

INDUTIOMARUS TREVIR.

Cujus Nummum in Conjecturis Te vulgâsse memini, contra communem Antiquariorum calculum, non caput Veneris, sed caput virile Diadematum, in eo agnoscens. Subit cupido Nummum ipsum videndi, ut opinionis firmus esse possim. Res indubia est, inquit DULODORUS, Nummum inspice! Diadema, subjecit ARCHÆOPHILUS, ad oculum patet: Ad oculum patet Comarum brevitas, & virilis Genarum macies; adeò ut conjecturam Tuam de *Indutiomaro Trevirensi*, non rejiciendam ritè arbitrer, licet nomen integrum in Nummo non legatur, nec adhuc pateat, quid sibi velint Liniolæ, nominis principio adjectæ. Lineolas, respondit DULODORUS, commode de Indutiomari patria interpretabimur. Trevirensem fuisse, Cæsar testatur; Quid igitur si legamus INDUTIomarus IIIVirensis, eôdem modô quô apud Romanos IIIvir, etiam *Trevir* pronunciatur, uti Ciceronis testimoniô constat, Ep. ad Fam. Lib. VII. Ep. 14. Ubi ad Trebatium in Galliis cum Cæsare commorantem: *TREVIROS vites censeo: Audio CAPITALES esse: mallem AURO, ARGENTO, ÆRI* essent.

Si Trevirensis fuit, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo in Numismate *Germanum* se appellat? Dubium hoc, respondit DULODORUS, jam in Conjecturis meis dilui. Cùm enim in Treviris cum Cingetorige de principatu contendens Cæsari se opposuerit, famaque tulerit, à Treviris Germanos trans-Rhenanos sollicitari, quæ fama & Cæsarem permovit, ut contra Indutiomarum

DULODORUS, ego, inquit, non ex Strabone Ovidium, sed ex Ovidio Strabonem corrigendum arbitrer, non tantùm, quòd is Strabone antiquior fuit, sed etiam, quòd noſtrum Numiſma eum fulciat. Strabonem errâſſe in nomine, mirum non eſt, cùm & erraverit in re; Terram Donni in altero Alpium latere ponit, quod Italiæ obvertitur; At in ipſis Alpibus fuiſſe Terram Cottii, & proinde ſecundum Strabonem, etiam Donni, & quidem hanc in Alpibus Grajis, quæ Cottiis à ſeptentrione adjacebant, veriſimili conjecturâ deducit Cluverius. Et firmari poteſt eò, quòd Donnus hic Ovidio *Altus* vocatur. Caput Romæ Romanis vel amicum, vel tributarium fuiſſe arguit. Cùm cuncta Romanis faſcibus cederent, quidni & Regulus Alpium Grajarum? Id non fruſtrà fuit. Etiam Progenies ejus Romæ deinceps honores geſſit. Veſtalis exemplo eſt, qui Euxinas in oras ab Auguſto miſſus, locis ſub axe poſitis jura reddidiſſe, factorumque meritô ad primipilarem dignitatem evectus, Ovidio memoratur. Factorum meritô, inquam; Graphicè enim ea deſcribit Pelignus Vates, nec mirum, cùm & Numiſma Progenitoris Virtutem ſub Equite celebret. Scilicet hîc verum fuit, quod nimis audacter alias Horatius:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in Juvencis, eſt in Equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

De Equis Alpinarum Gentium, non Helvetii tantùm teſtantur, de quibus apud Cæſarem paſſim, ſed & quod apud Plinium exſtat: *Eporedicos à Gallis BONOS EQVORUM DOMITORES vocatos eſſe.* Eporedica videlicet ab Auguſta Prætoria non longè diſtabat. Auguſta Prætoria autem, eodem Plinio teſte, juxta geminas Alpium fauces, Grajas & Pæninas, jacebat, quarum Grajas Donni noſtri Regnum fuiſſe, ſuprà diximus. Hôc argumentò acquieſcas oportet, amiciſſimè ARCHÆOPHILE, neque enim de Donno plura hactenus apud Authores apparuerunt. Numiſma memoriæ ſuccurrit, & quod Hiſtoria prætermiſit, indubiô argumentô evincit. Donnum ſc. noſtrum, & Equeſtri militiâ claruiſſe, & in Romanorum Clientela non obſcurum ſuæ fortitudinis edidiſſe ſpecimen. Succedit

NINNIUS
APUD
MAURUCINOS ET MARSOS
ILLUSTRIS.

NUmiſma hoc, licet exiguum ſit, & retrò caput mutilum, rariſſimum tamen venerandæ Antiquitatis nobis exhibet monumentum. Caput viri vides, & no-

& ne dubites, vel cujus id ſit, vel cujâs is fuerit, adjectum eſt nomen, hinc Viri, illinc Gentis. Nomen Gentis ſub literis initialibus MAUR. Nomen Viri ſub literis NINNO: Ex quibus colligas, Marrucinos Numiſma hoc Ninnii honori percuſſiſſe, eôdem modô, quô & alii civitatum ſuarum Illuſtres expreſsêre, id quod variis exemplis deduci poſſet, ſi nunc id ageretur.

De more Illuſtres Numiſmatibus imprimendi non dubito, inquit ARCHÆOPHILUS, at de Ninnio quis unquam vel fando audivit? Adde quòd non Ninnius in Nummo legatur, ſed NINNO. Et quid? Tune ex literis initialibus MAUR. *Marrucinos* intellexeris? Nonne potiùs *Mauritanos* Populum Africæ? Mauritanis Aper obſtat, reſpondit DULODORUS; Aper enim non apud Mauritanos tantum, ſed in tota Africa nullus fuit, docentibus Ariſtotele, Herodotô, Pliniô, Ælianô & Euſtatio in Dionyſium. Quod de Inſcriptione NINNO mones, fragile videtur: I. omiſſum in antiquitatum reliquiis novi nihil eſt; ita apud Gruterum ARDA pro *Arida*, BÆBUS pro *Bæbius*, DECMUS pro *Decimus*, PAPIRUS pro *Papirius*, VALERA pro *Valeria:* & in Theſauro Palatino MERCURO pro *Mercurio*. Ratio, eſt quòd facilè id ſub quacunque ferè litera effigiatum credi poſſit. Si enim, Exempli gr. in propoſito literæ penultimæ N. à dextra punctum imponas, apertè non jam Ninno, ſed Ninnio leges, adeòque mecum agnoſces, Numiſma hoc Ninnio cuidam dicatum eſſe, ejusque procul dubio effigiem nobis exhibere. Apud laudatum modô Gruterum varii hujus gentis occurrunt, nullò prænomine diſtincti: Pagina 65. n. 8. eſt *Ninnius Philetus:* Pag. 647. eſt *Ninnia Cronis:* Pag. 919. n. 8. eſt *Ninnius Drauſonis*; Sed hi, quod monumenta eorum vel Romæ, vel ad Moſam memorentur exſtare, ad Numiſma nihil faciunt. Propius accedit Q. NINNIUS, cujus monumenta L. Camarra Marrucinus Teatinus prodidit, alterum ſuis in ædibus repertum, alterum trans aquis poſitum, Oppido Marſorum ad Lacum Fucinum. Ita habent:

D. M. S.
Q. NINNIO. Q. F.
ARN. OPPIANICO.
ÆD. $\frac{III}{IIII}$ VIR. I. D.
JULIA. MARCIA. B. M.

D. M. S.
Q. NINNIO
Q. F. STRENUO.
SEVIRO AUG.
JANUARIA
CONJUGI
B. M. P.

Ex his inſcriptionibus, ſi loca ſimul conferas, in quibus poſitæ memorantur, ſufficiens Numiſmati noſtro lux affulget. Altera Marſis poſita dicitur, & à Marſis Marrucinos oriundos Cato videtur innuere. Ita enim apud Priſcianum libro VIII. *Cato in ſecundo originum; Marſus hoſtem occidit prius, quàm Peligmus. Propterea Marrucini dicuntur, de Marſo detortum nomen.* Et quæſo ARCHÆOPHILE; Nonne hæc à Marſis origo eleganter ſub Apro videbitur latere? idque ideò, quòd Marſorum Regio aprorum multitudine celebratur, id quod vel ex Horatio diſcas, qui aprum cognomento *Marſum* vocat L. I. Od. I.

Seu rupit teretes MARSUS APER plagas.

Si MARR. in Nummo haberetur, aſſentirer, inquit ARCHÆOPHILUS; omnia enim, quæ hactenus adduxiſti, de Marrucinis loquuntur, quos Maurucinos dictos eſſe, vereor ut evincere poſſis. Quidni? reſpondit DULODORUS; Nonne apud Appianum non tantùm Μαρρουκίνοι, ſed etiam Μαυρουκῖνοι legi, Phil. Cluverius agnoſcit? Imò, inquit ARCHÆOPHILUS; ſed illud recipit, hoc rejicit. Et hoc malè, reſpondit DULODORUS; Quid enim? annon etiam

etiam Maurucini dicti fuerint, occurrente eâ voce in noſtro Numiſmate? Sic ita, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; An autem tanta Ninniorum dignitas fuit, ut Numiſmate celebrarentur? Utique, reſpondit DULODORUS; Quid enim aliud Tituli in Inſcriptionibus? quid aliud Julia Marcia, quam laudatus Camarra, Julii Cæſaris amitam arbitratur? Quid denique Ciceronis ſuffragium, qui de L. Ninnio ait, *fidem virtutemque ejus nunquam contremuiſſe:* Ut taceam Q. Ninnium Haſtam, qui ſub Nerva Trajano cum Manilio Vopiſco in faſtos relatus eſt. Reſtat

ULATVS ATEULA.



Opportunè hunc Nummum producis, excepit ARCHÆOPHILUS. In Cimeliarchio Electorali Brandenburgico eum exſtare, in Dialogis Menſtruis linguâ vernaculâ hactenus editis, menſe Septembr. 1689. p. 893. me legiſſe memini, ubi & Nummi ectypon exhibetur. Id, inquit DULODORUS, ex Cimeliarchio Illuſtriſſimi COMITIS SCHWARTZENBURGICI ARNSTADIENSIS dicitur transmiſſum. An & Arnſtadii Antiquitatum farrago eſt? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Eſt, inquit DULODORUS, & quidem luculentiſſima, non à Majoribus tradita, ſed à moderno Comite collecta. Cùm occaſio id ferat, non poſſum quin *Heroicos GENEROSISSIMI POSSESSORIS ſpiritus*, devotô hîc calamô devenerer. Non ſanguinis tantùm, ſed & meritorum Gloriâ ſe pares ſuperare, parum putat, niſi & in coacervanda Nobilioris Antiquitatis monumenta Regiâ planè Liberalitate exundet. Vidi ipſe, cùm Lipſiæ ante biennium gratiosô me dignaretur alloquiô, vidi inquam, rariſſimas merces undecunque redimentem, & ne ſibi, ſed Orbi Theſauros videretur ſtruere, ad evulgandas ejus divitias ANDREAM MORELLIUM accivit, Virum in tantùm Antiquitatis ſcientem, ut & REX GALLIÆ ejus operâ uſus fuerit, & ingentibus promiſſis eandem & impoſterum captaverit. Spes inde eſt, uti *Regia Gallorum*, ita & *Schwarzenburgica* Numiſmata, eâ proditura, quàm merentur, & Magnificentiâ & Ακριβείᾳ; Spes eſt, ut in reliquis, ita & ad propoſitum, non nitidius tantùm ectypon proditurum, ſed & lucem pleniorem affuſum iri.

Id in voce ULATOS operæ pretium foret, inquit ARCHÆOPHILUS, eam enim ignotam eſſe, apud Dialogorum Authorem verba Mezzabarbæ evincunt. Non in hâc tantùm, reſpondit DULODORUS, imò & in toto Numiſmate id ſtatueris, id enim, quâ ratione Attilæ Hunnorum Regi tribui poſſit, non video. At inſcriptio, inquit ARCHÆOPHILUS, Attilam abunde demonſtrat. Ego, reſpondit DULODORUS, non Attilam Hunnorum Regem eâ denotari arbitror, ſed ULATUM ATEULAM, quicunque is fuerit. ULATTVM Familiæ nomen eſſe, ſequenti ex Inſcriptione Lugduni in vico de Flandres reperta, apud Celeber. Sponium patet, in Miſcellis p. 170.

C. ULAT.
ASPR.
HONO.
FU.
C. ULATTI.

Hinc, annon ritè colligas, ULATVM in Numiſmate expreſſum, ejusdem Familiæ, & ATEULAM, ULATTI cognomen fuiſſe? Et quid ſi ULATTVM hunc ATEULAM Lugdunenſem fuiſſe conjicias, ex loco Inſcriptionis repertæ? Sed in tantâ hiſtoriæ caligine nihil decido. Illud tantùm moneo, noſtro in Numiſmate non caput barbatum, uti Mezzabarba ait, ſed caput juvenile, & imberbe haberi, quod Cupidinis eſſe, ex Alis agnoſcimus.

Sed contrahamus vela, ſolitôque more laboribus noſtris aliquod otium miſceamus! *Regum & Illuſtrium* hactenus *Numiſmata* luſtravimus. Ubi rurſus conveniemus, luſtrabimus *Numiſmata Magnæ in Italia Græciæ*, Regionis & ubertate frugum & amœnitate hortorum totô Orbe celebratiſſimæ. Nihil his convenientius, quàm ut circumjecta Metropoli Brandenburgicæ Viridaria adeas, animusque eorum contemplatione refectus, ad inſtitutum deinceps alacrior redeat. Placet conſilium, inquit ARCHÆOPHILUS, eòque fructuoſius id ſpero futurum, quò amicius conſortium pro vehiculo erit. Philopyrgus me comitabitur, eòdem jam ab aliquot diebus præcipitem impellens. His dictis, DULODORO, pro præſtitâ hactenus operâ gratias egit, itinerique ſe accinſturus abiit.

Er ſua flammigeris Titan radiatus habenis
Lumina protulerat, ter ceſſerat illa Sorori,

Cùm ſatur Amœnitatum ARCHÆOPHILUS, Antiquitatis Gazas repetiit, ſalutatôque DULODORO: Habetis, inquit, & contra opinionem eorum, quos Natura benignior his rebus alibi extulit, habetis, quod vel fœcundiſſimis Regionibus invidiam movere poſſit. Vidi Regia planè etiam in hortis Palatia! Vidi hortos & Phæacibus & Pæſtanis nobiliores! Quid Floræ delicias loquar, quas patentibus campis benignior Aura mulcet? Perennesque ubique Nympharum ſcaturigines humectant? Quid Pomonæ copiam, Bacchi Cererisque abundantiam? Parva hæc ſunt. Naturam ipſam vidi, artificiosô juxtà, & magnificentiſſimô conatu in quodvis nobilioris amœnitatis genus luxuriantem! Ab Ortu COEPENICUM ſe commendat: Ad Occaſum Brumalem ORANIOBURGUM: Ad Auſtralem POTSTAMIUM, eique vicinum BORNHEMIUM, cujus vel unius intuitu de reliquis judicium eſſe poteſt. Eas nec Operum magnificentiâ attingit, nec ſitûs amœnitate, & tamen utrinque non ingratô ſe attollit aſpectu. Quæsò DULODORE! Quæ Majeſtas chriſtallinos, quibus undique fervet, perennium aquarum luſus eduxit? Quis Genius Nemorum jucundiſſima ambulacra, Hortorum florentiſſimas areolas diſpoſuit?

FRIDERICI WILHELMI hoc Opus eſt, reſpondit DULODORUS. Ut belli gloriâ cognomen Magni meruit, ita & pacis artibus verè Magnificus fuit. Ejusdem Opus eſt POTSTAMIUM, æſtiva ut plurimum Electorum Brandenburgenſium ſedes. ORANIOBURGUM Sereniſſimæ LODOICÆ, digniſſimo ſtirpis Arauſionenſium Germini, FRIDERICI WILHELMI Conjugi amantiſſimæ, Matrique ELECTORIS MODERNI Glorioſiſſimæ augmentum debet. Magna hæc & vel Regibus habitanda Palatia! Sed majus eſt, quod COEPENIGI viſitur, FRIDERICI III. eductum impendiis. Quàm artificiosô omnia politioris Architecturæ nexu? quàm concinnô ornatuum jubare fulgent? Sive intrinſeca luſtres, ſive externa intueris, ubique Divinum miraberis *Sereniſſimi Conditoris* Genium. Sed alibi de his ulterior erit confabulandi locus. Nunc, ſi placet, iis relictis in Italiam abibimus, non modernas contemplaturi feliciſſimæ Regionis delicias, ſed antiquas Græcorum adhuc in ea reliquias.

Annuebat ARCHÆOPHILUS, ideoque DULODORUS: Ex Mari Hadriatico, inquit, verſus Jonicum navigantibus, ipsô Maruccinorum in agro, cujus Civem ſuprà *Ninnium* diximus,

TEATE



Occurrit. De Teate Antiquo exſtat tractatus Lucii Camarræ, ad Hieronymum Card. Columnam. Exhibentur in eo Teatinorum Numiſmata, vel cum capite Herculis, Clavâ, & Leone, vel cum capite Palladis, & Noctua, qualiter & in propoſito. Unica differentia eſt in punctis. Quæ Camarra protulit, tria tantùm exhibent, cùm noſtrum quinque habeat. Cur Palladem & Noctuam expreſſerint Teatini, ratio in Deæ cultu ponitur; Eaque, ſi Camarræ credis, agri Teatini parti nomen fecit, templum fortaſſis ibi ſortita. Accedere poteſt & olea, Minervæ ſacrata arbor, cujus frequentiam his in locis ex Plinio colligimus, dum *ſuprem6 Neronis annô in agro Maruccino OLIVETUM univerſum viam publicam transgreſſum* memorat, *arvis inde in contrarium, in locum OLIVETI profectis.* Hæc Te obſervare memini, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & de Populi fortitudine ſubolfacere, cujus gloriam Deæ Bellicæ cultu obtinuerint. Id ex Strabone adſtrui poteſt, inquit DULODORUS. Maruccinos enim, cujus Metropolis Teate fuit, inter populos circumjacentes exiguos, ſed fortiſſimos memorat. Idem & Silio cauſa fuiſſe poteſt, ut

Corſini Populos, Magnumque Teate,

& itérum, ut

— — — *Nobile nomen*
Clarumque Teate — —

Caneret. De Nummi antiquitate, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, dubium ex ipſo nomine adhuc ſurgit. Hodiè TIETI dici, Te ipſo monente didici. Ea vox quàm minimùm abit ab inſcripta TIATI. An inde non colligam, Numiſma hoc tantæ antiquitatis non eſſe? Fateor, inquit DULODORUS, rationem robore non exiguô fulciri, præſertim cùm artificium mediocre non priſcam illam ſublimitatem præferat, ſed potiùs labentium temporum agonem, ſubjecta tamen puncta pro Antiquitate pugnare poſſent, cùm apud Romanos ea, niſi ſub liberâ Republicâ, vix occurrant. Sed libera eſto de his opinio! In Daunia ſe ſiſtit

LUCE-

LUCERIA HERCULI DEVOTA.



QVatuor hoc nomine, infit ARCHÆOPHILUS, in Italia celebrari urbes, Thomas de Pinedo in Stephanum ſcribit. Unam Dauniæ, ſecundam Campaniæ, tertiam Umbriæ, quartam Galliæ Ciſalpinæ. Hoc ſi ita ſe habeat, unde colligam ad Luceriam Dauniæ hoc Numiſma pertinere? Annon eâdem facilitate etiam reliquis addixero? Thomas de Pinedo, reſpondit DULODORUS, aſſerti ſui teſtem Cluverium citat; Sed Cluverius duas tantùm Italiæ urbes agnoſcit, eam ſcil. quæ in Gallia Ciſalpina, haud procul Padi ripa viſitur, hodieque *Luceriæ* nomine nota eſt; alteram Apuliæ aut Dauniæ, de qua plerique & Græci & Latini Hiſtoriarum Scriptores. In Umbria & Campania, non *Luceriam*, ſed *Nuceriam* apud antiquos inveneris, adeò ut harum in Numiſmate, *Luceria* inſcripto, ratio eſſe non poſſit.

Quidni? regeſſit ARCHÆOPHILUS. Nonne nomen *Luceria* & *Nuceriæ* apud authores promiſcuè uſurpatur? Apuliæ urbem, quam Strabo *Luceriam*, eam Ptolemæus & Appianus Nuceriam vocant. Et idem etiam de Urbe Gallicæ palam eſt. Id Tibi facilè ceſſerim, inquit DULODORUS, ſed ratio nihil ad rem. Si *Nuceria* in Nummo legeretur, procederet; ſed cum *Louceria* apertè legatur, non niſi iis tribui poteſt, quæ *Luceriæ* nomine etiam apud Authores proſtant, adeoque vides, de duabus tantùm quæſtionem eſſe poſſe, Luceriâ Dauniæ, & Luceriâ Galliæ Ciſalpinæ. Utri harum Numiſma tribuas, fateor anceps & difficile judicium eſſe; In Nummo enim nihil apparet, quod certitudinem ſuggerere poſſit. Sola celebritas eſt, quæ pro Daunia militat. Fuiſſe antiquam, & vetuſta Diomedis Donaria in templo Minervæ aſſervâſſe, Strabo author eſt: Coloniam Romanorum eò deductam, ex Polybio diſcas: Samnites eam occupâſſe, Papirium Coſ. recepiſſe, Livius memorat. Sedem Belli Pompejum delegiſſe, Ciceronis aſſertum eſt, Lib. VII. & VIII. ad Atticum.

Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Nummum nihil faciunt; Quin potiùs rationem Herculis promis? Neque enim quicquam de eo apud Authores Luceria celebrat. Verum eſt, inquit DULODORUS; ſed quod Authores neglexére, id eleganti effato ſupplevit Dionyſius Halicarnaſſæus, L. I. de Hercule locutus: *Paſſim*, inquit, *per Italiam fana huic Deo dicata ſunt, ara æque oppidatim & juxta vias erectæ, nec facile reperias in Italia locum, ubi non colatur hic Deus.* Si hoc verum eſt, utique de Hercule Lucerinis culto patet; & quid ſi etiam ad Romanos reſpicias? quorum, ut dixi, Colonia Luceria erat, uti ex Diodoro Siculo, Plinio aliisque conſtat. Herculem inter Romanorum Conditores numerari, dubium non eſt, & eò ut reſpicias, Inſcriptio Latina ſuadere poteſt. Quanquam adhuc aliquid ex Græco trahere videatur, OU pro U. ponendo, id quod & in voce Fourius fieri, tam ex Nummo familiæ Furiæ, quàm etiam ex Inſcriptione

apud Reyneſium conſtat. De Clava Herculis & Leonis pelle res trita eſt. Arcum & Pharetram Neſſi interitus, & Philoctetæ fortuna teſtantur, ut reliqua taceam, alibi vel ſatis liquidè jam deducta, vel ſi occaſio dabitur, adhuc amplius deducenda. Lucerinorum vicini fuerunt

ARPANI
AB ÆTOLIS ET ARGIVIS ORIUNDI.



PRimum Numiſma à Goltziano diverſum eſt, non tantùm fulmine & nomine ΔΑΞΟΥ, quæ illic Jovis capiti adjecta ſunt, hîc autem deſunt, ſed etiam Venabulo & Apro; Illius enim in noſtro tantùm ferrum conſpicitur, cùm in Goltziano integrum ſit, hic autem non tàm curſu, quàm obfirmatis in hoſtem pedibus inſignis eſt. Quicquid ſit, una utriusque ſignificatio eſt. Duplex utrinque Arpanorum origo hîc adumbratur, altera ab Ætolis, altera ab Argivis. Tune duplicem unius Urbis, inquit ARCHÆOPHILVS, Originem ſtatuis? Statuo, reſpondit DULODORVS, nec abs ratione; Arpos à Diomede condita eſt, Diomedes autem Argis quidem natus, ab Ætolis autem oriundus fuit. Non absque fulcro loquor. De Diomede Arpanorum Conditore teſtantur Plinius, Juſtinus, aliique. De Diomede Argis nato, Scholiaſtes Pindari, ad Od. X. Nem. ubi Diomedem ἀργεῖον, *Argivum*, vocat. De Oriundo ab Ætolis ipſum ſtemma; Fuit enim filius Tydei, Nepos Oenei, notiſſimi Ætolorum Regis, cujus filius Meleager, Apri Calydonii Venationem inſtituit. Ad hanc originem reſpexit Ovidius, cui Diomedes *Heros Ætolicus* dicitur: & Statius, cui *Ætolus Dux*, & *Heros Calydonius* vocatur. Hæc cùm ita ſe habeant, utique obſcurum eſſe non poteſt, Aprum in Numiſmate expreſſum, alium non eſſe, quàm Calydonium, eôque non minus ac adjectô venabulô decantatiſſimam ejus venationem eum in finem Arpanos adumbrâſſe, ut ſuam originem ab Ætolis oſtenderent, ſuorumque ſimul Progenitorum Gloriæ ſe participes redderent.

Si Diomedes ex Meleagri poſteris fuiſſet, aſſentirer, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cùm autem fuerit filius Tydei, Meleagri fratris, idque ex alia Oenei uxore, (Meleager enim ex Althæa, Tydeus autem ex Peribœa natus memoratur) neſcio quid ad Diomedem Aper Calydonius facere poſſit? Ubi de gloria agitur, reſpondit DULODORVS, ſi non cauſa eſt, tamen prætextus quæritur. Diomedes certè à Gloria Venationis Calydonicæ adeò ſe non alienum putavit, ut etiam Dentes illius Apri, quos Meleager præmia acceperat, & de quibus ſub Ætolis differendi locus erit, Beneventi, quam & ipſam condiderat, collocâſſe, Procopio

pio memoretur: Diomedem ſecuti ſunt Arpani, ideoque non incongruè Poëta, Æneid. X. Arpos *Ætolos* cognominavit:

— — *ÆTOLIS ſurgit ab ARPIS*
Tydides. — —

De origine ab Ætolis, conſtat, inquit ARCHÆOPHILUS: Non item de eâ, quam ab Argivis hoc in Numiſmate expreſſam dixiſti. Jovis caput eam exhibet, reſpondit DULODORUS; Jovem enim variô cognomine Argis cultum, ex Pauſania diſcimus. Memorat is Jovis *Milichii* ſimulacrum è candido marmore, Polycleti opus: Memorat Jovis *Nemæi* & ædem & ſimulacrum, & hoc quidem Dei ſtantis, opus Lyſippi ex ære: & tandem ædem Jovis *Lariſſæi* ab Argivorum arce, quæ Lariſſa dicebatur, cognominati. Ex his, annon credibile ſit, Diomedem, utpote Argis oriundum, etiam Dei cultum tranſtuliſſe, occurrente Jovis effigie in Arpanorum Nummis? Quid ſi ipſius Diomedis ſit? inquit ARCHÆOPHILUS. Conſtat enim Palladis ope divinos honores aſſecutum. Pindari certè Scholiaſtes Nem. X. Argyrippæ templum ejus fuiſſe, ipſumque divinis honoribus affectum ſcribit. Si effigies imberbis eſſet, reſpondit DULODORVS, aſſentirer; Imberbem enim ſupra in Gemma vidimus; at cum barbata ſit, & Laureata, planè qualiter Jupiter eſſe ſolet, quem & fulmen in Nummo Goltziano demonſtrat, omninò opinioni meæ inhærendum exiſtimo. Eandem certè ab Argivis originem etiam ſub ſecundi Numiſmatis Equo intelligimus, Argos enim *equis aptum* Horatio memorari, indeque & Argos *hippium* dictum, jam alibi notavi.

De Equo dubium non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm etiam equum Diomedi à Venetis immolatum, apud Strabonem pag. 149. legamus & Rheſi Equos Diomedem cepiſſe aliunde conſtet; Sed de Tauro & Subſcriptione, nondum mihi convenit; Hâc Arpanum quendam Pylagoram arbitraris denotari, taurumque id ſacrificium fuiſſe, quod Cereri facere ſolenne erat; Quæſo DULODRE, an Cereri Taurus mactabatur? Atqui Ovidius Lib. IV. Faſtor.

A bove ſuccincti cultros removete miniſtri.
Bos aret; ignavam ſacrificate ſuem.
Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri.
Vivat, & in dura ſæpè laboret humo.

De Tauro, reſpondit DULODORUS, Cereri Pylagoræ immolato Zenodotus teſtatur, referente Eraſmo in adagiis ſub bove Homolottorum, & ſuffragari poſſet Ceres in aliis Ætolorum Numiſmatibus expreſſa. Si autem de ſacrificio minus placet, uti reverà ſalientis habitus ei vix convenit, poteris cum Rev. Harduino, ad fertilitatem & opima paſcua reſpicere, poteris ad Pylenem Ætoliæ oppidum, cujus incolas Poëta *torvos* vocat, quod tauris tribuit Virgilius. Sed ad alia progredimur. In Meſſapia, inter Brunduſium & Tarentum ſe ſiſtunt

HYRI-

HYRINI
CRETENSIUM COLONI, MINERVÆQVE HYRINÆ CULTUS.

HÆc Numiſmata in Theſauro Palatino ad Myrinam retuli, urbem Æolidis. Minervam & Minotaurum, vel in Athenienſium honorem, vel ab Athenienſibus Myrinæ dominis, ſignatos arbitratus. Nunc eam ſententiam muto; non aliâ ratione, quàm quod literæ initialis M. licet ſpatium integerrimum ſit, ne minimum quidem appareat veſtigium: apertô teſtimoniô, non MYPINA ſed YPINA legendum eſſe. ARCHÆOPHILUS, Nummos diligenter contemplatus, de Myrina, inquit, & Ego hactenus dubitavi, eaque rationum una fuit, cur præſens intueri cuperem, quod ex pictura decidere non audebam. Verum eſt. YPINA omninò legendum; Sed nondum ſatis conſtat, quâ ratione vel ad Hyrinos Cretenſium Colonos hoc Numiſma referas, vel etiam Hyrinæ Minervæ cultum eô arbitreris celebrari. Ad utrumque, reſpondit DULODORUS, conjecturas potiùs adfero, quàm indubitata Authorum teſtimonia. Secundum Suidam YPH *ὄνομα πόλεος*, *Hyria nomen eſt Urbis.* Et Plinius, cùm inter Italiæ Urbes etiam *Uriam* poſuiſſet, paulò pòſt Populos *Hyrinos* celebrat, eodem modô, docente Harduino, quô Lucerini à Luceria apud Stephanum.

De Hyrinis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam mihi ſuboluit, ſed quod ii in Apulia, inter Sipontum & montem Garganum, viderentur habitaſſe, quem tractum non Cretenſes, ſed Ætoli cum Diomede advecti tenuere, non videbam, quâ ratione Minotaurus iis quadrare poſſet. Hyrinos Plinii ad Apuliam pertinere, non diffiteor, inquit DULODORUS; Neque eum in finem eorum mentionem feci, ut Numiſmata noſtra iis adſcriberem, ſed tantùm ut ab Hyria *Hyrinos* vocari poſſe, Veterum teſtimonio firmarem. Hyriam, cujus Numiſmata ſunt, non in Apulia reperio, ſed in Meſſapia. De hâc Herodoti verba Lib. VII. ſubjicio, ad Minotaurum apprimè quadrantia: *Λέγεται γὰρ Μίνω κατὰ ζήτησιν Δαιδάλου ἀπικόμενον ἐς Σικανίην, τὴν νῦν Σικελίην καλουμένην, ἀποθανεῖν βιαίῳ θανάτῳ. ἀνὰ δὲ χρόνον Κρῆτας, Θεοῦ σφε ἐποτρύναντος, πάντας πλὴν Πολιχνιτέων τε καὶ Πραισίων, ἀπικομένους στόλῳ μεγάλῳ ἐς Σικανίην, πολιορκέειν ἐπ' ἔτεα πέντε, πόλιν Κάμικον (τὴν κατ' ἐμὲ Ἀκραγαντῖνοι ἐνέμοντο.) τέλος δὲ, οὐ δυναμένους οὔτε ἑλεῖν, οὔτε παραμένειν, λιμῷ σύνεστεῶτας ἀπολιπόντας οἴχεσθαι. Ὡς δὲ κατὰ Ἰαπυγίην γενέσθαι πλώοντας, ὑπολαβόντα σφεας χειμῶνα μέγαν ἐκβαλέειν ἐς τὴν γῆν. Συναραχθέντων δὲ τῶν πλοίων, (οὐδεμίαν γάρ σφι ἔτι κομιδὴν ἐς Κρήτην φαίνεσθαι) ἐνταῦθα Ὑρίην πόλιν κτίσαντας, κατοικεῖναί τε καὶ μεταβαλόντας, ἀντὶ μὲν Κρητῶν, Ἰήπυγας Μεσσαπίους γενέσθαι, ἀντὶ δὲ τοῦ ἔναι νησιώτας, ἠπειρώτας. Ἀπὸ δὲ Ὑρίης πόλιος τὰς ἄλλας οἰκῆσαι.* *Siquidem fertur, Minoem, quum Dædalum veſtigans in Sicaniam, (quæ nunc Sicilia dicitur) perveniſſet, vi ejus vitæ allatâ occubuiſſe: Interjectô deinde tempore omnes CRETES, præter Polichnitanos & Præſios divinitùs inſtructos, cum magna Claſſe in Sicaniam trajeciſſe, & quinquennio obſediſſe*

ſediſſe Camicum, quam, ut mea fert opinio, Acragantini incolunt: ad extremum, cum neque illam expugnare poſſent, neque permanere, fame enectos eâ relictâ abiiſſe: & dum circa Japygiam curſum tenerent, ingenti eos tempeſtate obortâ in terram fuiſſe ejectos: laceratisque navibus, quum nullus in Cretam receptus oſtenderetur, illic ſubſidentes, urbem HYRIAM condidiſſe, & mutato nomine pro Cretibus Japyges Meſſapios eſſe effectos, & pro Inſulanis Continenticos, & ab Urbe HYRIA etiam alias incoluiſſe. Intelligis ARCHÆOPHILE, Hyriam in Meſſapia fuiſſe: Intelligis à Cretenſibus, quos Minotaurus indicat, eſſe conditam, idque teſtimoniô Authoris Antiquiſſimi, quem & Strabo ſecutus eſt & Stephanus.

Stephanus, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Hyriam ad Japygiam, Cretenſium quidem opus facit, ſed gentile non *Hyrinos* ſed *Hyrienſes*, docet: Et Strabo, licet in Japygia Hyriam ponat, imò & a Cretenſibus conditam fateatur, tamen, quæ ſuâ ætate Urbs Hyria fuerit, videtur dubitare. Strabonis locum, reſpondit DULODORUS, valdè corruptum, reſtituit Cluverius, docetque ΥΡΙαν Herodoti non aliam fuiſſe, ac Strabonis Ὑρίαν, de cujus ſitu utique ex ipſo Strabone conſtat cùm modò in medio Iſthmo eam collocet, modò inter Tarentum & Brunduſium, id quod & Authoritate Appiani firmatur. Quod ex Stephano adducis, ab hac Hyria *Hyrienſes* eſſe dictos, leve videtur; Quis enim neſcit diverſas in ejusmodi verbis derivationes locum habere?. Quis aſſerat ab Hyria Meſſapiæ, incolas minus *Hyrinos* dici debuiſſe, quàm ab Hyria Apuliæ? utique eadem utrinque ratio eſt? Et quid? Si non alia denominatio locum habet, quàm à Stephano propoſita, quomodo Cluveriô teſte apud Solinum ager hujus Urbis non *Urienſis*, ſed *Uritanus* vocatur? Libera ſcilicet in his antiquitùs videtur fuiſſe Grammaticorum Authoritas, & Nummus opinor eâdem dignitate cenſebitur, quâ Plinius, qui ab alia Hyria Hyrinos appellavit. Cœterùm, antequam pergam, monendum adhuc, Rev. Harduinum Nummum Cimelii, & ſui & Regii Gallorum, cum Pallade & Minotauro non minùs ſignatum, ac noſtrum, ΙΔΙΝΑΙΩΝ legere. Quod ſi tres poſteriores literæ in Nummo apparent, nihil in contrarium afferam, ſi autem deſint, ut deſunt in noſtro, nihil vereor aſſerere, omninò non ΙΔΙΝΑ ſed ΥΡΙΝΑ legendum eſſe. Ut errorem Harduini ſuboleam, facit litera P. quæ & in altero noſtrorum non rotunda ſed triangularis viſitur.

Ratio conjecturæ, excepit ARCHÆOPHILUS, ſatis probabilis eſt, ſed de terminatione vocabuli ΥΡΙΝΑ inde dubium naſcitur, annon ΥΡΙΝΑΙΩΝ legi poſſit, ut ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ? Nullo modo, reſpondit DULODORUS, niſi urbem non Hyriam ſed Hyrinam appellatam arbitreris, id quod contrariantibus, tot graviſſimorum Authorum teſtimoniis ſtatuere non audim. At, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi ΥΡΙΝΑ omninò ab Hyria, ut ais, deductum credi debeat, cur non potiùs ΥΡΙΝΟ, quàm ΥΡΙΝΑ ad exemplum nummorum veterum Romæ, ubi ROMANO: Sueſæ, ubi SVESANO: Æſernia, ubi AIΣΙΡΝΙΝΟ legitur? Ratio, reſpondit DULODORUS, in adjecta Minerva videtur conſiſtere, quam ab Urbe ΥΡΙΑ *Hyrinam* dictam, licet Authores non prodant, ex hoc tamen Nummo conſtare poteſt, eôdem modô, quô Numiſmata Deli Inſulæ ΔΗΛΙΟΥ ſub Apolline, & ΔΗΛΙΑΣ ſub Diana habent, ut ſcilicet non tantùm locus Numiſmatis ſignati indigitetur, ſed etiam Epitheta Diis inde appoſita noſcantur. Adhuc aliud mihi incidit, denuò excepit ARCHÆOPHILUS: Apud Stephanum Hyria Regio propè Aulidem ponitur, ubi prius Hyria oppidulum fuerit, in qua Heſiodus Anthiopen natam aſſeruerit; Conditor *Hirieus* vocabatur, & Civis *Hyriates*. Item alia Hyria juxta Iſauriam Seleuciam, quam Calycadnus alluit. Quid ſi his Numiſmata propoſita tribuas? Quid ſi Hyriæ, Inſulæ Jonici maris, uti Pomponius Mela teſtatur Lib. II. c. 6. quam cum Zazintho eandem Plinius facit? Ut nullam harum, ſubjecit DULODORUS, in Nummis

noſtris expreſſam arbitrer, facit, quòd nulla Cretenſibus tam affinis fuit, quàm fuit ea, quam à Cretenſibus inter Tarentum & Brunduſium conditam diximus. Sed mihi, perrexit ARCHÆOPHILUS, adjecta Pallas potiùs Coloniam Athenienſium videtur arguere. De Cretenſibus, reſpondit DULODORUS, ex Authoribus ſuprà allatis conſtat: Si non ſufficiant, addere poteris & Cononem apud Photium, & Varronem apud Valer. Probum in Ecl. VI. Virgil. ubi Hyriam ab Idomeneo Cretenſi conditam ſcribit. De Colonia autem Athenienſi, quis unquam vel fando inaudiit? Minerva rem non conficit, hæc non tantùm Athenis, ſed etiam in Creta culta eſt, id quod Numiſma Gortiniων à me in Theſauro Palatino vulgatum, indubiè demonſtrat, cui accedit & aliud Cimelii Regii Gallorum apud Harduinum, in quo non tantum Minerva viſitur, ſed & Noctua ſacrata Minervæ Volucris, quæ & in Cydoniæ Nummo apud Goltzium habetur. Omnibus lucem affundit Diodorus Siculus, non tantùm cultum Minervæ in hac Inſula, ſed & rationem cultûs indicans, quòd ſcilicet ſecundum fabulas in Creta ad Tritonem fluvium nata perhibeatur. En verba Lib. V. Μυθολογοῦσι δὲ καὶ τὴν Αθηνᾶν κατὰ τὴν Κρήτην ἐκ Διὸς ἐν ταῖς πηγαῖς τοῦ Τρίτωνος ποταμοῦ γενηθῆναι, διὸ καὶ Τριτογένειαν ἐπονομασθῆναι. Ἔστι δὲ καὶ νῦν ἔτι περὶ τὰς πηγὰς ταύτας ἱερὸν ἅγιον τῆς Θεοῦ ταύτης, ἐν ᾧ τόπῳ γένεσιν αὐτῆς ὑπάρξαι μυθολογοῦσι. *Fabulantur*, inquit, *Minervam in Creta ad Tritonis fluvii fontes ex Jove ortam eſſe, unde Tritogeniæ illi nomen. Et nunc etiam ad fontes illos Sacellum huic Deæ conſecratum remanet, ubi in lucem edita perhibetur.* Sed Tarentini nos vocant.

TARENTUM
TARAS FECIT, AUXIT PHALANTHUS.

AD hæc Tarentinorum Numiſmata, inquit ARCHÆOPHILUS, rationem nominis plenuſſime exſecutus es. Plenuſſime executus es & rationes

nes figurarum & Inſcriptionum. Sub figura Delphino inſidente, *Taras* videtur exhiberi, filius Neptuni, à quo & Tarentum creditur appellatum, quanquam alii vel à *Tare* filio Herculis, dictam arbitrentur, vel à Sabina voce *Tereno*, mollis, non tam, quòd nuces ibi & lanæ molliſſimæ provenirent, quàm ob mollitiem & effœminatos mores. Quid ultrà deſiderem? Ut res clarius deducatur, inquit DULODORUS; Quomodo enim, ſi Urbs hæc à Tarante Neptuni filio exſtructa & denominata fuit, quomodo, inquam, eadem potuit denominata eſſe à filio Herculis? quomodo à Sabina voce Tereno? Hæc utique infamiam Tarentinis contraxiſſet: Et de filio Herculis quidni dubitem, cùm dubitaverit ſuô tempore Virgilius?

Herculei, inquit, *ſi vera eſt fama, Tarenti.*

Quarta ſane Etymologia ex hac incertitudine videtur emerſiſſe, quam non minus ac ſuperiores apud Servium legimus: *Partheniatæ*, inquit, *à Sepulcro, cui inſcriptum erat TARE nomen, Urbem conditam TARENTUM dixerunt.* Ergo Herculis Filium omninò repudias? inquit ARCHÆOPHILUS: Quid igitur ad clavam dicemus? Quid? reſpondit DULODORUS, ſi non Coloniam à Phalantho, Partheniatarum Duce, qui octavus ab Hercule fuit, Tarentum deductam, indeque enatum apud Tarentinos Herculis cultum ſub ea latere. Prius ex Strabone & Plinio diſcimus: Poſterius non Numiſmata tantùm, ſed & hiſtoriæ tradunt. De Hercule Ἐριδανάτᾳ, Heſychius author eſt: Et Tarentô receptô Herculis ſimulacrum à Fabio Maximo in Capitolium translatum fuiſſe, apud Plutarchum in Vitis legimus: Ut taceam Heracleam Tarentinorum Coloniam, in qua Græcorum conventum fuiſſe, Strabo docet.

Aliud dubium ſubit, perrexit ARCHÆOPHILUS, non quidem de Etymo, ſed de figura Delphino inſidente. Hanc Tu Neptuni filium ſtatuis, cùm tamen fatearis, Pauſaniâ teſte, Phalanthum Tarenti Conditorem in ſinu Criſſæo naufragum, Delphino in littus evectum eſſe? Quidni igitur Phalanthus hic eſſe poterit? De Numiſmate ſexto, inquit DULODORUS, id forſan ex clava adſtruxeris, quanquam & hîc adjectus Tridens rem dubiam faciat. Phalanthum ſcil. non eô Tarentini habitu Delphis dedicârunt, quô Delphino vectus eſt, ſed Delphinum tantùm in rei memoriam ejus Statuæ junxerunt. Imô, quod accedit, non ſolum Phalanthum dedicârunt, ſed etiam Tarantem, ſignaque fecêre Onatas & Calynthus, quorum Nomina, cùm in Numiſmate quinto expreſſa videri poſſint, utique planum eſt, etiam figuras expreſſas, alteram Delphino inſidentem Tarantem eſſe, alteram inſidentem Equô, eſſe Phalanthum. De Phalantho certè eô facilius credas, quò aptius habitu Equeſtri etiam Equeſtris Virtus exprimitur, quô & Lacedæmonii & Tarentini celebrantur; Imò quò apertius & Delphinus in clypeo Phalanthum prodit, eâdem ferè ratione expreſſus, quâ & Ulyſſes Delphinum in ſcuto habuiſſe, Plutarcho memoratur, quòd Telimachum is ex mari ſalvum extulerit. De Tarante Neptuni Filio Ariſtotelis authoritate docemur; En verba, memorante Julio Polluce Lib. IX. c. 6. Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ καλεῖσθαι Νόμισμα παρ' αὐτοῖς Νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος, Δελφίνι ἐποχούμενον. *Ariſtoteles in Tarentinorum Republica tradit, Numiſma ab ipſis NUMMUM vocari, eique inſculptum eſſe TARANTEM. NEPTUNI FILIUM, DELPHINO VECTUM.* Hæc cum ita ſint, ARCHÆOPHILE, utique vides, his Numiſmatibus duplicem Tarentinorum originem conſecratam eſſe, alteram à Tarante Neptuni Filio, alteram à Phalantho progenie Herculis, quarum utramque & Servius firmat, his verbis: *Tarentum Tarus fecit, auxit Phalanthus.*

At in Numiſmate quarto, inquit ARCHÆOPHILUS, non Delphinus, ſed Sol in clypeo viſitur; In Numiſmatè tertiô autem nihil. In his, reſpondit DULODORUS, ſi non Phalanthum, in altero Philoclem, qui ſubſcriptus eſt, in altero autem alium, & procul dubiô vel Ducum, vel certè Victorum aliquem certamine ludicrô, agnoſcere poteris. Sed de his ad ſequentia dicetur. Ad figuras Equeſtres primi, ſecundi, & ſexti Numiſmatis, quòd muliebres eæ ſint, & lauream vel frondem, vel coronam porrigant, recordaberis Pauſaniæ locum de Tarentinorum donô, Equis æneis, & captivis fœminis, quorum ſigna Meſſapiis, Barbarâ gente, finitimis ſuis devictis, Tarentini Delphos miſere.

Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed magis placeret, ſi has ad voluptuoſam Tarentinorum vitam referres, cujus ratione, uti notâſti, Tarentus non *uncta* tantùm & *petulans*, ſed etiam *coronata* Poëtis audit; Habitus ſanè non captivarum mæſtitiam, ſed ebriarum veſaniam videtur adumbrare. Mæſtitiam, reſpondit DULODORUS, neceſſitas porrigendi Lauream in quibusdam abſcondit. In Numiſmate ſecundo non tantùm mæſtitiam, imò & terrorem obſerves, & quæsô ARCHÆOPHILE, an credibile fuerit Tarentinos id expreſſiſſe, quod vitio ipſis datum eſt? & id ſchematis, quod nullô Authore inter luxuriæ Tarentinæ ſpecimina reponitur? Nullo Authore? regeſſit ARCHÆOPHILUS, annon Athenæi memoria ſubit, qui Tarentinos eò voluptatis & delitiarum proceſſiſſe aſſerit, ut totius corporis cutem lævigarent, & cùm Carbinam in Japigibus vaſtaſſent, Pueris, Virginibus, & florentibus ætate Matronis, in ſacris ædibus congregatis, clarâ luce, corpora nuda præberent ſpectanda, & quilibet, cui collibitum eſſet, tanquam in gregem inſiliens, libidinem ſuam explerent. Id equidem novi, inquit DULODORUS, cùm autem, eódem teſte, vindictâ Dei flagitium punitum, indeque & Tarenti deteſtabile fuerit, non arbitror in Numiſmatibus ejus memoriam expreſſerint. At indubia voluptatis mentio, inquit ARCHÆOPHILUS, in *Poculo* & *Uva* eſt. Poterit, inquit DULODORUS, quanquam ad vinum Tarentinum hæc juſtius retuleris, de quo Athenæus, Ταραντῖνος καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ κλίματος τούτου πάντες ἄπαλοι, οὐ πλῆξιν, οὐ τόνον ἔχοντες, ἡδεῖς, εὐστόμαχοι. *Tarentinum, & quæ in illo tractu fiunt omnia, leve, ſuave, ſtomacho gratum, minimè validum aut inſeſtum capiti.* Et huc pertinet, quod Horatius L. II. Od. 6.

Amicus Aulon
Fertili Baccho minimùm Falernis
Invidet uvis.

Et Martialis L. XIII. Ep. antepenult.

Nobilis & lanis & felix vitibus Aulon.

Aulon enim mons Tarentini agri fuit, & falsò quibusdam cum Caulone Locrenſium confunditur. His poſitis accedunt compotationes, quæ adeò Tarentinis non turpes fuiſſe conſtat, ut ſingulis menſibus publica convivia agitârint, & vulgus turmatim potaverit, jactatô dicteriô, *alios quidem homines induſtriâ & laboriosâ ſedulitate ſibi vitam impoſterum parare, ſe verò, quia conveniant, & voluptatem inde percipiant, jam vivere.* Similis luxus & Sybaritarum fuit, excepit ARCHÆOPHILUS, & cùm in Numiſmate primô & tertiô literæ initiales ΣΥ appareant, fortaſſis Lycinum & Philoclem inde oriundos credideris. Eâdem ratione, reſpondit DULODORUS, etiam Syracuſanos arbitraberis, ſed unde rem probabis? Lycini cujusdam Lacedæmonii meminit Pauſanias, & alius proſtat in Inſcriptione Athenienſi apud Sponium in Miſc. p. 315. Ita & Philocles alius Carcini filius fuit, de quo Scholiaſtes in Ariſtoph. Alius Archon Athenienſis Olymp. 97. an. 1. & Ol. 114. anno 3. Alius Athenienſis vates, Antigoni inſidiis peremtus.

Alius

Alius Æſchyli ex ſorore Nepos, Poëta Tragicus, ab iracundiæ vitio *Bilis* appellatus, apud Suidam: Tandemque & Dux Ptolemæi apud Polyænum Lib. III. fin. aliique, de quibus, licet nihil certi habeam, tamen, nequid diſſimulem, labor & nomina Tarentinorum Ducum arbitrer, ſive Syracuſis ſive Sybari accitos; Ita & in ſequentibus

Callicratem, Pyrrhum, Philippum, Deinocratem & Ariſtonem; quanquam & hic ex Hiſtoricis hactenus lux exigua, ne dicam nulla affulgeat. Callicratem quendam, Ptolemæi, qui tertius in Ægypto regnavit, aſſentatorem & peritiſſimum & callidiſſimum memorat Athenæus. Callicratem Achæum, qui patriam prodidit, imò & Magneſium, habet Pauſanias. Callicratem Equitum Syracuſanorum Ducem, rei militaris gloriâ præſtantiſſimum Fazellus memorat, ut alios taceam, qui apud Plinium, Plutarchum, & Ælianum leguntur. De Deinocrate ſupra ad Numiſma ejus vidimus. Ariſton, Ageſiclis Filius, Lacedæmoniorum, memorante Pauſania, Rex fuit: Alius fuit Dux Ætolorum, teſte A. Gellio L. II. c. 18. Alius Gubernator Corinthius apud Polyænum.

Externorum hæc ſunt nomina, ut & ſuperiora, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, indeque arbitror in Equeſtri Tarentinorum peritia tutius ſubſiſtemus, cùm tanta ea fuerit, ut etiam Ταραντινίζειν, teſte Stephano, τὸ τὴν ἐνόπλιον καὶ εἰς τὰς μάχας χρησιμονα ἱππασίαν ποιεῖσθαι, *armatum & ad pugnas utilem Equitatum facere* ſignificaret. Imò, reſpondit DULODORUS, cùm Strabone teſte, Duces turmarum Equeſtrium Tarentini mille habuerint, illudque inter Reipublicæ Tarentinæ vitia numeretur, quod Ducibus peregrinis uſi fuerint, Alexandro Moloſſo, Archidamo Ageſilai Filio, Cleonymo, Agathocle, Pyrrho, aliisque: Cùm inſuper Pyrrhi mentio in Numiſmate propoſitorum ſecundo eſſe poſſit, uti & Agathoclis in Goltziano Tab. XXXI. n. IX. neſcio annon ritè etiam de

reliquis concludam. Quicquid ſit, Equeſtrem pugnam hic diſcere poteris. Pila Equites conjiciunt, & Pilis conjectis Tarentinos priusquam manus conſererent, terga dediſſe, Livius Author eſt. Poteris victorias Tibi in mentem revocare de Meſſapiis & Peucetiis relatas, ſub Victoriola Numiſmatis ſecundi. Poteris Jovis Coloſſum, cujus Strabo meminit, ſub ejusdem Numiſmatis fulmine: Vel potiùs Jovem καταιβάτην *fulminantem*, cui ideò ſacra Tarentinos feciſſe, Athenæus ex Clearcho memorat, quod libidinem militum ſuorum in Carbinates patratam, fulmine ultus eſſet. Poteris rerum abundantiam ſub Cornucopiæ, quæ luxûs cauſa fuit. Poteris *lanam* in Colo Tabulæ prioris Nummo 4. & hujus Nummo 3. de qua Horatius Lib. II. Ep. I.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Non *oſtreas* Tarentinorum in theatrum adduco, quarum A. Gellius L. VII. c. 16. meminit: Aut *Pectines*, de quibus Horatius:

Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum:

Non *Sal*, cujus apud Plinium L. XXXI. c. 7. ratio proſtat: Non *Nuces* & *Caſtaneas*, quas *Tarentinas* dictas Salmaſius ad Solinum probat; quanquam hæc omnia ſub Cornucopiæ ritè intelligas. Ad lanam, excepit ARCHÆOPHILUS, fortaſse etiam *Ovium* meminiſſe licebit, de quibus Plinius L. VIII. c. 48. *Oves circa Tarentum Canuſiumque ſummam nobilitatem habent.* Non de Ovibus tantùm, ſubjecit DULODORUS, ſed de armentis etiam, aliisque gregibus, Virgilio teſte conſtat, Georg. II.

Sin Armenta magis ſtudium Vitulosque tueri,
Aut fœtus Ovium, aut urentes culta Capellas,
Saltus & ſaturi petito longinqua Tarenti!

Saturi dicit, vel ob vicinitatem Saturi Oppidi, vel quòd fœcundum eſſet, uti Servius notat, ut ita & hinc ratio Cornucopiæ eluceſcat.

Etiam Saltum, perrexit ARCHÆOPHILUS, Tarento Poëta tribuit, indeque fortaſsè & Cervi ratio elucet, quem primò in Numiſmate Callicrates ſuper coronam manu prætendit. Saltus ſanè venationum commoditatem præſtare ſolent: Et venationibus opportunum Tarenti agrum fuiſſe, ex Polybio diſcimus, ubi Philomenes animum ad κυνηγίας, venationes memoratur intendere juſſus. Si Cervus ſit, reſpondit DULODORUS, fortaſſis ſymbolum erit devictæ alicujus Gentis. Cervum eôdem ferè modô Apollo manu præfert in Nummo Mileſiæ apud Seguinum, quid autem huc faciat non video. Diis res facilis, ſed homini, Equiti præſertim, vereor ut vires ſufficiant. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, Eques hic non homo, ſed Deus aliquis, fortaſse Phalanthus, quem Divinis honoribus cultum fuiſſe, ex Juſtino docemur. Fortaſsè Mars, nam & hunc inter Conditores Tarenti lego apud Dionyſium, Ὀικουμ. περιηγήσ. v. 374. ſeq.

Τάρας δ' ἀλὸς ἐγγύθι κεῖται
Ἡ. πότε Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης.

Tarentum prope mare jacet
Quod olim Amyclæorum condidit fortis MARS.

Martem, reſpondit DULODORUS, hôc locô non pro Deo, ſed pro Martia Juventute ſumerem. Mars certè, licet Ἵππιος cognominatus ſit, Eques tamen, inter Antiquitatis reliquias, neſcio an apparuerit. Figuram Equeſtrem in Nummo non obſcure Corona ambit, adeòque Regis cujusdam tutius Statua creditur. Et quid ſi Hannibalis, cui, dictô Athenæò teſte, per ſpeciem venationis Urbs prodita eſt? Id mera conjectura foret, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Veſtitum

tum potiùs intueamur. Quid prohibet, ut amictum Tarentinum hîc agnoscam, quem Authores passim celebrant, Ταραντινίδιον dictum? Me judice non facies, respondit DULODORUS; Militaris enim hæc est vestis, cum Tarentina muliebri mollitie diffametur. Audi Athenæum L. XII. Ἐφόρουν δὲ φησι καὶ παραφὴν διαφανῆ, πάντες ὅις νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος, *vestes*, inquit, *textiles pellucidas omnes gestabant, quibus nunc luxuriat molliusculorum feminarum cultus.* Ita & Julius Pollux Lib. VII. c. 17. Ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔνδυμα, ὀνομασμένον ἀπὸ τῆς Ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς. *Tarantinidion perspicua vestis est, à Tarantinorum usu, & luxuria denominata.* Quomodo hoc ad Thoracem, quem in Nummo cernimus militari robore consarcinatum? Sed hæc in medio relicta sunto! Aureum adhuc Tarentinorum Numisma

Inspicere operæ pretium est, ut raritate, ita & obscuritate memorandum. Obscuritate? iteravit ARCHÆOPHILUS; At in Thesauro Palatino sub Minerva Te protulisse memini Deæ cultum, quem eo in tractu frequentem, ex Fano ejus apud Salentinos docuisti: Imò & Deæ studia, quæ Tarentini imitati, non laude bellicâ tantùm, sed & Eruditione præstiterint. Non vanè mihi videris idassensuisse, cùm constet Pythagoricam eos Philosophiam assumsisse, & Architæ rerum summam credidisse. Inde sanè & aversæ ratio plana videtur; Quid enim sub Delphinorum bigis Tibi imagineris, si non Victoriam, quam subscriptio arguit? quamque & in superioribus Taras prætulit? Addere posses & Noctuam Numismatis primi, inquit DULODORUS, nam & hanc Minervæ sacram novimus, sed illud utique in Nummo ambiguum est, an subscriptio ad Victoriam pertineat, an vero *Nicon* Tarentinorum Dux sub ea lateat, de quo Livius: *Duo ex Ducibus*, inquit, (L. XXVII. c. 16. ubi de Tarento à Romanis capto verba facit) *NICO & Democrates fortiter pugnantes cecidere.* Ita & ambiguum est, an Taras, an Neptunus, an alius quis bigas Delphinorum agitet? Neptuni cultum ex Horatio intelligas L. I. Od. 28. Ubi *sacri custodem Tarenti* vocat: Et ei non minus ac Herculi, Tarantem ipsum templa erexisse ad d. l. Chabotius observat. De Tarante Neptuni Filio jam supra vidimus, vidimus & de Phalantho, ad quem & ipsum Delphini pertinere possunt. Quemcunque præferas, vel Victoriæ vel pacis index est, Victoriæ si ramum Lauri ejus in manibus arbitreris: Pacis, si ramum Oleæ; Ramum enim, non Tridentem hîc esse, folia evincunt, clariora, quàm ut de iis dubitare posses.

Mihi Victoriæ ratio potior videtur, inquit ARCHÆOPHILUS. Victoriam non excluserim, respondit DULODORUS, quanquam & Pacis esse possit, præsertim cùm Olea Minervæ sacra fuerit, quæ in adversa visitur. Et quid si hoc Numismate portus Tarentini situs præfiguretur? Arcibus præesse Minervam vulgò innotuit: Et Portûs Tarentini claustra in arcis potestate fuisse, Polybius Author est. Quid si Minervæ secundum quosdam origo, quam ex Polyphe & Neptuno ortam, ex Isæo & Mnasea discimus? Quid si Tarentinorum à Lacedæmoniis ortus? In Laconia Minervam Agoræam, Paream, Cypariſſiam,

Ophtal-

Ophtalmitin, Aſtrateiam fuiſſe cultam: Imò & Minervæ ſignum dicâſſe Tarenti Conditores, antequam proficiſcerentur, ex Pauſania diſcimus. Et cùm Tarentinis cum Lacedæmoniis ſimilia multa, tam in agro quam in Urbe fuiſſe, Polybii teſtimoniô conſtet, quidni & Minervam adorârint, quæ tot cognominibus in Laconia fuit culta? Miror, inquit ARCHÆOPHILUS, non tam de Minerva, quàm de Delphinis, quî videlicet tantùm non in omnibus Tarentinorum Numiſmatibus, hic maris incola dicam, an Princeps? fuerit expreſſius? Nihil miraberis, inquit DULODORUS, ſi cogites non tantùm originem, de qua abundè dictum eſt, ſed & maris commoditatem, cujus beneficio præcipua Tarentinis felicitas obvenit. Egregius ea de re locus eſt apud Polybium, in Excerptis L. X. Sed longior quàm ut huc transferri debeat. Succedit

METAPONTINORUM
FELIX AGRICULTURA.

Nec ad hæc Numiſmata, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid dicere opus ſit, video. Ad Spicas & Cererem, ex Strabone & Euſtathio in Dionyſ. conſtat, *tantô ſucceſſu Metapontinos coluiſſe terram, ut & auream meſſem Delphis dedicaverint.* Ad Palladem occurrit Deæ templum, in quo, Juſtino memorante, *ferramenta oſtendebantur, quibus Epeus Equum Trojanum fabricaverat.* Ad caput barbatum ſe ſiſtit vel Mars Numen Thracicum, eô quòd ſecundum quorundam opinionem Metaponti Conditor Daulius fuerit, Tyrannus Criſſæ apud Delphos, quam & Tereus Martis filius obtinuit: vel Leucippus, cujus nomen ſexto in Numiſmate legitur, ad condendam Coloniam ab Achæis miſſus: vel denique Hannibal, ad quem Metapôntini contra Romanos memorantur defeciſſe.

Hinc

Hinc ſanè & literæ AMI interpretationem mutuari poterunt, niſi potiùs ad Herculem eas referas, ſecundum illud Horatii:

— — — *Dives AMICO*
Hercule. — —

Ita & Avicula & fulmen, ex ampliſſimis, quæ Jovi Olympico miſerunt, Metapontinorum donariis lucem mutuantur; Iis enim Jovis ipſius ſimulacrum interfuiſſe, Pauſaniæ memoratur, alterâ manu fulmen, alterâ avem præferentis. Quid præter ea deſiderem? Ut demonſtretur, reſpondit DULODORUS, caput barbatum alius non eſſe, quàm Martis; Præter enim quòd Mars hoc habitu etiam in Bruttiorum, aliorumque Numiſmatibus proſtat, Caput *Galli* primo in Numiſmate, & *Canem* in Numiſmate ſexto cernimus, animalia, ut vulgò notum eſt, Marti ſacrata.

De Gallo res trita eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed de Cane adhuc dubitem. Phurnutum adi, reſpondit DULODORUS: *Mars*, inquit, *dicitur homicida, & hominum pernicies, & clamoſus, & æſtro percitus, quòd maximus ferventi negotio à pugnantibus ſuſtollatur clamor: Ob quam etiam cauſam nonnulli Aſinos quoque ei mactant, ob turbulentum & acutum rugitum; ſed plurimi CANES, ob ruditatem & moleſtiam animantis.* Sed de his utique patet. De literis AMI adhuc dicendum, neque enim, quod de *Hercule Amico* adfertur, cùm Latinum ſit, Urbi Græcæ convenire videbitur. Potiùs, uti in Tarentinorum Numiſmatibus, ita & hîc quidam Coloniæ ductor, & quid ſi Leucippi Comes? denotari poterit. Ad Minervam addendum, Ariſtotele teſte, *Helleniam* dictam eſſe. Fortaſſis, excepit ARCHÆOPHILUS, Minervæ etiam *Iliacæ* hic ratio eſſe poterit, hanc enim & Romæ, & Lavinii, & Luceriæ, & Siritide cultam, Strabo teſtatur. Siris autem, teſte Stephano & Euſtathio, eadem fuit, quæ poſtea à Metabo, filio Siſyphi, barbaris Metabum, Græcis autem Metapontum dicta eſt. Si res ita ſe haberet, ait DULODORUS, etiam de Hercule liqueret, Siriñ enim Heracleam vocatam Plinius Lib. III. c. 11. Author eſt; Sed notandum, falli & Stephanum & Euſtathium, Metapontum enim à Siritide diſtare, ex Strabone docemur. Hæc ſi ita ſint, perrexit ARCHÆOPHILUS, Clavæ utique nihil lucis remanet. Quidni? reſpondit DULODORUS. Uti ſub Capite Martis originem à Thracibus, qui ſub Terei Martis filio fuerunt, ita ſub Clava, non minus ac ſub Cerere & Minerva, origo ab Achæis latere poterit; Ceres *Panachæa*, & Minerva *Panachæis*, & Hercules *Buraicus* in Achaia, teſte Pauſania culti, rem in aprico ponunt.

De capite Bovis adhuc audire placet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; neque enim, quò fine in Numiſmatibus Metapontinorum occurrat, facile dixero, & cùm incuſum ſit, neque rationes ſignaturæ aſſequor. Caput Bovis, reſpondit DULODORUS, ex Agricultura interpretationem mutuatur, de quâ ſuprà; Ratio ſignaturæ obſcura eſſe non poteſt. Cum figura, maſſæ argenteæ incuſa ſit, utique clarum eſt, eam in Matrice, quam vocant, non cœlatam, ſed ex ea elevatam fuiſſe, eô planè modô, quò hodienum artis hujus peritiſſimi, Numiſmatum & Figuras & Inſcriptiones ex Chalybe elevare, & elevatas in matrices incutere ſolent, ex quibus poſtea rurſus elevatæ in Numiſmatibus prodeunt. At mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, error ſignaturæ hic videbatur, inde ortus, ſi Numiſma quoddam percuſſum ex ſuperiore matrice fortè non eximeretur, undè poſtea neceſſe fuerit, Figuras ejus ſubſtratæ laminæ eô modô imprimi, quô & in hoc Metapontinorum Numiſmate cernimus. Res credibilior eſt, quô rariora ſunt ejus exempla, cùm plura procul dubio proſtarent, ſi ex προαιρέσει procederent. Paucitas exemplorum, reſpondit DULODORUS, contra me

nihil facit, cùm Ingenii politioris hic fœtus esse possit, qui ut à communi more interdum recedit, ita & raritate sibi pretium conciliare solet. Cæterùm nec Numismatis percussi Figuræ elevatæ ejus duritiei sunt, ut denuò argenteam massam frangere, eique ita immitti possint, nec omnia exempla rationem admittunt; Si enim valeret, eadem Figura, quæ in aversa elevata cernitur, eadem etiam in adversâ incusa constanter deberet reddi: Nam si residet in superiore matrice, necessariò inferioris Figuram denuò massæ argenteæ imprimit, quæ & ab altera elevata redditur. Sed hoc in Numismatibus perpetuum non est, uti vel ex proposito intelligas, in quo non eadem Figura, spica videlicet, sed diversa planè, caput Bovis redditur. Sed alia succedunt Metapontinorum Numismata,

Licet à prioribus, quod ad sensum attinet, in paucissimis distincta. Aratrum, quod in primo præter Cererem & spicam visitur, ad eandem utique Agriculturæ felicitatem apertè pertinet. Verba subjicere placet, ut res eò clarior sit. Ita Strabo Lib. VI. Ἑξῆς δ' ἐστὶ Μεταπόντιον, εἰς ἣν ἀπὸ τοῦ ἐπινείου τῆς Ἡρακλείας εἰσὶ σταδίοι μ. πρὸς τοῖς ἑκατόν. Πυλίων δὲ λέγεται κτίσμα τῶν ἐξ Ἰλίου πλευσάντων μετὰ Νέστορος, οὓς οὕτως εὐτυχῆσαι ἀπὸ γεωργίας Φασὶν, ὥστε θέρος Χρυσοῦν ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι. *Subsequitur Metapontium, à navali Heraclea dissitum stadiis CXC. Conditum ajunt à Pyliis, qui cum Nestore ab Ilio navigarunt. Hos tantô successu terram coluisse ferunt, ut AUREAM ÆSTATEM Delphis dedicaverint.* Eadem habet & Eustathius, nisi quod messem auream θρυλλούμενον *famosissimam* appellat.

Hæc patent, inquit ARCHÆOPHILUS, patet & caput cornutum illud, quod in tertio exhibetur; memini enim Te Junonem id, vel Sospitam vel Ammoniam interpretari, illam, quòd in Romanorum Nummis occurrat, hanc, quòd, teste Pausania, Eleis hæc culta, Pylus autem tertia Eliaca fuerit, cujus incolæ, ut modò audivi, cum Nestore ab Ilio profecti, Metapontum condiderunt. Si subsistas, respondit DULODORUS, licebit, quanquam & aliud adhuc videri possit: Scilicet, ut spica ad Cererem pertinet, ita caput cornutum ritè non Junonem, sed Bacchum interpretaberis; Bacchum enim cornutum fingi quis nescit? quis nescit nebride amiciri solere? Ita nec Laurea obstat, cùm & hâc coronari solitum, ex Homero planum sit, cui

Κισσῷ καὶ Δάφνῃ πεπυκασμένος,
Hederâ & Laurô ornatus,

in Hymno vocatur. Sed libera in his cuilibet sit opinio. Junonem enim &

ipsam

ipſam non pelle tantùm, ſed & cornibus inſignem in Nummis cernimus, & templum ejus, vitigineis columnis celebre, Metaponti fuiſſe, Goltzius obſervat. De quarto Numiſmate quid dicam non habeo, Veneris in eo caput eſt, procul dubio, quòd & Metaponti coleretur, eôdem modô, quô caput Mercurii apud Goltzium. Sed ultrà progredimur. Inter duos amnes, Crathim & Sybarin, ſubeunt

THURINI ATHENIENSIUM COLONI.

ID ex effigie Palladis Te memini monſtrâſſe, inquit ARCHÆOPHILUS, eò quòd Athenienſes Lampone & Xenocrito Ducibus Sybaritas reduxerint, ſedibusque poſitis, à fonte vicino Thurium appellaverint. Sed Diodorus Apollinem ſe pro Thuriorum Conditore ſcribit tuliſſe, idque eò lubentius crederem, quò recentiore adhuc memoriâ hæret, quod ſupra ad Gemmas ex Fortuitis Tolli docuiſti, Apollinem ſcil. à Tauris, qui Chaldæis Θωρ dicebantur, *Thurium* appellatum eſſe. Et quid ſi eodem etiam alluſerit Auguſtus, qui non tantùm Apollinis honores affectavit, ſed & *Thurinus* dictus eſt, eamque ob rem, ut mihi quidem videtur, in Numiſmatibus quibusdam Taurum eôdem modô cornupetam expreſſit, quô & in propoſitis Thurinorum Nummis viſitur. De Auguſto arguta eſt conjectura, inquit DULODORUS. Quod autem ad Apollinem attinet, is ſe Thurii Conditorem jactare poteſt, quòd Athenarum Præſes fuerit, uti ſuprà ad Poſidonium dictum eſt, non minus ac Minerva; Imò etiam, quòd in Italiam navigaturos, ſuô Oraculô impulerit, id quod ex Diodoro diſcimus. Quicquid autem Apollo de ſe jactaverit, quicquid & re ipsâ honoris meruerit, in Numiſmatibus tamen ejus ratio non eſt, procul dubio, quòd Minervæ typus rem indubiè ad Athenienſes deduceret.

Minervæ Caſſidem, inquit ARCHÆOPHILUS, variis inſignibus video ornatam, in primo Numiſmate *Oleæ ramus* eſt, in ſecundo *Triton* aut *Sirene*, in tertio *Pegaſus marinus:* Hæc quid ſignificent, lubenter equidem docerer. Sirene & Pegaſus, reſpondit DULODORUS, maris monſtra ſunt, iterque Athenienſium maritimum, vel etiam Urbis ſitum deſignare poterunt, non minus ac Piſcis, quem ſub Tauro cernimus. Ramus Oleæ Olivi memoriam renovat, de quo Amphis apud Athenæum Lib. I.

Τὸν Θουριοις τ' ὀυλαιον. *In Thuriis OLIVUM.*

Quanquam & nude ad Oleam Minervæ ſacratam pertinere poſſit. Ad Piſces, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, idem Athenæus occurrit, Sybaritas, quorum in locum Thurii ſucceſsêre, Piſcatoribus memorans immunitatem à Tributis deciſſe, eôdem modô, quô & iis, qui marinas purpuras venabantur. Imò, perrexit DULODORUS, potius *obſonii Thuriani* meminiſſe potes, nam hoc piſcis marini, quem communiter *Canem* appellant, fructum eſſe, ejusdem teſtimonio conſtat. Ad Taurum non arbitror pluribus eſſe dicendum, cùm vel terræ fœcunditatem, de qua Diodorus, vel bella cum vicinis, vel certe appellationis rationem ſub eo latere poſſe, in Theſauro Palatino docuerim. Si tamen placet, poteris & ad ſacrificium Minervæ reſpicere; Bove enim Athenis Minervæ ſacrum factum, Eruditiſſimus Meurſius obſervat, Lect. Attic. Lib. III. c. 22. De terræ fœcunditate, regeſſit ARCHÆOPHILUS, neſcio an ſuffragari poſſim. Sybaritarum enim agrum valde fertilem non fuiſſe, Athenæus aſſerit. Diodorus, inquit DULODORUS, contrarium habet, Thurios agrum incoluiſſe aſſerens, frugum feraciſſimum, & ne de vino dubites, Strabo & Plinius faciunt; Ille L. VI. Hic Lib. XIV. c. 6. Cæterùm & habitus taceri meretur inſpici, is enim in Urbis appellatione continetur; Θορεῖν, uti ad Gemmas diximus, eſt *cum impetu impulere*, indeque non miraberis, quòd etiam ad bella cum finitimis reſpexerim, eâdem enim ratione apud Suidam Θοῦριος Ἄιας, & Θοῦριος Ἄρης Homero vocantur. Ad Æſarum fuit

CROTON
CONSILIO APOLLINIS CONDITA.

CRotonem à Crotone, ſocio Herculis, conditam, M. Porcius Cato in libro Originum prodidit. Diodorus ab Hercule ex Sicilia reduce Crotonem hoſpitem per imprudentiam narrat cæſum, cognitôque facinore, ſplendido monumento honoratum, prædictumque, defuncti nomine ibidem aliquando Oppidum futurum. Ovidius, quamvis nullâ nec nominis, nec cædis factâ mentione, tamen Herculem non tantùm Urbem futuram promiſiſſe canit, ſed & Myſcello, lapidoſas Æſaris undas ut peteret, per ſomnium juſſiſſe, tergiverſantemque minis adegiſſe, tandemque patriæ deſertæ damnatum, verſo in album nigro lapillorum

lorum colore, eum liberâſſe. Ex his, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, capiti Leonis ſpoliis ornato, lux clariſſima affulget; Niſi enim Hercules eò adumbretur, poterit Milo credi, quem & ipſum in bello contra Sybaritas, Herculis ritu, præter clavam, Leoninam etiam pellem geſtâſſe Goltzius obſervat. Addi poteſt, & majore forſitan jure, tertius, reſpondit DULODORUS, ipſe videlicet Croton, quem inſcriptio deſignat, ſive Urbem ad Catonis effatum is condiderit, ſive ad aliorum opinionem ei nomen dederit. Quicquid ſit, Apollinis conſilio Crotonem conditam, ex averſæ Tripode cernimus; de ea re proſtant Strabonis verba. *Ferunt*, inquit, *unâ Delphos veniſſe Myſcellum & Archiam, Oraculum conſulendi gratiâ, interrogatosque à Deo, divitias mallent an ſanitatem? Archiam opes ſibi optâſſe, ſanitatem Myſcellum, Deumque illi ut Syracuſas, huic ut Crotonem conderet mandâſſe. Atque ita Crotonienſibus evenisse, uti tam ſalubrem incolerent, ut diximus, Urbem.* Ex his verbis utique ratio Tripodis, quam & Pythicam & Delphicam ex adjectis literis ΠΥ. & Δ. agnoſcis, abundè liquet, & clarior adhuc fit ex Crotonienſium pietate, quâ, quibuscunque in anguſtiis ad Deum hunc confugiſſe memorantur. Exempla ſunt apud Juſtinum, ſemel quando ob irritatam Dianam, peſte & ſeditionibus vexabantur. & iterum, cùm adverſus Locros tenderent. Quidni etiam, cùm contra Sybaritas pugnarent? Id ex Numiſmate tertio patere poteſt, ubi ſpica Tripodi adjuncta viſitur, quæ procul dubio Numiſma poſt devictos Sybaritas percuſſum arguit. Croton enim ſanitate magis quàm fertilitate excellit, at Sybaris Crotonem fertilitate tantùm ſuperavit, ut & Myſcellus eam prætuliſſet, niſi ab Oraculo ad condendam Crotonem his verbis fuiſſet remiſſus;

Gibboſe! incaſſum Myſcelle aliena requiris,
Vanaque venaris, quæ dantur dona probato.

Victoriam de Sybaritis, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam ſi Aquila & Lauri ramo Te agnoſcere memini. Si res minus placet, reſpondit DULODORUS, poteris etiam ad ſanitatem reſpicere, cùm Apollo Salutaris in Numiſmatibus Lauri ramum prætendat: Poteris ad Vaticinia, quorum authoritas Crotonienſibus Potentiæ auſpicium dedit. Sed ad finem properamus. Inſolitam literæ K. figuram ut obſerves velim; ea ſimili modò etiam in Numiſmatibus Syracuſanorum infrà producendis viſitur, viſitur & in pluribus aliis hinc Palladis caput, inde Pegaſum cum eâdem literæ Figurâ exhibentibus, quæ proinde nullus dubito, quin ad Corinthum ſpectent, Syracuſarum Metropolim; Corinthiorum enim Numiſma cum Pegaſo, Pullum dictum, ex Julio Polluce diſcimus. Inter Crotonem & Scyllatium jacebat

PETILIA



Petilia *Lucanorum Urbs primaria* Straboni dicitur. Livio in Bruttiis ponitur. Numiſma hinc Jovis caput, illinc Jovem fulmen jaculantem exprimit. Miror, inquit ARCHÆOPHILUS, quâ ratione Petilini Jovem ſignaverint, cùm ta-

men ad exprimendas origines omninò Herculem ſignâſſe deberent; Petiliam enim Herculis ſocius Philoctetus condidiſſe fertur, id quod Virgilius tangit Lib. III.

Heic illa Ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Nihil miraberis, inquit DULODORUS, ſi conſideres, plus Patriæ quàm perſonis in ejusmodi monumentis tribui ſolere. Patria Philoctetæ Melibæa fuit, Urbs ſecundum quosdam Theſſaliæ, ſecundum quosdam Macedoniæ. Quamcunque præferas, Jovem habebis ſummâ religione cultum. De Macedonia ſuprà ad Numiſmata Philippi & Alexandri M. vidimus, de Theſſalia videbimus infrà ad Theſſalorum Numiſmata. Quanquam quid inde rationes accerſo, cùm tamen eadem procul dubio valeat, quæ & in Bruttiis? An ob fortitudinem? quod Jovis auxilio ſe hoſtes ſtraturos crederent? Eò usque enim Romanis fideles fuére, ut bellô Hannibalicô à Pœnis obſeſſi, Athenæo & Livio teſtibus, coria & arborum cortices commederint; An ob Cultum, quô procul dubio Deorum hunc Principem proſecuti ſunt? Numiſmata Petilliorum mihi in mentem veniunt, excepit ARCHÆOPHILUS; In iis Jovis eſt & caput & templum, an quod Petillii à Petilia denominarentur. Petillios, reſpondit DULODORUS, à Petilia denominatos, Turnebus arbitratur, ſed nullô, quem ſciam, Authore; Jovis caput & templum ad rem nihil faciunt; adjectum enim *Capitolini* cognomen abundè arguit, non Jovem Petilinorum, ſed Capitolinum eô exhiberi, idque ideò, quòd Petillius, cùm eô tempore Capitolii curam habuerat, quô furto inde ſublata eſt corona aurea, ita cauſam ſuam egerit, ut eô crimine ab Auguſto planè fuerit abſolutus, de qua re videri poteſt Horatius Sat. IV.

Alia conjectura ſubit, inquit ARCHÆOPHILUS; Servius Petiliam *ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι à volando* deducit, quod captatô auguriô fuerit condita; Conſtat autem non aves tantùm volare, ſed & fulmen, quod eam ob cauſam in Nummis alatum cernimus, quodque Jupiter in Numiſmate vibrat. An Etymon valeat, reſpondit DULODORUS, dubium eſt, nam alii à Latino *Petilo* deducunt, quod *exilem* & *parvum* ſignificet, quâ ratione & Maroni *parva* vocatur: Alii, imò ipſe Servius, à *petendo*, quod poſt relictum Ilium, quò ducebatur à Græcis, eam Philoctetes Civitatem petierit; Sed piget Grammaticorum nugis diutiùs inhærere. Illud prætermitti non debet, quod eôdem Serviô authore Cato ait, à Philocteta ſcil., conditâ jam dudum Civitate, murum tantùm factum. Hoc ſi verum, utique Jupiter non tam ad Philoctetæ patriam, quàm ad cultum Dei apud Bruttios & Lucanos pertinebit, id quod ſimilia planè in Bruttiorum Nummis ſimulacra evincunt. Superatô Cocintô Promontoriô, occurrunt

CAULONIATÆ
AB ACHÆIS ORIUNDI.



NUmmum ſecundum, etiam in Gaza Medicea exſtantem, præclarum vocat L. Holſtenius, in Notis ad Stephanum. Primus habetur apud Goltzium, qui

qui in quibusdam & Dictamum herbam, in adversa autem Jovem imberbem agnoscit, aitque, iis symbolis Cretenses ob Jovis in Creta educationem se reperisse usos, indeque colligi posse, Cauloniam ante Achæorum, quorum colonia ea dicitur, adventum, Cretensibus fuisse habitatam. At nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, in Creta Cervi non fuére. Non fuére, respondit DULODORUS, nisi in Cydoniatarum Regione, uti Plinius testatur. Quicquid sit, Achæam Civitatem Cretæ fuisse, indeque Cervos *Achainos* dictos, Scholiastes Apollonii tradit, quem tamen cum sequacibus, refutat Salmasius ad Solinum, nomen id ætatis esse demonstrans, à cornibus, adhuc in lanæ similitudinem mollibus. Si à Civitate nomen deduceretur, subjecit ARCHÆOPHILUS, fortè non ab Peloponnesiaca, sed à Cretica Achaia Cauloniatas descendere putares, eò quod Goltzio teste, symbola in Nummis expressa Creticæ conveniant. Quomodo conveniant, inquit DULODORUS, non video; neque enim, quod de Dictamo Goltzius affert, ad Cervos, sed ad Capras pertinet, uti patet ex Æliano Var. Hist. L. I. c. 10. Indeque Per-Illustris SPANHEMIUS non abs re de Dictamo in Cauloniatarum Nummis dubitat. Quod ad Achaiam Creticam attinet, licet ab hac Cauloniatæ descendissent, tamen nec Peloponnesiaca excluderetur, Cretica enim & ipsa à Peloponnesiaca ortum traxit, id quod inde colligas, quod Achæos Cretam habitasse Homero memorantur Odyss. XIX.

Si Cervi Achææ Creticæ non conveniant, inquit ARCHÆOPHILUS, ad hanc respicere operæ pretium non est, potiùs in Cauloniæ situ Numismatum ratio videbitur quærenda, cùm prius Aulonia ea vocata fuerit, propter adjacentem convallem, uti Strabo testatur: Convalles autem venationibus aptos, quis nescit? Non contradico, inquit DULODORUS, quanquam non subsistam, in Cervo enim etiam Cauloniæ originem arbitror adumbratam. Ab Achæis Cauloniam conditam Strabo Author est, & in Achaia Cervos fuisse Pausanias testatur. Ὁδὸς δὲ, inquit, ἐξ Αιγείρας εὐθεῖα ἀπὸ τοῦ Ἱεροῦ τοῦ Διὸς διά τε ὀρῶν καὶ ἀναντῶν ἐστῶσά ἐστι. Μῆκος μὲν δὴ τῆς ὁδοῦ τεσσαράκοντά εἰσι σταδίοι. ἄγει δὲ ἐς Φελλόην, πόλισμα δὴκ ἐπιφανὲς, οὐδὲ ἀεὶ ὠκεῖτο καὶ Ἰώνων ἔτι ἐχόντων τὴν γῆν, τὰ δὲ περὶ τὴν Φελλόην ἐς φυτάλιαν αἰμπέλων ἐστὶν ἐπιτήδεια. Καὶ ὅσα πέτρωδη τῆς χώρας, ὀρῦς τέ εἰσι καὶ δυσπρόσοδοι. ΕΛΑΦΟΙ καὶ ΤΣ ἄγριοι. *Rectà ab Ægira descendentes à Jovis templo, & per montis ardua, stadium undecim nihil brevior, Phelloen via ducit. Castellum id est minimè clari nominis. Nam neque Jonibus quidem ea loca tenentibus perpetuò incolebatur. Ager vites feliciter educat, eâ, quâ maximè saxosus est, parte Quercus, & feræ, CERVI imprimis, & Apri.* Vides ARCHÆOPHILE, Cervos in Achaia fuisse; Ægiram enim Achaiæ Urbem esse, Stephanus & alii prodidére. Vides & Jovis rationem, qui in Nummo visitur; Jovis enim templum hoc in loco, Pausaniæ memoratur, fuisse.

Ad Jovem Homorium arbitrabar respiciendum, subjecit ARCHÆOPHILUS, eò quod Cauloniatæ, initô cum Crotoniatis & Sybaritis fœdere, templum huic Deo publicè statuisse, ubi de rerum summa in commune consuli posset, apud Polybium legantur; Sed juxta in mentem venit & Harduini opinio, qui ad Jovem & Cervum in his Nummis, locum Regii Vatis Ps. XXVIII. ℣. 9. attulit: *Vox Domini præparantis Cervos:* quæ verba de tonitrui fragore accipi oportére Interpretes monent, cujus metu Cervarum partum accelerari, Vates ait. Appositè sanè ad Jovem juxta Cervos in Numismate fulminantem, licet ad Jovem dubium esse possit; quid enim in altero vittæ à brachio dependentes? quid in altero Icuncula brachio insistens? Vittæ, respondit DULODORUS, quòd Sacrorum ornamenta sint, commodè ad cultum Deorum retulerim, quod Jovis ope is apud Cauloniatas viguerit. Icuncula vel currentis, vel & ipsa jaculantis

figuram

figuram præfert. Si posterius, poterit ad Venationes reduci, Jovis beneficio Cauloniatis non minus ac Achæis felices; Sin prius, poteris Diconis meminisse, Callibroti filii, qui, Pausania teste, quinque è Pythico curriculo, duas ab Istmico, quatuor è Nemeis, ex Olympicis unam de pueris, duas de Viris palmas tulit, cuique totidem Statuæ positæ memorantur. Puer hic Cauloniates, sicut fuit, renunciatus est; at Vir factus, Syracusanus ut nominaretur, pretio obtinuit. Sed vocant nos

LOCRORUM EPIZEPHYRIORUM VICTORIÆ.

EPizephyriis, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc Numismata addicis, cùm tamen nulla in iis à reliquis Locrensibus differentia appareat. An nescis etiam Ozolos fuisse? fuisse Epicnemidios? fuisse Opuntios? Quid si ad horum aliquos Numismata referenda sint? Res expressæ, respondit DULODORUS, horum nullis quadrant, Epizephyrios autem apertè illustrant. Quid enim? Annon Dioscuri Numismatis primi indubiè ad eos pertinent, quos à Lacedæmoniis, contra Crotoniatas auxilia petentes, in solatium retulere, & deinceps fidos Propugnatores experti sunt? Annon Aquila vel à Jove protensa, vel κεραυνοφόρος cum ramo palmæ, ad eam, quæ à pugna non recessit, donec Locri vincerent? Justinus rem pluribus tradit, cujus verba denuò adscribere piget. Recenti, regessit ARCHÆOPHILUS, adhuc memoriâ rem teneo, sed Pausanias me turbat, qui Locros Epizephyrios non Dioscuros Lacedæmone, sed Ajacem Oilei filium, à Locris Opontiis in auxilium vocasse asserit, idque ob eam, quæ ipsis cum Opuntiis intercederet propinquitatem. Crotonienſium hoc commentum erat, respondit DULODORUS, Strabo autem Locros Epizephyrios non Opontiorum, uti Ephoro videbatur, sed eorum, qui in sinu Crissæo habitant, colonos esse, ab Evanthe deductos, non multò post Crotonem & Syracusas conditas, Libro sexto memorat; quanquam, forsan verius, à Lacedæmoniis eò Coloniam deductam asseram, eôque & Justino & historiæ de Dioscuris fidem faciam. Pausanias, quem contra me adduxisti, hâc in re pro me est. In Laconicis ita habet: Τελευτήσαντος δὲ Αλκαμένους, Πολύδωρος τὴν βασιλείαν παρέλαβεν ὁ Αλκαμένους, καὶ ἀποικίαν τε ἐς Ιταλίαν Λακεδαιμόνιοι τὴν ἐις Κρότωνα ἔστειλαν, καὶ ἀποικιαν ἐς Λόκρους, τοὺς πρὸς ἄκρᾳ Ζεφυρίῳ; *Alcamene mortuo, Regnum accepit Polydorus, ejus filius:*

filius: Et Crotonem, in Italiam Lacedæmonii coloniam deduxerunt, & alteram LOCROS ad Zephyrium promontorium habitantes. Vides ARCHÆOPHILE, cauſam fuiſſe, cur Locri ad Lacedæmonios decurrerent: Vides cauſam eſſe, cur Dioſcuros potiùs ſecundum Numiſmata, quam Ajacem, Locrorum Propugnatores credamus. Cornucopiæ adhuc obſtat, ait ille; cum enim Locrorum ager ob ſoli aſperitatem coli difficilis fuerit, non video quâ ratione id in eorum Nummis potuerit exprimi? Imò reſpondit DULODORUS, cum poſt Victoriam de Crotonienſibus res Locrorum vel maximè floruerint, utique cauſa fuit, cur Cornucopiæ adjicerent, non fertilitati terræ, ſed Diis, quorum auxilio Victoriam obtinuiſſent, rerum abundantiam acceptam ferentes.

In ſecundo Numiſmate, perrexit ARCHÆOPHILUS, Caput muliebre cum face cerno, id quale ſit, ſcire cuperem: an *Dianæ*, quæ Lucifera facem præferre ſolebat? an *Cereris*, quæ facibus Proſerpinam quæſivit? an denique *Veneris*, quam & ipſam face inſignem inter Gemmas dediſti, cuique fortaſſe ſux ex voto, quod bello contra Leophronem Rheginenſium Tyrannum concepерunt, ſi victores forent, die Veneris feſto ſe Virgines ſuas proſtituturos? Dignum id Locrenſibus votum fuit, reſpondit DULODORUS, cùm aliàs etiam de mulieribus eorum apud Athenæum legamus, cujusvis libidini eas proſtitutas fuiſſe; Sed in Numiſmate proprie nec hanc, nec etiam aliam, vel Dianam vel Cererem crediderim, ſed omninò Cereris filiam *Proſerpinam*. Hujus enim templum extra Urbem fuiſſe, nec tantùm Pyrrhi Sacrilegium naufragiô ultam, ſed & hòc ipsò contra Crotonienſes bellô, templa ſua ſe defenſuram, illud munituris reſpondiſſe; imò & tunc, & ſæpè aliàs tutatam eſſe, Locrenſium Legatus, in pleno Senatûs Romani conſeſſu, apud Livium Lib. XXIX. c. 18. narrat. Verba adſcriberem, niſi multitudine tædioſa forent. Nota ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem Proſerpinam in Nummo probent, dubitari poteſt; Quid enim? an fax Proſerpinæ ſacra? Quidni? inquit DULODORUS. An excidit Nummus Cyzicenorum apud Seguinum, in quo non tantùm Proſerpina, ſed & duæ faces viſuntur? An excidit, profundiore ſenſu eandem eſſe cum Luna? cum Venere? cum Diana? cum Cerere? Apulejus non hoc tantùm, ſed & rationem Facis docebit L. XI. Metam. *Regina cœli*, inquit, *ſive Tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata ſiliæ, vetuſtæ glandis ferinô remotô pabulô, miti commonſtratô cibô, nunc Eleuſinam glebam percolis: ſeu tu Cœleſtis VENUS, quæ primis rerum exordiis, ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti, & æternâ ſobole humanô genere propagatô, nunc circumfluô Paphi ſacrariô coleris: Seu PHOEBI SOROR, quæ partu ferarum medelis lenientibus recreatô, populos tantos educâſti, præclarisque nunc veneraris delubris Epheſi: ſeu nocturnis ululatibus horrenda PROSERPINA, triformi facie larvales impetus comprimens, terræque clauſtra cohibens, Lucos diverſos inerrans, vario cultu propitiaris, iſta LUCE fœminea conluſtrans cuncta mœnia, & nudis IGNIBUS nutriens læta ſemina, & ſolis ambagibus diſpenſans incerta LUMINA.* Vides ARCHÆOPHILE, facem Proſerpinæ convenire: Vides cum reliquis Deabus reverà eandem fuiſſe. Quid ultra deſideres? Cultûs apud Locros originem, inquit Ille. Origo, reſpondit DULODORUS, à Lacedæmoniis videtur deſcendere, apud hos enim Proſerpinam Φλοιὰν & Πηρεφόνειαν cultam, Heſychius author eſt; Φλοιὰν, inquit, τὴν κόρην τὴν Θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες. *PHLOEAM, Proſerpinam Deam ita appellant Lacones:* & alibi Πηρεφόνεια, Περσεφόνεια, Λάκωνες. *PEREPHONEA, Proſerpina, Lacones.* Adeò ut etiam hinc originem Coloniæ à Lacedæmoniis agnoſcas. Idem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, fortaſſis etiam ſub Jove fecero; Jupiter enim cognomentis, Σκοτίτας, Ἐπιδότας, Λακεδαίμων & Οὐράνιος,

apud Lacones cultus ex Pausania, Hesychio & Herodoto noscitur, & cùm in aversa Aquila Lepori infesta occurrat, procul dubio Numisma ad eandem de Crotoniensibus Victoriam ritè retulero, ad quam & Jovem Aquilam præferentem. Harduinus tecum sentit, respondit DULOIDORUS; sed mihi alia mens: Leporem in Numismatibus Rheginos expressisse, Julius Pollux author est, expressisse & Messanenses, eorum Numismata hodienum arguunt. Rheginorum Tyrannus Messanensiumque Conditor Anaxilas fuit, qui Lepores primus in Siciliam intulit. Hæc cùm ita sint, non Victoria de Crotonienſibus, tunc enim Rhegini à Locrorum partibus stetére, sed omninò alia quædam vel contra Rheginos, vel contra Messanenses, vel contra illorum Regem, horum autem Conditorem Anaxilam, sub Aquila Lepori infesta erit intelligenda. Anaxilam primum ferunt, cum quo Locrenses belligeràrint; sed non vicerunt, potiùs victi memorantur, & nisi Hieronis minæ interceſſissent, etiam deleti fuissent. Ita de hoc Numisma interpretari historia vetat, nisi fortè sub Aquila Jovis, Deo grates Locrenses videantur persolvisse, quòd hostem, cui ipsi pares non erant, potentiore tamen metu constrinxisset; Et quid si Hieronis etiam Victoriam, de Pœnis ad Himeram reportatam, hoc schemate celebrant, de quo plura ad Agrigentinorum Numismata dicemus? Quanquam etiam ad Messanam respicere possis, hanc enim, cùm Athenienſibus se dedidisset, iis aliquoties devictis, per dolum memorantur recepisse. Sed ad alia pergimus. Ad Fretum Siculum in extremo Italiæ apice habitarunt

RHEGINI
CHALCIDENSIUM Et MESSENIORUM COLONI.

ID quod vel unicô Strabonis testimoniô demonstratum est: *Rhegium*, inquit interprete Xylandro, *à CHALCIDENSIBUS conditum est, qui cùm ex decimatione APOLLINI propter sterilitatem essent consecrati, eò deinceps à Delphis commigrâsse feruntur, domô sibi etiam aliis adscitis. Antiochus scribit, CHALCIDENSES à Zanclæis evocatos, principemque Coloniæ Antimnestum iis constitutum fuisse. In hujus Coloniæ societatem, venerunt etiam exules MESSENII PELOPONNESII, qui ejecti erant factione suorum, recusantium pœnas dare Spartanis, ob violatas in Limnis virgines, quas Messenii missas ad rem sacram*

ſacram per vim ſtupraverant, trucidatis etiam, qui eam defendere volebant. Exules ergò, cùm Maciſtum receſſiſſent, miſerunt Delphos, expoſtulatum cum APOLLINE & DIANA, quòd eâ ipſos fortunâ uti ſinerent, vindicare injuriam Diis iſtis factam volentes, ſimulque quæſitum, ecquam rebus perditis ſalutem invenirent? Juſſit eos APOLLO, ſocios ſe adjungere Chalcidenſibus Rhegium migrantibus, ſuæque SORORI gratias agere: non enim periiſſe ipſos, ſed exitium evitâſſe, alioquin unà cùm patria perituros, quam paulò poſt Spartam eſſent exciſuri. Paruerunt Oraculo Meſſenii. Ideoque Rheginorum Duces usque ad Anaxilam, ſemper de genere Meſſenio fuerunt delecti. Ex his Strabonis præcipua Numiſmatum noſtrorum interpretatio dependet. Apollini Chalcidenſes ex decimatione ſacros memorat, & Apollinis effigies, Tripos & Cithara in Nummis ad oculum patent. Meſſenios in Coloniæ ſocietatem ait veniſſe, & eorum ratio eſt in Jove ſedente, quòd Jovis cognomento Ithomatæ Meſſenii & templum habuerint, & incunabula ſibi vindicaverint.

Sed quid caput bifrons? inquit ARCHÆOPHILUS. Utrorumque, reſpondit DULODORUS, & Meſſeniorum & Chalcidenſium ſub eo ratio eſt; Quid caput hoc explices, ſi non duos populos, concordi nexu in Civitatem concretos? Quid, ſi non Apollinem & Dianam? quarum alteri, ut dictum Chalcidenſes ſacri fuére, alteri ut gratias Meſſenii agerent, Apollo præcepit? Obtemperâſſe præcepto Meſſenios Dianæ templum evincit, quod non procul à Rhegio fuiſſe, ex Thucydide L. VI. docemur. In his excepit ARCHÆOPHILUS, haud difficulter aſſentior, de Capite Leonis autem, quod de potentia & ſitu Rhegii Te explicâſſe memini, non acquieſco. Quidni? reſpondit DULODORUS. Annon recordaris, quod jam ſuprà ſub Hecatomno deduxi? Leonem fortitudinis ſymbolum eſſe, quô ſenſu Homerus de Achille: *Utque Leo torvum adſpexit?* An neſcis in tumulo Thebanorum, qui contra Philippum in prælio ceciderunt, Leonem fuiſſe, ad deſignandam eorum animi magnitudinem? Tales ſanè non Rheginos tantùm, ſed & Chalcidenſes Rheginorum progenitores fuére: Et ſi de ſitu quæras, quidni terrorem adferam, qui Leonis capite etiam in Clypeo Agamemnonis expreſſus Pauſaniæ memoratur?

Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, caput Leonis ferreum oculos ferit, quod Pergami Libero Patri ſacrum, & cum admiratione ſpectatum, idem Pauſanias in Phocicis Author eſt, quanquam, quid ad Rhegium faciat, nondum videam, quippe cum Rhegini non tantùm caput Leonis in propoſito, ſed & Leonem integrum in Goltziano expreſſerint, non minus ac Velienſes & Maſſilienſes. Appoſitè, inquit DULODORUS, horum mentionem facis. Indè ſanè veriſſimam Leonis Rhegini rationem mihi videor deprehenſurus. Velienſes & Maſſilienſes per Phocæenſes à Phocenſibus deſcenderunt, Leonemque ad indicandam eam originem creduntur expreſſiſſe; Quid ſi idem fecerint & Rhegini? Subriſit ARCHÆOPHILUS, & diſpar, inquit, ratio eſt. Non Phocenſium, ſed Chalcidenſium Rhegini Coloni fuére. Imò, reſpondit DULODORUS, Phocæenſes antequam Hyelam conderent, Cyrno pulſi Rhegium appuliſſe, Herodoto memorantur. Adde quòd Chalcidenſes Eubœæ incolæ fuerunt, Eubœa autem olim Abantis dicta eſt, quod Thraces ex Aba Phocidis Civitate eam & coluiſſent & appellâſſent, id quod Ariſtoteles teſtatur, qui in hâc Inſula mortuus eſt; Si huc reſpicias, quidni eodem jure, quô Maſſilienſes & Velienſes, Leonem expreſſerint & Rhegini? Non de nihilo eſt conjectura, etiam Promontorium Eubœæ *Leon* appellatum, quod Ptolemæo memoratur, originis rationem videtur ſervare, indeque me non pœnitet opinionis, quâ ſub Leonis capite Rhegii etiam ſitum contemplatus ſum; uti enim Eubœa à reliqua Græcia maris æſtu

disjuncta fuit, ita fuit & Rhegium à Sicilia, & uti Promontorium Eubœa Αἴαν vocavit, ita & Rhegini Leonis, si non nomine, tamen Figura situm suum promontorio similem credi possunt expressisse. Sed plura de his ad Velienses & Massilienses. Succedunt

BRUTTII
PER LUCANOS A SABINIS ORIUNDI

NUmismata hæc, subjecit ARCHÆOPHILUS, ad Bruttiorum fortitudinem Te retulisse memini. Ratio incongrua non est. Quid enim Mars, & Victoria tropæum coronans? Quid Jupiter fulgerator & Aquila? quid Bellona cum hasta & clypeo? si non prælia & victorias Diis adjuvantibus obtentas? Quid Diana & Pagurus, quàm prudentiam fortitudini junctam? Placet enim, quod de Paguri prudentia Goltzius attulit, placet quod de Dianæ in Bruttiis delubro ex Thucydide probâsti. Dianæ delubrum, inquit DULODORUS, aperte arguit non tantùm fortitudinem, sed etiam Deorum cultum intelligi debere, & quid si etiam Gentis originem? Id facile colligas ex Jove fulgurante, qui eodem plane modo, quò in his Numismatibus visitur, etiam suprà in Numismate

ſmate Πετηλίνων, Urbis Lucanorum, à quibus Bruttii ſunt, primariæ, fuit. Si altiùs aſſurgere placet, poteris & Sabinos adire, à quibus Lucani deſcenderunt; Sabinos Deorum cultores religioſiſſimos fuiſſe, vel unicò Numæ Pompilii exemplò demonſtravero, qui, Floro teſte, Curibus Sabinis oriundus, cùm Romæ ob inclytam Viri religionem Regnum obtinuiſſet, omnem Deorum immortalium cultum docuit: Et ſi de integra Gente quæras, Pietas tanta fuit, ut & nominis ortum dediſſe, Plinio viſa ſit, Sabinos dictos arbitranti, quaſi *Sebinos*, à cultu ſcil. Deorum.

Sabinos, excepit ARCHÆOPHILUS, à Lacedæmoniis ortos, apud Servium legiſſe recordor, quod ſi verum, facilè equidem Deorum in Numiſmatibus expreſſorum cultum ab ipſa Lacedæmone deſcendiſſe crederem. Fortaſsè, reſpondit DULODORUS; Lacedæmone ſanè Deos, quorum in Nummis his ſimulacra cernimus, cultos negari non poteſt. De Marte audiatur Heſychius, quo Authore Lacedæmoniis Θηρίτας dictus eſt, audiatur Arnobius L. IV. qui Martem Spartanum fuiſſe, ex Epicharmo probat. De Jove ad Numiſmata Locrorum dictum eſt. De Minerva, cognomen Ὀπτιλέτις Plutarcho memoratur in vita Lycurgi, Ὀφθαλμίτις Pauſaniæ, Χαλκίοικος Thucydidi, Polybio, aliisque: Itaque & Dianam Χελύτιδα & Ποδάγραν Spartanis cultam, Clemens in Protreptico teſtatur, Σελασίαν Heſychius, Ὄυπιν Palæphatus de Incredib. & Εὐκλείαν Athenagoras, Καρυάτιν Heſychius, Λιμενῆτιν Tacitus Annal. IV.

Λιμενῆτιν, perrexit ARCHÆOPHILUS, quæ Pauſaniæ Λιμενάτις dicitur, in mentem mihi venit, annon Pagurus in Nummo reſpiciat? Conſtat enim Λιμενῆτιν dictam, quod præeſſe portubus crederetur, id quod ex Callimacho planum eſt:

Καὶ μὲν ἀγυιᾶς
Ἔσσῃ καὶ Λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.
Et quidem viis
Eris & portubus inſpectrix.

Et ex Epigrammate Apollonidæ in Anthologia Lib. VI. c. 3. diſcimus, dona ei à Piſcatoribus fuiſſe oblata:

Τρίγλαν ἀπ' ἀνθρακιῆς καὶ Φυκίδα σοὶ, Λιμενῆτι
Ἄρτεμι, δωρεῦμαι Θῆρις ὁ δικτυβόλος.

Mullum à carbonum ſtrue, & Phycidem Tibi, Limneti
Diana, dono Theris Piſcator.

Quid ſi etiam Pagurus ei oblatus ſit? Pagurus ſanè eò convenientius Dianæ donum foret, quò apertius eſt, ad Lunæ & decrementum & incrementum, eum & minui & augeri. Conjectura incongrua non eſt, ſubjecit DULODORUS, quanquam, quòd & capiti ornamenti loco Pagurus adjectus ſit, nec de prudentia diſpliceat. Harduinus etiam ad Oram maritimam reſpicit, quod nec ipſum improbo, cùm omnia concurrere poſſint, uti in Diis & cultus & Gentis fortitudo concurrit. De Cornucopiæ & Spicâ non eſt quod quæras. Fertilitatis ſymbola ſunt, & agrum Bruttiorum vini, olei & frugum feracem fuiſſe, jam antè nos Goltzius obſervavit. Quid autem caput Bovis, inquit ARCHÆOPHILUS, quid Lyra? quid Luna falcata? Luna falcata, reſpondit DULODORUS, Dianæ inſigne eſt, cujus in averſa Caput viſitur: Caput Bovis ad ipſam Deam referrem, quam *Boarmiam* dictam ex Phavorino conſtat, quòd Boves aratrò aptârit. Sed in mentem venit hiſtoria, qua Thurios Bruttii ſuperâſſe Diodoro memorantur: Venit & origo, de quâ ad Numiſmata Mamertinorum dicetur. Lyra Apollini ſacra eſt, cujus cultus ex Nummo Goltziano patet.

Forsitan, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam hîc ad Lacedæmona respicere potero, his enim Apollo Θοράτης & Θόρναξ cultus Hesychio memoratur, imò & Δρομαῖος Plutarcho. Sed hæc transeant. Quintum Numisma NIKΩN inscribitur, an is hic est, qui Tarentum Hannibali prodidit, uti supra vidimus? Fortasse, respondit DULODORUS, Bruttii enim ab Hannibalis partibus stetére, licet postea, labentibus in Italia Pœnorum viribus, Tarenti recipiendi Fabio adjutores exstiterint. Sed nihil affirmo, cùm & Bruttiorum aliquis hoc nomine potuerit fulsisse. Alia subjicio Bruttiorum Numismata,

Non quòd diversas res contineant; Quid enim ad hæc dici potest, quod non dictum sit ad præcedentia? sed quod typis diversa sint, à quibuscunque, qui apud Goltzium visuntur; Ubi enim Jovis Caput ibi, Sceptro insigne? ubi Aquilam respicientem videas? Ubi Martem cum Capite Bovis? ubi Aquilam cum Anchora? ubi Caput Cereris? Omnia hæc talia sunt, quæ Peritos Antiquitatis delectare, imperitos & instruere possunt. Sceptrum Jovi tanquam Cœlestium Regi debetur: Aquila respiciens ad vigilantiam militarem pertinet: Mars cum capite bovis, si non bellum contra Thurios, tamen originem à Sabinis indigitat: Aquila cum anchora potentiam navalem: Ceres & Deæ cultum & Regionis fertilitatem. Quid ultrà desideres?

De Marte, inquit ARCHÆOPHILUS, res dubia est; Goltzius enim Brettum hunc Herculis filium arbitratur, à quo, Stephano teste, Brettus Urbs dicta est, & ab Urbe quin Regio & Populus nomen habuerit, quis dubitare ausit? Dubitant, inquit DULODORUS, & de Urbe & de Herculis filio, quicunque Bruttios Lucanorum fugitivos nôrunt. Inde enim nomen BPETTIΩN descendere, Strabo & Diodorus asserunt. Jornandes à Bruttia Regina, Justinus à Bruttia muliere Bruttios dictos statuunt. Hæc ut ut se habeant, mihi tamen & ipsi tuam in opinionem concedere lubet, eò quod fugitivorum ratio pudenda foret, mulier etiam aut Regina Romanum potiùs idioma saperet, quàm Græcum. Appellationem certè ab Herculis filio, Hercules in Numismate Goltziano expressus demonstrat, quanquam quod ad figuram Numismatis secundi attinet, Goltzio non subscribam, cum Martem hunc esse, vel ex Numismatibus Mamertinorum planum sit, ubi planior ejus interpretatio dabitur. In sequentibus, inquit ARCHÆOPHILUS,

Præter

Præter Minervam & Aquilam Jovis miniſtram, Aratrum viſitur, felicioris agriculturæ indicium, cujus & in ſuperioribus Spica fuit. Viſitur Juno & Neptunus, quorum illa & ad Deæ cultum reſpicit, Goltzio obſervante, multâ religione & ſilentiô à Bruttiis peractum, & ad Imperii & potentiæ magnitudinem, quam fortibus armis ſibi Bruttios peperiſſe, ex hiſtoria palam eſt. Ita nuper, reſpondit DULODORUS. Nunc altiùs aſcendo, & etiam in Junone Bruttiorum à Lucanis, Sabinis & Lacedæmoniis ortum contemplor. De Lucanis teſtatur Strabo pr. L. VI. *poſt Silari oſtia*, inquit, *ſequitur Lucania, fanumque Junonis Argivæ.* De Sabinis Porcius Cato de Originibus author eſt, *Junonem Sabinorum Deam fuiſſe, Curitimque* id eſt, *haſtatam* dictam. Si ad Lacedæmonios tranſeas, Juno αἰγιφάγος ſe ſiſtit, apud Pauſaniam, ita dicta, quòd Capræ ei immolarentur. Apud Lacedæmonios, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Neptunus colebatur Ἀσφάλιος cognomentô, an eôdem referas eum, qui in Nummo viſitur? Fortaſſis, inquit DULODORUS, quanquam etiam apud ipſos Bruttios Neptunus in honore fuerit, id quod ex Columna Rhegina intelligas, quam Græcis Ποσειδώνιον ſive *Neptunium* dictam, Strabo aſſerit. Ἀπὸ δὲ Καινύος μέχρι τοῦ Ποσειδωνίου, τῆς Ῥηγίνων στηλίδος &c. *A Cæny usque ad Poſidonium, quæ Columna eſt Rheginorum.* Indeque planum eſt, Neptunum in Numiſmate otioſum cum Paguro non adeò abſurdè ad cuſtodias maritimas & ſitum Regionis referri; Bruttios certè extra Laum & Sybarim habitâſſe, reliquos limites autem mari cinctos fuiſſe, ex eodem Strabone conſtat. A Bruttiis diſceſſuros pauliſper adhuc morantur

MAMERTINI
A MARTE APPELLATI.



HOc Mamertinorum Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, ad eos Te retuliſſe memini, qui ejectis incolis Meſſanam coluére: Idque non fragili authoritate mihi feciſſe videris, ſimilia enim in Sicilia expoſuit & Paruta. Si authoritate certandum foret, reſpondit DULODORUS, Parutæ opponerem Goltzium, qui Mamertinorum Nummos in Magna Græcia collocavit. Sed ecce Arbitrum! non pro arbitrio, ſed ex ratione rem decidentem. Per-Illuſtrem SPAN-

SPANHEMIUM dico, cujus en Tibi verba, ex Differt. IV. p. 268. *Mamertinorum Nummus apud Goltzium*, inquit, *cum Nuce Pineâ, additô Martis capite, & inſcriptione* APEOΣ, *qui MAMERS Oſcorum lingua vocabatur. Quum enim paſſim laudetur Pix Bruttiorum (unde etiam eorum nomen derivat Doctiſſimus Bochartus) in quorum dictione erat Mamertum; Ita apud Urbem illam Sylvam fuiſſe narrat Strabo, ferentem optimam pinum, quod jam viderunt Eruditi Antiquarii.* Vides ARCHÆOPHILE, *Virum magnum* Goltzio calculum adjicere, remque ex adjectâ in Nummo Goltziano Nuce Pineâ demonſtrare.

Nux Pinea, inquit ARCHÆOPHILUS, in propoſito non eſt: Et Mamertinos etiam Meſſanam obtinuiſſe nemo negaverit; Indeque neſcio quid proſecerìs. Si nondum acquieſcas, excepit DULODORUS, poteris ad Nummum ſimilem omninò ſub Bruttiis reſpicere, quem modò dedimus. Quid videtur? ARCHÆOPHILE. Nonne hic demonſtrabit ad Bruttiorum Mamertinos pertinere etiam propoſitum? Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, idem enim utrinque & Caput Jovis viſitur, & Martis in pugnam tendentis ſimulacrum; Cùm autem Bruttios per Lucanos & Sabinos à Lacedæmoniis oriundos memineris, non aſſequor, quî Mamertini à lingua Oſcorum nomen traxerint. Aſſequêris, reſpondit DULODORUS, ſi Varronem audieris L. VI. *Caſcum*, inquit, *ſignificat VETUS, ejus Origo SABINA eſt, quæ usque radices in OSCAM linguam egit:* Samnites certè Oſce locutos, ex Livio conſtat. A Sabinis Marti conſecratis Samnites, & ab his Lucanos & Bruttios deſcendere, ex Strabone diſcimus. Et hinc conſtat, cur vocem *Mamers* Feſtus Oſcorum, Varro autem Sabinorum linguâ *Martem* ſignificare ſcripſerint: Conſtat cur Martem ſignaverint, non Mamertini tantùm, ſed & Bruttii; Ideò ſcil. quòd à Samnitibus Marti conſecratis deſcendiſſent. Audi verba! Ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες. Τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται. Τούτων δὲ Λευκανοὶ, τούτων δὲ Βρέττιοι. *Eſt autem gens Sabinorum antiquiſſima, atque indigena. Ab iis originem ducunt Picentes atque Samnites. Ab his porrò Lucani, & ab his Bruttii.* Et alibi: Περὶ δὲ Σαυνιτῶν καὶ τοιοῦτός τις λόγος ἐκφέρεται. Διότι πολεμοῦντες Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐύξαντο καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινὲς τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τοῦτῳ καθιερῶσαι. Νικήσαντες δὲ τῶν γενομένων τὰ μὲν κατέθυσαν, τὰ δὲ καθιέρωσαν. Ἀφορίας δὲ γενηθείσης, ἔπεσε τὶς, ὡς ἐχρῆν καθιερῶσαι καὶ τὰ τέκνα. Οἱ δ' ἐποίησαν τοῦτο, καὶ τοὺς γενομένους τό τε Παῖδας ΑΡΕΩΣ ἐπεφήμισαν. Ἀνδρωθέντας δ' ἐστειλαν εἰς ἀποικίαν ἡγήσατο δε ΤΑΥΡΟΣ. Ἐν δὲ τῇ τῶν Ὀπικῶν κατευνάσθέντος ἐτύγχανον δὲ κωμιδὸν ζῶντες, ἐκβαλόντες ἐκείνους ἱδρύθησαν αὐτοὶ, καὶ τὸν ΤΑΥΡΟΝ ἐσφαίξαν τῷ Ἄρει τῷ δόντι αὐτὸν ἡγεμόνα κατὰ τὴν τῶν μάντεων ἀπόφασιν. *De Samnitibus hujusmodi etiam fertur ſermo: Sabinos, cùm diuturno bello cum Umbris conflictarentur, voviſſe (qui Græcorum quorundam mos fuit) Diis ſe, quæ nata forent eô annô, conſecraturos. Potitosque Victoriâ, immolâſſe partim, partim conſecrâſſe ejus anni proventa. Inſecuta autem ſterilitate monuiſſe quendam, etiam prolem fuiſſe Diis conſecrandam. Obtemperâſſe Sabinos: eôque annô editos liberos MARTI dicâſſe. Quumque virilem attingerent ætatem, duce TAURO ad condendam novam Coloniam emiſiſſe. TAURUM in Opicorum Regione procubuiſſe. Itaque his expulſis (quippe per vicos habitabant) eorum agrum novos Colonos occupâſſe, TAURUMque MARTI, qui eum ipſis ductorem dediſſet, ex Oraculo ſacrificâſſe.* Hæc Strabonis non tantùm ad Martem hoc in Mamertinorum, & allato ſuprà Bruttiorum Numiſmate, egregiè facit, ſed & rationem capitis Taurini ſuppeditat, quod & Minervæ & Marti adjectum vidimus. Succedunt

VELIEN-

VELIENSES
A PHOCENSIBUS ORIUNDI.

COmmuni errore hoc asseris, inquit ARCHÆOPHILUS; Velienses enim non à Phocensibus, sed à Phocæensibus descendunt. Illi in Græcia, hi in Asia habitabant, immensis non terrarum tantùm, sed & Marium disjuncti

ſpaciis. Res indubia eſt, inquit DULODORUS, ſed an neſcis rationem Leonis, in Velienſium & Maſſilienſium Nummis expreſſi, non à Phocæenſibus Aſiæ, ſed à Phocenſibus Græciæ deſumi? eò quod hi, Pauſania teſte, obſidione Caſſandri liberati, Leonem æneum Delphis dedicaverint? Ratio mihi nauci videtur, excepit ARCHÆOPHILUS; Quid enim Leo, tempore Caſſandri dedicatus, ad Coloniam, jam tempore Cyri deductam? At mihi firmiſſima videtur, reſpondit DULODORUS, ſciendum enim, Leonem hos ideò dedicâſſe, quòd antiquiſſimis temporibus is apud ſe famam meruiſſet. Nihilne audiviſti de Leone Parnaſio? Nihil, inquit ARCHÆOPHILUS. At Pauſanias ejus meminit in Atticis, perrexit DULODORUS. Πάλαι δὲ ἄρα τὰ θηρία φοβερώτερα ἦν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ὅ τ' ἐν Νεμέᾳ ΛΕΩΝ, καὶ ὁ ΠΑΡΝΑΣΙΟΣ. *Fuerunt*, inquit, *priſcis temporibus belluæ hominibus formidoloſiores, cujus rei teſtimonio ſunt Nemeus & PARNASSIUS LEO.* Quid hoc ad rem? interrogavit ARCHÆOPHILUS. Multum, inquit DULODORUS; ad Parnaſſum enim Phocenſes habitabant, & à Phocenſibus illis deſcendere Phocæenſes Aſiæ, à quibus Velienſes conditi ſunt. Audi eundem Pauſaniam! Οἱ δὲ Φωκαιεῖς γένος μὲν τὸ ἀνέκαθεν εἰσὶν ἐκ τῆς ὑπὸ τῷ Παρνασσῷ καλουμένης καὶ ἔτι ἡμᾶς ἐς Φωκίδος, ἦλθον Φιλογένει καὶ Δάμωνι ἀμοῦ τοῖς Αθηναίοις διάβασιν ἐς τὴν Ασίαν. *Phocæenſes*, inquit, *ab ea Phocide genus ducunt, quæ ad* PARNASSUM *montem etiamnum eſt.* PHILOGENEM *hi, &* DAMONEM *ſecuti, Athenienſium Duces, in Aſiam trajecerunt.* Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, literas ΦΙ in Numiſmatibus non amplius *Philiſtionem* Coloniæ deducendæ Authorem, ſed *Philogenem* interpretabor, qui Phocenſes in Aſiam transvexit. Imò, reſpondit DULODORUS, & Damonis mentionem habes ſub litera Δ. Numiſmatis ſecundi & quinti: Et ipſius Minervæ, in Ducum horum Patria. Athenienſes enim fuêre; Athenarum autem Minervam Præſidem eſſe, nemo ignorat. Athenienſium certè apud Phocæenſes, non minus ac Phocenſium, rationem habitam fuiſſe, Minervæ templum apud eos vetuſtiſſimum teſtatur, quod Harpagum exuſſiſſe, ex eodem Pauſania diſcimus, indeque dubium non eſt, ejusdem cultum etiam ad Velienſes translatum fuiſſe;

At in Numiſmatibus quinto & ſexto, inquit ARCHÆOPHILUS, licet Minervæ noctua cum ſacrato Oleæ ramo occurrat, ipſa tamen Dea non eſt, ſed alia quædam muliebri facie, an Dea an fœmina? *Deam Velinam* crediderim, reſpondit DULODORUS, quam à Lacu dictam, Lil. Gyraldus obſervat. A Lacu ſanè, ſive Palude, etiam Urbem ipſam appellatam, Servius arbitratur, quamvis alii Etymon, vel à *fonte* vel ab *amne* deducere malint, uti Strabo teſtatur. Fortaſſis autem etiam in nomine originis primævæ memoria eſt; Pauſania enim teſte, Leonem Delphis dedicárunt Phocenſes, qui Ἐλάτειαν, *Elateam* incolunt, cujus Urbis nomen ab ΙΕΛΗΤΩΝ appellatione tantùm non diſtat, ut non cognatione quâdam hæc ab illo deſcendere credi poſſit; Sed hoc in medio relictum ſit. Nos ſitum non tantùm in Dea Velina, ſed etiam in piſce Numiſmatis decimi agnoſcimus. De eo Strabo: Κάμψαντι δ' ἄλλος, συνεχὴς κόλπος ἐν ᾧ πόλις, ἣν δὴ μὲν κτίσαντες Φωκαιεῖς Ὑέλην — ὀνομάζουσιν. *Ubi curſum flexeris*, inquit, *alius eſt contiguus ſinus, inque eo Urbs quam Phocæenſes Conditores Hyelen dixere.* Facere huc poteſt & Palinuri vox apud Virgilium Æn. VI.

Portuſque require Velinos.

Procul dubio, inquit ARCHÆOPHILUS, hâc maris commoditate ſolerter fuerint uſi. Id neceſſitate fecêre, reſpondit DULODORUS, audi denuò Strabonem: Ἀναγκάζονται γοῦν διὰ τὴν λυπρότητα τῆς γῆς τὰ πολλὰ θαλαττουργεῖν καὶ ταριχείας συνίστασθαι καὶ ἄλλας τοιαύτας ἐργασίας. *Ob agri ſterilitatem*, inquit, *coguntur plurimùm exercere mare, ſalſamentiſque & alus id genus negotiationibus ſe*

bus ſeſe alere. Ob agri Sterilitatem? mirabundus excepit ARCHÆOPHILUS, atqui in Numiſmate undecimo & duodecimo Spica & Uva aliud videntur innuere. *Spicam & Uvam*, reſpondit DULODORUS, ego potiùs ad Bacchi & Cereris cultum referrem; Conſtat enim, ubi bonorum penuria, ibi Deos bonorum datores vel maximè coli, & quidem de Cerere dubium non videtur, cùm à Velia Deæ ſacerdotem Calliphennam petiiſſe, Valerio maximo Romani memorentur. In Numiſmate tertio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſignum Trinacriæ video, & miror, quâ ratione in Numiſmate M. Græciæ fuerit expreſſum? an ob vicinitatem? an ob amicitiam? Fortaſſe, reſpondit DULODORUS, ob dominatum; Siculos enim in M. Græciam expeditiones ſuſcepiſſe, ex hiſtoriis Dionyſiorum & Agathoclis conſtat: Niſi potiùs & Velienſes de his victores exſtitiſſe contendas; Ex Strabone enim conſtat & Lucanos & Pæſtanos ab iis devictos eſſe, quanquam & agri amplitudine & numero hominum ſuperiores.

Unicum Numiſma adhuc ſupereſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Leo Cervum proſternens in ſeptimo viſitur, an hic ad venationes pertineat? Leones Cervi catulos facilè confringere, Homerus Il. XI. ℣. 113. canit: Et Cervos venari ex Paulo Veneto diſcas, quô memorante, Magnus Cham Leones maximos & induſtrios alit, plurimum conferentes ad venandos Apros, Cervos, Onagros & Boves Sylveſtres. Mihi, inquit DULODORUS, etiam hic Victoria quædam latere videtur, uti enim Leo ſymbolum Velienſium eſt, ita procul dubio Cervus erit aliûs cujusdam Civitatis: Et quidni Cauloniæ, cujus in Nummis, ut ſupra vidimus, Cervus proſtat? Quidni Brunduſii, cujus nomen *Cervi Caput* denotare, Stephanus tradit? Litus legentibus aperitur.

POSIDONIA
TARENTINORUM COLONIA.



REs obſcura non eſt. Neptunus, qui in Numiſmate viſitur, Græcè Ποσειδὼν dicitur, à quo *Poſidonia* vocatur, uti à Neptuno *Neptunia* Paterculo. Neptunum Tarentinis Tutelarem fuiſſe, ad eorum Numiſmata docui, & Tarentinorum Coloniam Poſidoneatas fuiſſe, Philargyrius in Georg. Virgilii teſtatur. *Pæſtum*, inquit, *Civitas Lucaniæ eſt; Hæc Civitas* POSIDONIA *dicitur, & eſt in agro Solentino,* COLONIA TARENTINORUM. At Solinus, excepit ARCHÆOPHILUS, Dorienſium Coloniam facit. *Notum eſt*, inquit, *Pæſtum à Dorienſibus conſtitutum.* Philargyrio hæc non refragantur, regeſſit DULODORUS; Tarentinos enim à Lacedæmoniis deſcendiſſe, ſupra ad eorum Numiſmata vidimus, & Lacedæmonios Dores fuiſſe, teſtatur Iſocrates in Archidamo, ubi eum ſic Lacedæmoniis loquentem facit: Πρῶτον μὲν οὖν ὑμᾶς, δεῖν ὑμᾶς ὑπομνῆσαι, δι' ὃν τρόπον ἐκτησάμεθα Μεσσήνην, καὶ δι' ἃς αἰτίας ἐν Πελοποννήσῳ κατοικήσαντες, Δωριεῖς τὸ παλαιὸν ὄντες. *Ac primum commoneſaciendos vos puto, quô pactô Meſſenam in poteſtatem noſtram redegerimus; Et quas ob cauſas in Peloponneſo, cùm à prima ori-*

gine DORIENSES ſitis, conſederitis. Vides ARCHÆOPHILE, Solinum Philargyrio non contrariari. At Strabo, inquit ARCHÆOPHILUS, & Martianus Heraclienſis ἐν Περιηγήσει, non Tarentinorum, aut Dorienſium, ſed Sybaritarum Coloniam Poſidoniatas faciunt. Strabo, reſpondit DULODORUS, Sybaritas quidem murum ad mare condidiſſe aſſerit, & habitatores ſurſum commigraſſe: habitatores autem illos Sybaritas fuiſſe, non aſſerit. Martiani teſtimonium incertitudine famæ nititur; Ita enim ait:

Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης
Ἣν φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι ποτέ.
Usque ad illam, quæ Poſidonia vocatur
Quam dicunt conditam olim à Sybaritis.

Quid ſi fama ex ſtructura muri fuerit orta? Quid ſi Sybaritis Tarentini ſupervenerint? & habitatores à mari ſurſum deduxerint? itàque Urbis Authores exſtiterint? Numiſmata ſanè non Sybaritas, ſed Tarentinos agnoſcunt, & cùm Philargyrii teſtimonium concurrat, non video quid contra poſſit adferri? De Tauro adhuc dicendum reſtat, excepit ARCHÆOPHILUS. Taurus, reſpondit DULODORUS, Neptuno ſacer perhibetur. Notum eſt Virgilii teſtimonium:

TAURUM NEPTUNO, Taurum Tibi, pulcher Apollo.

Nota ſunt Neptuni Epitheta. Ταῦρος & Ταυρεῖος vocabatur: Nota Ταύρεια ejusdem celebritas. Utraque videri poſſunt apud Heſychium. Feſtum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Poſidoniatis celebratum Athenæus prodidit, in quo lacrymantes ab invicem diſcederent: An id Neptuni honori fecerint? Non dixerim, inquit DULODORUS, apertè enim additur, *antiquorum nominum & rituum eos memoriam renovâſſe, ſortemque ita ſuam deploráſſe*, quod utique vix eſt, ut honori Neptuni credi poſſit factum eſſe.

Hoc in medio relictum eſto! perrexit ARCHÆOPHILUS. Ad Numiſmatis fabricam me converto. Rarò ſignatum malleô ſtatuis, & reverà pauca vidi, ſimili modô procuſa. In altera area Neptunus elevatur, area deprimitur, ut par eſt; in altera autem, licet & Taurus elevetur, margo tamen areæ Taurum altitudine ſi non ſuperat, tamen æquat. Hoc quomodô fieri potuerit, non video. Res difficilis non eſt, reſpondit DULODORUS. Antiquorum artificium à moderno debet diſtingui. Antiqui non Cochleâ utebantur, ſed Malleô: non tam margini, quàm figuris operabantur. Id uti ex propoſito, ita & ex aliis videre eſt, in quibus cùm exacta rotunditas deſideretur, margo autem Figuram altitudine ſuperet, utique planum eſt, matricem maſſæ argenteæ minorem, maſſamque nullo circulo incluſam fuiſſe. Sed de his alibi. Picentinos prætervecti Campaniam intramus. Hic in Mediterranea declinantibus, in lata planicie crebris in orbem turribus cingitur

NOLA

NOLA
CHALCIDENSIUM COLONIA.



NOlanorum Numiſmata Dianam & Minotaurum exhibent, de quibus ad Numiſmata Neapolitanorum dicetur; Eandem enim cum Neapoli originem à Chalcidenſibus jactant. De origine Nolæ, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, res adeò certa non eſt; Nolam enim Solinus à Tyriis conſtitutam aſſerit: Vellejus Paterculus à Thuſcis ſcribit conditam: Stephani Epitomator, Urbem Auſonum, authore Hecatæo appellat: Et hinc eſt, quòd etiam in bellis, Livio & Dionyſio Halicarnaſſæo teſtibus, Neapolitanorum hoſtes fuerint. Nihil contrariaris, inquit DULODORUS; Quis enim neſcit, diverſis olim ex Gentibus habitatores in Urbes confluere ſolitos? Si Paterculus de Thuſcis; Solinus de Tyriis, an Tyrrhenis? Stephani Epitomator de Auſonibus probet: Probat de Chalcidenſibus Juſtinus Lib. XX. *Jam NOLANI, Abellani*, inquit, *nonne CHALCIDENSIUM Coloni ſunt?* Probat Silius L. XII.

Hinc ad CHALCIDICAM transfert citus agmina NOLAM.

Probat & Numiſma noſtrum, cum Nummis Neapolitanorum idem. De Minotauro monendum, quod & in Theſauro Palatino factum eſt, multò aliter eum apud Authores deſcribi, quàm in Nummis præfiguratur; Nummi enim Taurum cum Capite virili exhibent; At Diodorus, Hyginus, & Apollodorus, quorum loca citavi, conſtanter Hominem cum Capite Bubulo, Minotaurum ſtatuunt. Notandum, quòd in Numiſmate non ΝΩΛΑΝΩΝ, ſed ΝΩΛΑΙΟΝ legatur. Id & mihi dubium movit, excepit ARCHÆOPHILUS; Stephano enim τὸ ἐθνικὸν ΝΩΛΑΙΟΣ, & Polybio ΝΩΛΑΝΕΙΣ dicitur: Et Lucas Holſtenius, licet Nummum ex Cl. Meneſtrii indice, cum inſcr. ΝΩΛΑΙΩΝ citet, fatetur tamen, ſe neſcire quomodò hoc in Nummis eſſe poſſit, cùm Suidâ teſte οἱ πολῖται ΝΩΛΑΙΟΙ καὶ ΝΩΛΑΝΟΙ vocentur? Quomodo hoc fieri poſſit, reſpondit DULODORUS, aliis exemplis clareſcit. Stephano ab ΑΒΟΛΛΑ Civitate Siciliæ, Civis ΑΒΟΛΛΑΙΟC dicitur. Eidem ab ΑΓΑΘΥΡΣΑ itidem ΑΓΑΘΥΡΣΑΙΟC, ab ΙΜΕΡΑ ΙΜΕΡΑΙΟC, ab ΕΝΝΑ ΕΝΝΑΙΟC, à ΚΑΤΑΝΑ ΚΑΤΑΝΑΙΟΣ. Annon eâdem formâ etiam à ΝΩΛΑ ΝΩΛΑΙΟΣ dici poſſit? In Sicilia ea Terminatio uſitata poterit fuiſſe, excepit ARCHÆOPHILUS, Stephanum enim id expreſſe memini ſtatuere, ſub ΑΓΑΘΥΡΣΑ: At idem, inquit DULODORUS, ab Urbe Megaridis ΑΙΓΕΙΡΟΥΣΑ ΑΙΓΕΙΡΟΥΣΑΙΟΣ habet, uti ab Urbe Lybiæ ΑΝΗΤΟΥΣΣΑ ΑΝΗΤΟΥΣΑΙΟΣ, à ΣΚΟΤΟΥΣΣΑ, Urbe Theſſaliæ ΣΚΟΤΟΥΣΣΑΙΟΣ, ut alia taceam, quæ magnò catalogò hìc congerere poſſem. Ad littus regreſſos excipiunt

NEAPOLITANI PER CUMÆOS ET CHALCIDENSES AB ATHENIENSIBUS ORIUNDI.

REs indubia eſt. Goltzius eam ex Pherecyde apud Macrobium deduxit, quòd ſcilicet Theſeus in Cretam ad Minotaurum profecturus Ἀπόλλωνι Ὑλάῳ καὶ Ἀρτέμιδι Ὑλαίᾳ, pro ſalute & reditu vota memoretur feciſſe. Inde ſanè credibile eſt, non Minotaurum tantùm, ſed & Dianæ caput ferè in omnibus Numiſmatibus, imò & Apollinem in ſecundo, & ſequentium nonnullis, eſſe expreſſum; Quid enim aliud cenſeas, cùm Chalcidenſes Athenienſium Coloni fuerint? Ego, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in Cumis ſubſiſtere malim, proximâ Neapolitanorum origine. Cumis non Apollinis tantùm & Dianæ cultum, ſed & memoriam Minotauri, ex Virgilio docemur L. VI. Æn. ℣. 9. ſeqq.

At pius Æneas Arces, quibus altus APOLLO
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat Vates, aperitque futura.
Jam ſubeunt TRIVIÆ Lucos atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoia Regna,
Præpetibus pennis, auſus ſe credere cœlo,
Inſuetum per iter Gelidas enavit ad Arctos,
CHALCIDICAque levis tandem ſuper adſtitit ARCE.
Redditus his primum terris, Tibi, PHOEBE, ſacravit
Remigium alarum, poſuitque immunia templa.
In foribus Lethum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi (miſerum) ſeptena quotannis

Corpo-

Corpora natorum: Stat ductis sortibus urna,
Contra elata mari respondet Gnossia tellus.
Hic crudelis amor Tauri suppostaque furto
Pasiphaae: Mystumque genus, prolesque biformis
MINOTAURUS inest, &c.

Quid magis ad rem canere potuisset? Fateor, inquit DULODORUS, quanquam ab opinione mea nondum recedam; Licet enim Apollinis & Dianæ templa apud Cumanos fuerint, quod & ex sequentibus constat, ubi Sibylla *Phœbi Triviæque Sacerdos* appellatur: Licet etiam Dædalus Minotauri fabulam in Templo à se erecto expresserit, tamen Poëta ipse ad Chalcidenses respicit, dum Cumas *Arcem Chalcidicam* appellat. Credibile sanè consueto ex more Neapolitanos vetustissimas origines signâsse, ut gloria Nobilitatis eò major foret, præsertim cùm his ipsis & origo proximior simul contineatur? Imò cùm & ii, qui postea immigrârunt, non Chalcidenses tantùm, sed & ipsi Athenienses fuerint? Ita enim Strabo: Μετὰ Δικαιαρχίαν, ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων. Ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσσαίων τινὲς καὶ ΑΘΗΝΑΙΩΝ, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. *Neapolis Cumanorum*, inquit. *Postea temporis & Chalcidensium nonnulli, & Pithecusæorum, & ATHENIENSIUM immigrarunt, unde Urbi hoc nomen factum.* Hæc patent, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed capitibus afficta adhuc cerno quædam signa, Caput Solis, Pegasum marinum, & Pisces. Dianæ Capitibus hæc afficta sunt, respondit DULODORUS, & quidem Sol, quòd Solis hæc Soror, à quo & Luna lucem suam mutuatur. Pegasus marinus & Pisces, quòd, ut supra ad Hieronis & Bruttiorum Numismata dictum est, Diana portibus & fluviis præfuerit, quanquam & Pisces ad nobilem his in partibus capturam referre possis, de qua Authores passim. De Victoria Minotaurum coronante, Certamen quinquennale Gymnicum & Musicum adferunt, quod Neapoli, magnâ Græcarum Civitatum frequentiâ celebratum Goltzius observat. Sequentibus in Nummis

Præter Dianam, vel Caput Leonis, vel Cornucopiæ visitur. Caput Leonis, qualiter ferè & in Rheginorum Nummis occurrit. Id ad Phocidem Te retulisse memini, subjecit ARCHÆOPHILUS, & cùm Rhegini non minus ac Neapolitani per Chalcidenses etiam à Phocensibus descenderint, uti supra demonstrâsti, jam capio & rationem propositi. Imò, subjecit DULODORUS, in hoc & cum Massilienſibus concurrit, inter opiniones enim de Conditoribus ejus, est & ea, quam Marcianus Heraclienſis in περιηγήσει tradit:

Kal

Καὶ Μασσαλιωτῶν Φωκέων τε Νεάπολις,
Ἣν ἔκτισαν Φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικὰ
Οἱ Φωκαεῖς.
Tum Massilienſium Phocenſiumque Neapolis
Quam condiderunt fugientes Perſica arma
Phocæenſes.

Sed de Cornucopiæ dicendum. De Cornucopiæ, excepit ARCHÆOPHILUS, res obſcura non eſt. Agri Campani felicitas in vulgus patet, & de hac ipſa noſtra Neapoli Dionyſius Περιηγητὴς:

Τῇ δ' ἐπὶ Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον ἴχνι μέλαθρον
Ἀγνῆς παρθενόπης, σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις.
Poſt hanc autem Campanorum eſt pingue ſolum, ubi domicilium
Caſtæ Parthenopes, ſpicarum onuſtum manipulis.

Imò mihi, ſubjecit DULODORUS, ſub hoc Cornucopiæ adhuc aliud latere videtur. Cornucopiæ Herculi & Acheloo originem debere ex Mythographis notum eſt, & ab Hercule Neapolin conditam, ex Diodoro & Oppiano obſervat Cluverius, in Ital. Antiq. p. 1147. Accedit, quòd à Sirene Neapolis olim *Parthenope* fuerit appellata; Sirenes autem Acheloi, cujus Cornu Copiæ conſecratum eſt, filiæ fuerint. Inde enim Silio *Parthenope Acheloia* audit. Unicum adhuc reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS. Vaſculum à Capite Diana viſitur, id quò referendum ſit, ignoro. Duplex ratio eſſe poteſt, reſpondit DULODORUS, vel in Poculo Neſtoris, vel in Fictilibus Cumanorum, à quibus Neapolis condita. Cumanos Calices memorat Varro apud Nonium, & Martialis Lib. IV. Ep. 114. *Hanc Tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam*
Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.

Sed Poculum Neſtoris, ſi Neapoli, & non Capuæ fuiſſet, ad Dianam magis quadraret; Ita enim Athenæus L. XI. Ὁποῖόν τι καὶ νῦν ἐστὶν ἰδεῖν ἐν Καπύῃ πόλει τῆς Καμπανίας ἀνακείμενον τῇ Ἀρτέμιδι ποτήριον, ὅσπερ λέγουσιν ἐκεῖνοι Νέστορος γεγονέναι. Ἔστι δὲ ἀργύριον χρυσοῖς γράμμασιν ἐντετυπωμένα ἔχον τὰ Ὁμηρικὰ ἔπη. *Ejuſmodi POCULUM viſitur in Capua Campaniæ, dicatum DIANÆ, quòd ajunt Capani fuiſſe Neſtoris. Argenteum illud eſt inſculptis Homeri verſibus, aureis Literis inſigne.*

Sed alia ſubeunt Neapolitanorum Numiſmata,

Quæ licet ex ſuperioribus facilè pateſcant, tamen denuò inſpicere forſan tædioſum non erit. Caput Laureatam Goltzius Dei Hebonius arbitratur eſſe, quem

Neapoli

Neapoli olim pro Baccho cultum ex Macrobio obſervat. Mihi, quòd Bacchus cum Apolline idem fuerit, & literæ ΔΙΟ, Minotauro ſubjectæ, Dionyſium indicarent, opinio rejicienda non videbatur; Sed nunc, quod nullum omninò Bacchi inſigne hic appareat, potius pro Apolline ſentire lubet. Apollinis ſane Laurea & Ramus, Apollinis Lyra & Tripos, Apollinis Patara, aut ſi mavis Cortina fuit, quæ hic coronata eſt, cùm in Numiſmatibus Regum Syriæ, Apollo nudæ inſideat. In ſecundo Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, caput Bovis adjectum video: An & hoc Apollini debetur? Debetur, inquit DULODORUS; Apollinem enim Bovis cranio inſiſtentem Pauſaniæ recordaberis memoratum: Recordaberis, eum Boves Laomedontis paviſſe, mercede conductum, ex Homero: Boves eidem à Mercurio ſurreptos, ex Alcæo. An inde, perrexit ARCHÆOPHILUS, literæ B. interpretatio dependeat, quòd Epitheton aliquod à Bobus ſortitus ſit, ut Minerva? Nihil aſſero, reſpondit DULODORUS, Βοηδρόμιον quidem Athenienſibus dictum accepimus, non autem à Bobus, ſed ab auxilio Eumolpi. Rurſus ad mediterranea deflectimus. Ultra Clanem & Vulturnum amnes, habitabant

CALENI
AUSONUM COLONI.





NOn intelligo, quid velis, inquit ARCHÆOPHILUS. Annon à Calaë, Boreæ & Orithyiæ filio, Calen exſtructam, ex Silio docuiſti? Verba ſubjicio ex Lib. VIII.

Non parvæ Conditor Urbis,
Ut fama eſt, Calaïs, Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.

Et iterum:

Threiciamque Calen veſtras, à nomine nati,
Orithyia, domus.

Hæc ad Numiſmata quàm appoſitè? Orithyia Erechthei Regis Athenienſium filia creditur, Athenarum autem tutelare Numen Pallas, & gloria Minotaurus fuit. Accedit quòd Gallus Minervæ Operatrici ſacer perhibeatur, quòd ſacer & Marti, Numini Thracico, quorum pugnacitas cum milite Caleno convenit:

Nec cedit ſtudio victima ſanguine Miles,
Quem genuêre Cales.

Inquit idem Silius. Pugnacitas, reſpondit DULODORUS, ſi tanta fuit, cur etiam Sidicinorum viribus adjuti, tamen, & quidem haud memorabili prælio, fuſi ſunt? Cur, cùm excuſſuri eſſent Romanorum Imperium, timori in tantùm ceſsére, ut verecundiâ magis quàm benevolentiâ in officio perſtiterint? Tantane in Martia gente honeſtatis cura, & verecundia, ut plus in timore, quàm in ferro præſidii ponat? Sed eſto! fuerint pugnaces Caleni, cùm & Pallas Numen bellicum Virtuti ſuffragari poſſit, an autem ideò ad Thraces reſpiciendum? an ideò ad Athenas, maternam Calais originem? Quis præter Silium rei meminit? Et quid ſi ex affinitate vocis eam à Poëta confictam arbitrer? Si hanc originem adumbraturi fuére Caleni, quidni ipſum Calaim expreſsére, Capite pennatô, qualis Hygino deſcribitur? Qualisque in Nummo Amiſenorum apud Jac. de Wilde proſtat? Quidni Martem Thracicum Numen, uti Metapontini? Verbô dicam, Thracicam Coloniam vel non agnoverim, vel ſi agnoſcam, tamen ab Auſonibus, vel pulſam crediderim, vel cum Auſonibus eosdem. Auſones Italiæ antiquiſſimos fuiſſe, ex Plinio & Dionyſio adſtrui poteſt. Auſoniam primùm appellatam eam partem, in qua ſunt Beneventum & Cales, Pompejus Feſtus author eſt. Auſones Calen adhuc habitâſſe annô V. C. CCCXXXV, Livius aſſerit. Quid ex his colligam, ſi non Thraces Calen nunquam tenuiſſe? At Auſones, inquit ARCHÆOPHILUS, ab Auſone Ulyſſis & Calypsûs filio denominatos, idem Feſtus tradidit, quod ſi verum, Cales utique ante fuit, quàm Auſones vocarentur? Hæc ratio, inquit DULODORUS, me impulit, ut Thraces, ſi non omninò non agnoſcendos, tamen vel ab Auſonibus pulſos, vel cum iis eosdem conjecerim. Calais enim, utpote expeditionis Colchicæ conſors, ante bellum Trojanum fuit, cùm Ulyſſes non niſi poſt Trojam everſam Calypsûs contuberniô fuerit uſus. Quicquid ſit, fabula de Auſone Ulyſſis filio ita convaluit, ut non tantùm Feſtus, ſed & Marcianus Heraclienſis in περιηγήσει eam tradiderit:

Αὔσονές τε μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες. Αὔσων ὃς συνοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσεώς παῖς καὶ Καλυψοῦς γενόμενος.

Tum Auſones mediterranea loca
Tenent, quos Auſon condidiſſe creditur,
Ulyſſis filius atque Calypsûs.

Ita & vetus Commentator Apollonii, & Suidas, quorum loca, ne tædio ſint, adducere ſupersedeo. Ritè hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil enim ad Numiſmata faciunt; Imò multum, reſpondit DULODORUS. An Tu neſcis Minervam apud Homerum Ulyſſis tutelare Numen fuiſſe? An neſcis, Solino teſte, ei templum ab Ulyſſe etiam in Bruttiis exſtructum? Quid igitur, ſi Minervam & Ulyſſis filius, & Gens ab eo denominata coluerint? Quid ſi hæc ratio ſit, cur Caleni eam Numiſmate expreſſerint? Suffragatur ſanè Gallus cum Sole, quem Idomenei Clypeo ideò inſculptum fuiſſe Pauſanias tradit, quòd Nepos Minois is fuerit, à Paſiphaë Solis filia oriundus. Non capio rationem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Quid hæc ad Ulyſſem aut Calenos? Auſonem reſpice, perrexit DULODORUS; Eâdem hic ratione cenſebitur, quâ & Idomeneus. Idomeneus, inquit ARCHÆOPHILUS, à Solis filia deſcendit, at Auſon à Calypſo, filia Thetidis & Oceani, aut ſecundum alios Atlantis. Imò Tzetzes in Lycophronem, reſpondit DULODORUS, eam Æætæ & Circes ſororem à quibuſdam teſtatur tradi. Sed age! ſi Calypſo minus placet, placebit

bit forsan ipsa Circe, hanc enim Ausonis Matrem statuunt ii, qui Calypsûs Insulam nimis ab Italia remotam animadvertunt. Ita Tzetzes in Chiliadibus.

Ἡ Αὐσονία ἔσχηκε τὴν κλῆσιν τῶν Αὐσόνων
Κατὰ τινάς ἐξ Αὔσονος υἱοῦ τοῦ Ὀδυσσέως.
Ἐκ γὰρ τῆς ΚΙΡΚΗΣ Ὀδυσσεὺς, τῆς πᾶσι θρυλλουμένης,
Αὔσονα καὶ Τηλέγονον γεννᾷ καὶ Κασιφόνην.

Ausonia accepit nomen Ausonum,
Juxta quorundam opinionem, ab Ausone, filio Ulyssis.
E CIRCE enim, quæ omnium monumentis celebrata est, ULYSSES AUSONEM & Telegonum procreavit, & item Casiphonen.

Idem testatur & Eustathius, in Præfatione ad Odyss. Homeri, & ad περιήγησιν Dionysii, quanquam & alii alia suggerant. Nondum satisfacis, excepit ARCHÆOPHILUS; Quid enim Circe cum Gallo? Solis filia fuit, inquit DULODORUS, non minùs ac Pasiphaë, indeque utique eâdem ratione, quâ Pausanias Gallum Idomenei ad Solem retulit, eâdem, inquam, & mihi Gallum Calenorum ad Ausonem, qui Calen coluére, & ab Ausone Solis nepote nominabantur, originem reducere licebit, idque eò magis, quòd Sol affictus hîc sit, cùm in Clypeo Idomenei non memoretur.

Persuades, subjecit ARCHÆOPHILUS. Gallinaceum enim Soli sacrum, quòd cantu Solis ortum nunciet, eôdem Authore constat, nec opinor imposterum ad vinum Calenorum, generosissimum sanè, respicere licebit, quamvis Gallum pro incolumitate vinearum in Civitate Mithona olim immolatum meminerim. Eadem ratio subesse poterit, excepit DULODORUS. Sol enim Vinetis vel maximum Numen, & huic quænam victima offeratur, si non sacrata avis, quæ orientem prodit?

In mentem mihi venit campus, inquit ARCHÆOPHILUS, haud procul à Cale, *Stellatis* dictus. Annon appellatio ortum traxerit ex Nummo? Et annon Hesperus hic fuerit, qui juxta Gallum visitur? ad memoriam Heiperiæ, qualiter Italiam dictam, ex Marone constat. Neutrum dixerim, respondit DULODORUS; Campus enim, in quo Cales sita erat, non *Stellatis*, sed *Calenus* vocabatur, eique demum *Stellatis* jungebatur, ita enim Livius: *Aversus*, inquit, *ab itinere Hannibal, per Alisenum, Calatinum, & CALENUM AGRUM, in CAMPUM STELLATEM descendit.* Eòdem modò credibilius est, Calenos originis suæ in Nummis expressisse monumenta, quàm antiquam quandam non Urbis suæ, sed totius Italiæ appellationem.

De his, inquit ARCHÆOPHILUS, non valdè laboro. De Thracibus adhuc opinio sedet; Licet enim nec Gallus nec Minerva eos arguant, arguit tamen Minotaurus, qui in primo Numismate visitur. Hic enim indubiè vel ad Cretam, vel ad Athenas respicit. Ad Cretam non dixeris, cum nulla id ratio suadeat. Restat igitur ut Athenas abeamus, maternamque Calais originem in Orithyia Erechthei Athenienstum Regis Filia contemplemur. Vix assentior, respondit DULODORUS; Quid enim, si Minotaurus hîc ex Minotauro Neapolitanorum, de quo suprà diximus, interpretationem recipiat? Conjecturam sublevat & Apollo & Lyra, cùm uterque etiam in Neapolitanorum Nummis apparuerit: Scil. vel Calenos Neapolitanorum Colonos hinc dideceris, vel etiam Ludorum participes. Apollinem hîc statuis? inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen fulmen appositum potiùs *Jovem Anxurum* videatur demonstrare. Utriusque ratio esse potest, respondit DULODORUS. Apollinis ob Lyram, Jovis Anxuri ob Fulmen. Si Apollinem statuas, ad Neapolin respexeris;

ſi ſtatuas Vejovem, reſpexeris ad Circen, de qua ſuprà diximus; Ab ea enim

Circæumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet.

Uti Virgilius loquitur, Lib. VII. In Samnium aſcendimus. Ibi

ÆSERNIA
NEAPOLITANORUM COLONIA.



ÆSerniæ Numiſma hoc eſſe, inſcriptio, lectu non adeò difficilis adhuc, abundè teſtatur; Unde autem Apollinis & Minotauri in eo ſimulacra deſcendant, magis clarum non eſt. Videndum, inquit ARCHÆOPHILUS, annon inter Gentes Opicas connumerari debeat Æſernia; Goltzius enim obſervat, Minotauro Opicorum Urbes ferè omnes Numiſmata ſignâſſe. Infirmô judicio, inquit DULODORUS; Ipſe enim fatetur etiam Capuanos Minotaurum ſignâſſe, & tamen inter Opicos non connumerari; Imò jam ante de Neapolitanis rem ad Chalcidenſes, Coloniæ Authores, retulerat, quòd ii ab Athenienſibus deſcendiſſent, apud quos Theſeus ad debellandum Minotaurum in Cretam ſoluturus, Macrobio teſte, Apollini ὐυλίῳ & ἀρτέμιδι ὐυλείᾳ pro ſalute vota nuncupaverit. Hæc ſanè ratio in plerisque ſolida videtur; Neapolis enim Cumanorum Colonia fuit, Cumani Chalcidenſium, non minus ac Nolani, id quod ſuprà vidimus. De Pyteolis idem dixeris; Strabone enim teſte fuerunt Cumanorum Navale. Et quidni idem etiam de reliquis? Sueſanis, Calenis, Capuanis & Atellanis? Cùm omnes eôdem tractu conſederint, utique facilè eviceris, eorundum etiam vel Cumanorum vel Neapolitanorum Colonos eſſe; Licet enim alii Calenos Thracum, Capuanos Trojanorum Colonos faciant, tamen hoc nihil obſtat, quò minus & vicini immigrare potuerint.

Si de his Tibi aſſentiar, excepit ARCHÆOPHILUS, quomodo probabis de Æſernia, in finibus Samnitum ſita? Unicô, inquit DULODORUS, Numiſmate id fecere. Apud Goltzium, inter Neapolitana Ultimum hinc Minotaurum præfert, cum ſupervolante Victoria & ſubſcriptione ΝΕΑΠΟΛΙΤΗΣ, inde exhibet caput Apollinis cum pentagono & inſcr. A. . . . . NINO. Ultimam hanc vocem non aliter opinor interpretaberis ac AIΣEPNINO, uti in propoſito Æſerniæ, ſubſcriptam Minotauro literam N. procul dubio ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ; Quibus poſitis utique fateberis utriusque Civitatis cognationem, licet hactenus ex Authoribus ignotam. Samnites, inquit ARCHÆOPHILUS, à Sabinis ortos Varro teſtatur; Sabinos Græcos non eſſe, ex Livio & Dionyſio probari poteſt, & licet, ut ſupra vidimus, ſecundum alios à Lacedæmoniis ſe ſe ortos jactaverint, tamen ne ſic quidem Minotauri ratio emicat. Samnites, reſpondit DULODORUS, potius pro me faciunt. Apud allegatum Dionyſium

ſium Halicarn. in excerptis Legationum, ut Neapolitanos adverſus Romanos incitarent, primùm omnium ſua in Neapolitanos merita dicuntur commemoraſſe: Imò iidem paulò poſt Romanorum Legatis reſpondentes, apertè fatentur, *cum Neapoli ſibi amicitiam ſocietatemque eſſe, non recens contractam, ſed duabus ætatibus ante, quàm cum Romanis fœdus icerent, idque ob multa & magna beneficia.* Quæsò ARCHÆOPHILE, an inter populos ſincerâ amicitiâ junctos alieni quid exiſtimabitur, ſi alter in alterius territorium Colonos emittat? Et quæ certiora ejusmodi originum documenta protuleris, ſi non Numiſmata, easdem cum Metropoli figuras exhibentia? Fortaſſis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam Æſernorum aliquis in Ludis Neapolitanis Victor evaſerit? Id ſimul cum opinione mea, reſpondit DULODORUS, ſatis convenit, ſine ea ſtare non poteſt; Quî enim Minotaurum coronaret Victoria, ſi ſub Minotauro Æſernini non laterent? Quî Minotaurum ſignarent, ſi non ab Athenienſibus origines ſuas repeterent? Unicum adhuc monendum, Neapolitanos quibusdam non à Chalcidenſibus, ſed à Phalero conditos memorari, Phalerum autem Phalero Athenienſium Portui nomen dediſſe, adeò ut & hôc modò origo ab Athenienſibus conſtet. Succedit

AXUR
Ubi inſolita literæ Ξ. figura.



QUid de hoc Nummo ſtatuam, ancipiti diu diſquiſitione deliberavi; Tandem tamen me ſenſum aſſecutum confido. Palladem video, inquit ARCHÆOPHILUS, & Gallum cum Stella, plane qualiter in Numiſmate Calenorum. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed inſcriptio Axuritis videtur adjudicare: Quid autem Axuritis cum Calenis? Urbi Volſcorum cum Urbe Campaniæ? Gallus, excepit ARCHÆOPHILUS, pugnaciſſimum animal, uti jam aliquoties dixiſti, Minervæ Operatrici, ſive Ἐργάνη ſacer eſt, indeque Pauſanias in arce Elidis Deæ caſſidi eum inſiſtere tradit. Etiam hoc Tibi cedo, inquit DULODORUS, quid autem Minervæ cum Axuritis? quos Jovem Anxurum coluiſſe & ex hiſtoria & ex Numiſmatibus patet. Fortaſſe, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quod Minerva Jovis Filia fuit? Fortaſſe ob Virtutem, quâ Volſci præſtitere, bellicam? Fortaſſe ob munitiones, quibus Pallas præſidet, & ſuperbiam, quæ Gallo familiaris eſt? Eam ſanè in rem *Arces ſuperbæ Anxuris*, qualiter Statio aliisque dicuntur, haud forſan abs re citavero. Conjecturæ hæ ſunt, inquit DULODORUS, ſolidâ adhuc baſi deſtitutæ. Ego potius ad montem Circeum & oppidum Circes reſpicerem, quòd centum tantùm ſtadiis ab Axure diſtabat. Ibi enim & Minervæ aram monſtrari, Strabo Author eſt. Hâc ſanè viâ liquet cauſa & Solis & Galli cùm Circe Solis Filia, Gallus autem Solare animal fuerit, uti ad Numiſmata Calenorum demonſtratum dedi. Sed Præcipuum, & quod raritatem Numiſmatis noſtri in immenſum

auget, eſt inſolita literæ Ξ. figura; Eam enim ne unicô hactenus in monumentô proſtare memini. Unde Tibi igitur innotuit? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Conjecturâ, reſpondit DULODORUS, non tantùm, quòd alia litera hoc loco non quadret, ſed præcipuè ob affinitatem cum litera K. quæ in Numiſmatibus Syracoſiorum & Crotoniatarum, uti ſuò locô & vidimus & videbimus, eôdem plane modò efficta eſt, quô in propoſito litera Ξ, niſi quòd, quæ hic aperta eſt, diſtinctionis causâ illic clauſa occurrat. Si K. & Ξ. etiam apud Græcos figuras affines haberent, perrexit ARCHÆOPHILUS, aſſurgerem placito, ſed pace tuâ dixerim, ne minima quidem apparet. Figuræ, inquit DULODORUS, non reſpondent, ſed reſpondet poteſtas; Si enim ad literam K. literam Σ. adjungas, omninò poteſtatem literæ Ξ. expreſſeris, & hoc eſt, quod Volſcos aut Oſcos moviſſe crediderim, ut Literas pro K. & Ξ. uſurpandas, affinibus etiam figuris effingerent.

Volſcos aut Oſcos, excepit ARCHÆOPHILUS. An igitur ex horum lingua literarum hæ figuræ ſunt depromptæ? Etiam hoc conjecturis aſſequor, reſpondit DULODORUS, niſi potiùs Volſcorum aut Oſcorum linguam ab antiqua Græcorum arbitreris deſcendiſſe. Utriusque ſanè à communibus differentiam idoneô Authorum fulcrô adſtruxeris. De Volſcis videri poteſt Feſtus, ſub voce *ſublicium*. De Oſcis eſt Strabonis teſtimonium, τῶν Ὀσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ρωμαίοις, &c. *Oſcorum Gens interiit, Sermo eorum apud Romanos reſtat.*

ROMA

Subit, quam Dionyſius in Περιηγήσει;

Τιμήεσσαν, μέγαν δῶκον ἀνάκτων
Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἕδεθλον.

Honorabilem, magnam domum Regum,
Matrem omnium Urbium, Opulentam ſedem,

vocat. Hujus origines in Lupa Romulum & Remum lactante, nemo eſt qui non agnoſcat, nemo qui non in Numiſmate tertiô Martem Romuli Parentem fateatur. Martem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ego etiam in Numiſmate quarto agnoſcerem, niſi clava rem ad Herculem traduceret; Et ego, perrexit DULO-

DULODORUS, Herculem etiam in primo, niſi Diadema Regem proderet, & lineamenta nec in primo Herculis, nec in quarto Martis eſſent, Tarquiniis hæc capita addicenda, in Conjecturis meis credidi, nec adhuc video, quid aliter ſentiam. Clava vel ad Tarquiniorum à Corintho originem pertinet, vel ad Herculem Caci interfectorem. Hæc, utcunque credantur, inquit ARCHÆOPHILUS, parvo equidem in diſcrimine pono, imò & Apollinem & Equum ad Circum Apollinarem pertinere, mihi facilè perſuaderi patior, ſed Equi caput & ſpicæ Numiſmatis tertii quid ſibi velint, non omninò aſſequor. Spica, inquit DULODORUS, indubitatum fertilitatis ſignum eſt, cumque juxta Equum, animal Martium, imò & in Numiſmate expreſſa ſit, in quo & Martis Caput viſitur, omninò Te admonebit Campi Martii, qui antea Tarquiniorum ager fuerat, cujusque defecta feges tanta fuiſſe Livio memoratur, ut, cùm in Tiberim ſparſa fuiſſet, in vadis hæſitantis frumenti acervi fundamentum Inſulæ fecerint.

Ex his, inquit ARCHÆOPHILUS, conjectura de Tarquiniorum capitibus quodammodo ſtabiliri poſſet; Si enim agri Tarquiniorum in Nummis celebrantur, quidni & Tarquinii ipſi? Sed quid Caput Equi? Nonne hoc Carthaginenſium potiùs ſymbolum eſt, quod in fundamentis ejus id inventum ſit? Imò, reſpondit DULODORUS, ſi Boiſſardo fides, etiam Romanorum fuit. Cùm in Tractatu de Divinationibus pag. 355. in fundamentis Capitolii Caput humanum inventum tradidiſſet, appoſitè ad Nummum noſtrum ſubjicit: *Secundum quosdam CAPUT EQUINUM ibi repertum credi.* Sed alia ſubeunt Romanorum Numiſmata.

Primum, opinionem de Circo Apollinari ſublevat. Secundum, ad Victoriam pertinet Pallantis Filiam, quæ Palladis juſſu Divinos honores meruit, cujusque ab Arcadibus in Palantini montis vertice, Dionyſio memorante, fanum exſtructum eſt. Mihi, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm Minervæ Capiti Cornucopiæ junctum ſit, Numiſma in memoriam cujusdam victoriæ, ex qua rerum abundantia provenerit, videtur percuſſum. Ita & Equum forſitan Neptuno ſacrum arbitraberis, cum Neptunum & Apollinem Conditores Trojæ fuiſſe conſtet, unde Romani per Æneam deſcenderunt. Eòdem, inquit DULODORUS, etiam Pallas aut Minerva fortaſsè ſpectat; In ſequenti enim Numiſmate,

MINER.

MINERVA ILIAS
Cum
CANE TEMPLI CUSTODE

Se sistit. Minervam Iliada, inquit ARCHÆOPHILUS, non negavero; Constat enim ab Ilio ejus Simulacrum à Diomede ablatum fuisse. Ita & Romæ eam hoc nomine cultam, ex Strabone docemur. An autem Canes templi custodes habuerit, de eo valde dubito. Canis potiùs ad Dianam spectare videtur, aut si mavis ad Lares, aut ad Æsculapium, aut Sylvanum; His enim Canem jungi, Antiquorum suffragiis constat; Quis autem unquam Minervæ eum addixit? Nonne potiùs Deæ tam procax animal displicuisse credam? cùm ex Plutarcho constet, Canem ab arce Athenienſi ideò fuisse rejectum, quod in propatulo coiret.

Hoc opinioni meæ, regessit DULODORUS, contrariari non videtur; Idem enim etiam de Delo, Insula Dianæ sacra, memorat Plutarchus, cui tamen Canes nemo negaverit: Scilicet ipsô Cheronensi docente, non propter Numen arcebantur Canes, sed propter supplices, non ubique, sed in Asylis. Cæterùm de Cane, Minervæ Iliadis apud Romanos custode, fateor apertum testimonium me hactenus non observâsse. Cùm autem Canes Minervæ & Iliacæ & Achaicæ templa alibi custodivisse, ex idoneis Authoribus constet; idemque animal in proposito Romanorum Numismate occurrat, & insuper Romanos ab Ilio descendere neminem lateat, haud arbitror abs ratione opinioni meæ inhæsero. De Minerva Iliade observat Cælius Rhodiginus Lib. XXIII. c. 30. *Cæterum*, inquit, *& in Daulia esse memorant Iliados Minervæ templum, in quo alantur Canes, quibus insitum planè sit, perinde ac ratione quâdam adventantibus abblandiri Græcis, Barbaros autem, ubi se ostentârint, latratu insectari.* De Minerva Achæa testatur Aristoteles in Mirabilibus Auscult. Λέγεται δὲ περὶ τὸν ὀνομαζόμενον τῆς Δαυνίας τόπον, ἱερὸν εἶναι Ἀθηνᾶς Ἀχαίας καλούμενον, ἐν ᾧ δὴ (καὶ) πελέκεις χαλκοῖς καὶ ὅπλα τῶν Διομήδους ἑταίρων καὶ αὐτοῦ ἀνακεῖσθαι. Ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ φασὶν εἶναι κύνας οἱ τοὺς ἀφικνουμένους τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ σαίνουσιν ὥσπερ τοὺς συνηθεστάτους. Πάντες δὲ οἱ Δάυνιοι καὶ πλησιόχωροι αὐτοῖς μελανειμονοῦσι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες, διὰ τάυτην (ὡς ἔοικε) τὴν αἰτίαν. Τὰς γὰρ τρωάδας τὰς λεφθείσας αἰχμαλώτους, καὶ εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους ἀφικομένας, ἐυλαβηθείσας μὴ πικρᾶς δουλείας τύχωσιν ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς πατρίσι πρώταρχόντων τοῖς Ἀχαιοῖς γυναικῶν, λέγεται τὰς ναῦς αὐτῶν ἐμπρῆσαι, ἵν' ἅμα μὲν τὴν προσδοκωμένην δουλείαν ἐκφύγωσιν, ἅμα δ' ὅπως μετ' ἐκείνων μένειν ἀναγκασθέντων συναρμοσθεῖσαι κατάσχωσιν αὐτοὺς ἄνδρας. *Ferunt & circa Dauniæ locum templum esse MINERVÆ ACHAICÆ, in quo Secures æreæ, armaque cùm Diomedis, tum Sociorum ejus collocata sint. Ajunt & isthic CANES esse, qui venientes Græcos injuriâ nullâ impetant, sed tanquam familiarissimis blandiantur. Porrò omnes Daunii accolæque, tam viri quàm fœminæ, atratis tantum vestibus utuntur, ea nimirum de causa, quod Trojanæ mulieres, dum captivæ ad ea loca essent traductæ,*

metu-

metuentes, ne grabem ſervitutem ſub mulieribus Græcis experirentur, (nam tum ea loca inhabitabant) naves incenderunt, tum ut jugum ſervile effugerent, tum ut viros, manendi neceſſitate impoſita, detinerent. Intelligis ARCHÆOPHILE, non tantum Canes à Minerva alienos non fuiſſe, ſed etiam Iliadem in Daulia, & Achæam in Daunia templum habuiſſe: Illam à Troja deſcendere, ipſum cognomen arguit: Nec de hac dubitabis, cum eódem Authore conſtet, Trojanas captivas in Apulia naves incendiſſe, eoque facto Diomedis & Sociorum in Græciam regreſſum prohibuiſſe. De Minerva Iliade eſt egregius locus apud Dionem Chryſoſtomum in Trojana, ſive Orat. XI. ubi Ulyſſes Pacis causâ legatus, Græcus maximum & pulcherrimum, ait, Minervæ donum relicturos, inſcripturosque Ἱλιαστήριον Ἀχαιοὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἰλιάδι, *Propitiatorium hoc donum dederunt Achivi MINERVÆ ILIENSI.* Quid hoc ad propoſitum? regeſſit ARCHÆOPHILUS. Ut oſtendam, inquit DULODORUS, ut Ilienſis Dauliæ & Achæa Dauniæ à Trojana deſcenderunt, ita & deſcendere eam, quæ Romanis culta eſt, & in Numiſmate propoſito exhibetur. Atqui Caris, iteravit ARCHÆOPHILUS, huic fuiſſe nulli legitur? Eſto! ſubjecit DULODORUS. Annon ſufficit rem Numiſmate exhiberi? Sed pergimus. In Sinu Gallico ſe ſiſtit

MASSILIENSIUM
A PHOCENSIBUS ORIGO.

LEonem ad Parnaſſium pertinere, originemque Phocæenſium Aſiæ à Phocenſibus Græciæ, Parnaſſi accolis, oſtendere, ad Numiſmata ΥΕΛΗΤΩΝ demonſtrarum eſt. Eadem origo etiam ſub Minerva latet. Minervam, inquit ARCHÆOPHILUS, ad juncta cum rebus bellicis Sapientiæ ſtudia Te retuliſſe memini. Imò & Minervam apud Maſſilienſes cultam, ex hiſtoria Catamundi apud Juſtinum demonſtrâſſe, qui Arcem Maſſilienſium *Arcem Minervæ* vocaverit. Non Maſſiliæ tantùm, reſpondit DULODORUS, Minervæ templum fuit, ſed etiam apud Phocæenſes Aſiæ vetuſtiſſimum, quod Harpagus exuſſiſſe Pauſaniæ memoratur: Imò & apud Phocenſes Græciæ, cognomentô *Pronoiæ*, in quo, eòdem Pauſania teſte, Maſſilienſes Deæ ſignum poſuerunt. Hæc cùm ita ſint, credibile ſane eſt, a Delphis in Aſiam, & hinc in Celticam, Minervæ cultum cum Colonis fuiſſe traductum. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS,

& ad Philogenem & Damonem Atheniensium Duces respicias, quos Phocenses, ut suprà docuisti, in Asiam abituri, secuti memorantur. Ne sic quidem male, respondit DULODORUS, quanquam prior ratio potior videatur. Quicquid credas, apparebit, nihil homines pertinacius retinere, quam patrios ritus in colendis Diis, id quod non ex Minerva tantùm, sed etiam ex Tripode Numismatis tertii agnoscimus; Is enim procul dubio Apollinis Delphinii est, cujus templum & ipsum in Arce Massiliensi fuisse, apud Strabonem legimus. Delphinium Apollinem inde dictum novimus, quod Castalio Cretensi, Coloniam Delphos deducenti, Delphini sub imagine, se Ducem exhibuerit, navimque in Crysæum usque Sinum præcesserit, adeò ut primævus Apollinis Delphinii cultus, rursus nos ad Phocenses deducat: Non futili ratione, cùm & Lucanus,

MASSILIÆQVE sua donatur Libra PHOCIS,

cecinerit, ubi Phocidem Regionem Bœotiæ intelligendam, Commentator Sulpitius testatur. De Diana plura addere supersedeo; Nosti enim ad Ephesiam pertinere, à qua ex Phocæa navigantes, itineris ducem habuisse, imò & cujus in arce Massiliensi fanum fuisse, ex Strabone discimus. Novi, inquit ARCHÆOPHILUS, sed miror Venatricis habitu in Nummis eam occurrere, cùm tamen constet, Dianam Ephesiam Polymammiam illam fuisse, & Strabo conceptis verbis, Massilienses ad imitationem Ephesi, simulacrum Dianæ memoret adornasse, tantô zelô, ut & fanum ejus *Ephesium* appellaverint, ritusque Dianæ Ephesiæ antiquos non ipsi tantùm assumserint, sed & reliquis Colonis, & ipsi etiam Hispaniæ tradiderint, primô ubique locô Deam venerantes, uti apud Strabonem videre est. Quid respondes DULODORE? Diana Ephesia, subjecit ILLE, non tantùm habitu Polymammiæ, sed & Venatricis efficta est. Planum id fit ex Numismate Saloninæ apud Jacobum de Wilde Tab. XX. aliisque: Indeque non mirum, quod eôdem habitu etiam in Numismatibus Massiliensium occurrat. Testimonium hoc est, non Ephesiæ Polymammiæ, sed Ephesiæ Venatricis habitum Dianæ suæ Massilienses circumposuisse eodemque fuisse adornatam & eam quam à Massiliensibus desumtam, eôdem Strabone authore, Romani in Aventino dedicârunt.

Dum Capita Numismatum contemplamur, subjecit ARCHÆOPHILUS, etiam de eo dicendum, quod quarto in Numismate exhibetur; Aristarcham hoc interpretaris itineris ducem; Cùm autem in pluribus Massiliensium Nummis Floram exhiberi, Harduini testimoniô constet, tutius fortasse & hic ad Floram respicies. Nullum Floræ indicium est, inquit DULODORUS. Si Aristarchæ neges, poteris Veneri tribuere, eò, quod Strabone teste, Promontorium Pyrenæ & *Veneream* & *Massiliensé* dictum fuerit: Poteris aversæ Taurum ad Tauroentum referre, Massiliensium Coloniam. Non ad hanc tantùm, subjecit ARCHÆOPHILUS, sed etiam ad reliquas, Olbiam, Antipolim, & Nicæam ego respexerim. Id cum Harduino facies, respondit DULODORUS. Mihi in una Tauroento subsistere, non ob nomen tantùm placet, quod Taurum designat, sed apertum ob historiæ testimonium, quod in reliquis deficit: Ἀπολλόδωρος ἐν πρώτῳ Γεωγραφουμένων φησὶν, ὅτι ταύροφόρος ἦν ἡ ναῦς ἣ διακομίσασα τοὺς τὴν πόλιν κτίσαντας, οἱ ἀποῤῥιφέντες ἀπὸ τοῦ στόλου τῶν Φωκαέων καὶ προσενεχθέντες αὐτόθι, ἀπὸ τοῦ ἐπισήμου τῆς νεὼς τὴν πόλιν ὠνόμασαν. *Apollodorus primo Geographumenôn, inquit, navem, in qua vecti sunt, qui Urbem condidere, pro insigni habuisse TAURUM, ac à Classe Phocensium rejecti cùm essent, illuc appulisse, ac URBEM à NAVIS INSIGNI NOMINASSE.* Verba exstant apud Stephanum sub voce ΤΑΥΡΟΙΣ.

Acquiesco, inquit ARCHÆOPHILUS, modo adhuc de uva, retro Caput Minervæ in Numismate tertio doceas. Uva, respondit DULODORUS,

Cultus

Culturam vini demonstrat, de qua Strabo: χώραν ἔχουσιν ἐλαιόφυτον μὲν καὶ κατάμπελον. *Solum possident Oleis & Vitibus consitum.* Addo & Athenæum, de variis Vinorum generibus L. I. differentem. Ὁ Μασσαλιώτης, καλός, ὀλίγος δὲ γίνεται, παχὺς καὶ σαρκώδης. *Massiliense*, inquit, *probum, sed paucum, crassum, corpulentum est.* De Aquila quod dicam, ingenuè fateor, me nondum habere. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, Ossifraga, aut Harpa erit, quas Aquilis simules, Minervæ autem sacratas novimus, alterum apud Eustathium *Il.* T. alterum apud Lil. Gyraldum me legisse memini. Harpam & Ossifragam, inquit DUCODORUS, Oppianus & Plinius barbatas tradunt, id quod Numismati nostro non quadrat. Ex Sinu Gallico, per mare Ligusticum, regressis occurrit

LIPARA
VULCANI SEDES.

ATqui septem, excepit ARCHÆOPHILUS, Liparæorum fuerunt Insulæ. Fuerunt, inquit DUCODORUS, sed maxima reliquis à se nomen imposuit, habuitque Urbem cognominem, in qua procul dubiò Numismata nostra procusa sunt. De nomine velim doceri, perrexit ARCHÆOPHILUS. Diversæ sententiæ prostant, respondit DUCODORUS. ΛΙΠΑΡΗ *pinguem* sonat, sed quis à pinguedine Insulam asserat dictam, cùm, Cicerone teste, sterilis fuerit? Plinius *Liparum Regem* producit, qui Æolo successerit; Alii *Liparum Ausonis filium* faciunt, inter quos est & Diodorus. Callimachi Scholiastes à *conflato ferro* nomen deducit, cùm tamen Lipara nihil minus sonet. Celeb. Bochartus, cùm allatas rationes enarrasset, a Phœnicio *Nibarat* nomen deducit, quod Arabice *Lampadem* aut *Lucernam* significat, idque ideò, quod Aristotele teste, in Lipara conspicuus ignis atque lucens, non interdiu, sed noctu tantùm, arserit. Apposite hoc, & ad Insulæ naturam, & ad Nummos, cùm *flammas Vulcani Liparæi* Theocritus memoret. Idyll. 2.

Ἔρως δ' ἀρα καὶ ΛΙΠΑΡΑΙΟΥ
Πολλάκις ΑΦΑΙΣΤΟΙΟ σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Sed quos amor excitat ignes
VULCANI flammis LIPARENSIBUS acrius ardent.

Inde certè & Silius:

Nam Lipare vastis subter depasta caminis,
Sulphureum vomit exeso de vertice fumum.

Ergò, subjecit ARCHÆOPHILUS, qui in Nummo visitur, indubiè Vulcanum videbitur referre? Quid si Liparus is sit? quem Æolo successisse quidam tradiderunt? Quid si ipse Æolus, à quo Insulas Æolias dictas constat? Vulcanum, inquit DUCODORUS, Pileus demonstrat; hôc enim insignis visitur etiam in Numismatibus Lemniorum apud Goltzium, & Romæ in Familia Aurelliorum.

liorum; At quis unquam pileatum tradidit, vel Liparum vel Æolum? Hoccine adeò mirum foret, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen & Ulyſſes pileatus in Nummis proſtet, qui & ipſe Rex fuit, & ad Æolum memoratur veniſſe. Ulyſſes, inquit DULODORUS, in ſignum peregrinationis pileatus eſt; de Æolo autem aut Liparo ratio hactenus latet: Et quid? nonne Vulcanus ſufficit, cùm tamen in Lipara officinam habuerit? Audi Callimachum in Hymno Dianæ:

Αὐτὰρ ἐπὶ Κύκλωπας μετεκίαθε, τοὺς μὲν ἔτετμε
Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ, ἐπ' ἀκμοσιν Ἡφαίστοιο
Ἑστηώτας περὶ μύδρον.

Hinc deinde ad Cyclopas tranſiit, eosque reperit
Inſula in LIPARA ſuper incudibus VULCANI
Circumſtantes maſſam.

Vulcani Pileum, excepit ARCHÆOPHILUS, ignem cœleſtem denotare, uti claudos pedes terreſtrem, niſi fallor apud Euſebium in Præparat. Evang. legi; Cùm igitur ignis in Lipara procul dubio terreſtris fuerit, quidni Vulcani pedes expreſſêre Liparenſes? Vulcanus, reſpondit DULODORUS, Euſebio pro ignis vi ponitur, Pileusque ejus Cæruleus pro Cœleſti ejus converſione. Liparenſes cum ignivomum Inſulæ ſuæ Genium Dei munus crederent, quidni Deum exprimerent, tanti beneficii authorem? Vulcanus is credebatur, ejusque pileus ſecundum Euſebium cæruleus, non ignem cœleſtem, ſed cœleſtem illam converſionem ſignificat, ubi ignis primogenius, & ab omni fæce puriſſimus domicilium ſuum locavit. Sed plura de his apud Mythographos. Ad Inſcriptionem adhuc cum Per-Illuſtri SPANHEMIO notandum, in Numiſmate ſecundo eam, ut & in pluribus aliis, retrogradam eſſe: Notandum cum Conſultiſſimo HINSENIO, Conſule Veſalienſi merituſſimo, qui peculiarem de Numiſmatum antiquorum ponderibus tractatum molitur, propoſitorum pondus adjectis globulis expreſſum eſſe. In Siciliam tranſvectos excipit

CEPHALOEDIS CULTU BACCHI NOBILIS.



CEphaloedis Urbs à Κεφαλὴ, *Capite*, Fazello creditur dicta. Claud. Dausqueius ad illud Silii Lib. XIV.

Quæque procelloſo Cephalœdias ora profundo
Cæruleis horret campis paſcentia Cete.

A *Cephalorum* abundantia nomen deducit; Cephalus autem piſcis fuit, Mugilum Marinorum genus, uti ex Ariſtotele Geſnerus tradit. Bochartus ſuo more ad Punicum *Cepha-lud* reſpicit, quod rupem flexam ſonat, eò quòd ſita ſit in vertice rupis, penè in ipſo flexu promontorii. Nominis rationem evolvis, inquit ARCHÆOPHILUS, ac ſi jam certum eſſet, Numiſma hoc ad Cephalœdium pertinere. Quid ſi ad Cephaleniam pertineat, Inſulam maris Jonii, quam à

Cephalo-

Cephalo Amphitruonis socio dictam volunt? Pro Cephalœdi, respondit DULODORUS, authoritas Parutæ militat, qui non propositum tantùm, sed & alia, in quibus vel Mercurius, vel Hercules & Jupiter celebrantur, ad eam revocavit. Suffragatur Rev. Harduinus, allegatô & aliô Numismate, ex Thesauro Goltziano, cum inscriptione ΚΕΦΑΛΟΙΔΙΣΙΩΝ, sub Cajo Cæsare percussô. Hæc nihil ad rem, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid enim si & Paruta & Harduinus erraverint? Id non dixerim, respondit DULODORUS. Cùm enim ex Julio Polluce constet, Cephalenios Equum Nummis suis impressisse, procul dubio Numismata diversa aliò referenda judicabis, & quò propositum, si non ad Urbem Siciliæ, quæ & Bacchi cultu, & Bacchi muneribus nobilitatur?

Siciliam frugum feracem novi, inquit ARCHÆOPHILUS, feracem Vini non novi, & quis de Bacchi in Sicilia cultu testabitur? De Vino, respondit DULODORUS, *Balintium* cogita apud Plinium L. XIV. c. 9. cogita *Polium* apud Ælianum de Var. Hist. L. XII. c. 31. *Mamertinum* apud Strabonem. L. VI. & Plinium. Lib. XIV. c. 6. *Tauromenitanum* apud Plinium. *Entellanum* & *Inycllinum* apud Strabonem. L. VI. & Pausaniam L. VII. quorum aliqua etiam in Numismatibus contemplabimur. Ad Bacchi cultum non tantùm Numismata se sistunt ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ, ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ, ΛΑΟΝΤΙΝΩΝ, ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ & aliorum apud Parutam; sed & apertum Hesychii testimonium: ΑΓΡΥΠΝΙΟΣ, inquit Ἑορτὴ Διωνύσου ἐν Ἀρβέλῃ. *Agrypnia Dionysi festum fuit in Arbela.* Arbelen autem Oppidum Siculum fuisse Stephanus ex Philisto probat, eique assistit Suidas, ab ejus incolis, quòd facilè deciperentur, Paræmiam natam asserens, τὶ οὐ γενέσῃ ἰὼν ἐς Ἀρβέλας, *quid non eris profectus Arbelas?* Cæterum ne Cephalœdisienses Deorum cultu abstinuisse putes, Fazellus oculatus testis, in ruderibus Urbis, templi ingentis diruti Doricâ formâ olim conditi, clara memorat monumenta. Imò, licet quis Urbem, & quô tempore, exstruxerit, ex Authoribus incompertum se habere fateatur, nobilem tamen Sacerdotii Maximi dignitate, ex Cicerone in Verrem V. observat. Si Fazellus, inquit ARCHÆOPHILUS, qui ex professo de Sicilia scripsit, originem indagare non potuit, frustrà arbitror de ea laborabimus. Sufficit, respondit DULODORUS, incolarum Pietatem monstrâsse, id enim non ad Bacchum tantum, sed etiam ad Jovem, Herculem & Mercurium facere potest; Sufficit monstrâsse Bacchi in Sicilia fertilitatem, & cultum; id enim egregiè facit ad Bacchum, dextrâ Craterem prætendentem. Lilybæum versus navigantibus occurrunt.

THERMÆ
CUM HERCULE, ET NYMPHIS,



Quæ balnea Herculi parâsse memorantur. Id Te statuere memini, inquit ARCHÆOPHILUS, sed quibus Authoribus? annon potius tres Mulieres in Numismate expressas, Tres Phœnodamantis filias interpreter, de quibus Lycophron?

Ἄλλοι δ' ἐνοικήσουσι Σικανῶν χθόνα,
Πλανῆτοὶ μολόντες, ἔνθα Λαομέδων τριπλᾶς
Ναύταις ἔδωκε Φαινοδάμαντος κόρας.
Alii Sicanorum inhabitabant terram,
Errones eò delati; Ubi TRES Laomedon
Nautis dedit Phœnodamantis FILIAS, &c.

Si Numiſma, reſpondit DULODORUS, vel Erycinorum, vel Ægeſtanorum, vel denique Atellanorum foret, aſſurgerem opinioni; Horum enim Urbes ab Ægeſta, unius earum filio conditas, Commentator Tzetzes ait; Cùm autem aperte ad Thermas Numiſma pertineat, & non tantùm Nymphæ, quæ calidos fontes aperuêre, ſed & ipſe Hercules, cujus bono eos aperuere, hic exprimantur, utique indubium eſt, rem aliò detorquendam non eſſe. Si Authores deſideras, En verba Diodori L. IV. Διεξιόντος δὲ τοῦ Ηρακλέους τὸν παράπλουν τῆς Νήσου, μυθολογοῦσι τὰς Νύμφας ἀνεῖναι θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὸν ἀνάπαυσιν τῆς κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν γενομένης αὐτῷ κακοπαθείας. *Litus hujus Inſulæ peragranti Herculi calida à Nymphis balnea fabulantur aperta fuiſſe, quibus contractam in itinere laſſitudinem adlevaret.* Et Lib. V. τὰς Νύμφας χαριζομένας Ἀθηνᾷ τὰς τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀνεῖναι πηγὰς κατὰ τὴν Ηρακλέους παρουσίαν. *Nymphas in gratiam Minervæ calidarum aquarum fontes, ait, aperuiſſe, idque ſub adventum Herculis:*

Si Unica tantùm Urbs Thermarum nomine in Sicilia fuiſſet, excepit ARCHÆOPHILUS, acquieſcerem; Cùm autem conſtet, fuiſſe duas, unam ad mare Tyrrhenum, alteram ad mare Lybicum, quis diſcernat, utri Numiſma ſit tribuendum? Res expreſſæ ſanè nec à poſteriore abludunt, cum Herculis his in locis præſentiam vel pugna cum Eryce demonſtret, tresque Phœnodamantis filias Entellæ vicinia arguat. Et quid, ſi non absque authoritate loquar? Rev. Harduinus Numiſmata ΘΕΡΜΙΤΑΝ apud Parutam, in quibus Quadrigæ ſunt, Victoriæ in Certaminibus, ab aliquo Thermitano cive relatæ indices, ei hôc nomine Urbi addicit, quæ in Siciliæ latere Auſtrali propè Oppidum Scacca fuit, & Plinio L. III. Sect. XIV. *Thermæ Colonia* dicitur; Atqui idem Paruta Numiſmatibus cum Quadrigis etiam ea jungit, quæ Caput Herculis & tres fœminas exhibent. Aeriter pugnas, reſpondit DULODORUS, ſed ſperô eâdem ingenuitate Te palinodiam cantaturum, quâ & Goltzius, cujus authoritas tanta eſt, ut & Harduino & Parutæ prævalere poſſit. *Quod Numiſmata antiqua*, inquit, *Thermitanorum & Himeræorum nomina diſcretim referant; ea nominis diſtinctio, priusquam Scriptorum authoritate ſatis confirmati eſſemus, & aliquot haud indoctos nobiscum eò opinionis induxit, ut Himeræorum Numiſmata, quæ huc pertinebant, in tractum oraique pene objectam Auſtrinam ante Urbem & flumen Gelam, quæ & ipſa plurimis Himera nuncupatur, nominis & ſimilitudinis ratione indutis transpoſuerimus. In iis namque Himeræorum Numiſmatibus Minerva Herculi balneanti ſacrò operatur, ab altera parte Ergoteles* δολιχόδρομος *apparet, quæ ex hiſtoriarum conſenſu ad Himeram, poſtea Thermas dictam, pertinent.* Vides ARCHÆOPHILE, conſummatiſſimum Antiquarium Numiſmata Himeræorum, licet duæ hôc nomine Urbes in Sicilia fuerint, imò & ipſe primò pro ea ſenſerit, quæ ad latus Auſtrale jacebat, tamen ſententiam ideò mutâſſe, quòd hiſtoria de Hercule balneante ad eam Himeram pertineret, quæ poſtea *Thermæ* dicta eſt; Quidni igitur & nos eâdem ex ratione ad eas Thermas referamus Numiſma propoſitum, de quibus hiſtoria de Hercule & Nymphis in Nummo expreſſis apud Authores proſtat? Quod à vicinia Entellæ argumentum deſumis, fragile eſt: Non vicinia, ſed ipſe locus allegandus eſt; Adde quòd ſecundum Lycophronis Interpretem, Unus tantum filius fuerit Urbium author, proindeque non Tres, ſed

Una

Una tantùm exprimi debuiſſet: Taceo, quod veriſimilius foret, originem potiùs à Patre, quàm à Matre Ægeſtæ deducturos fuiſſe, id quod & Ægeſtam feciſſe videri poſſunt, *Canem* exprimentes, eò quòd Crimiſus amnis ſub Canis figura Ægeſtæ Matrem compreſſiſſe memoratur. Quicquid ſit, pro Thermis Himerenſibus, ab Herculis balneo, à Nymphis aperto, nominatis, etiam Pindarum adduxerim, Olymp. Od. XII.

Θερμὰ Νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις,
Calida Nympharum Balnea extollis,

ad quæ verba Scholiaſtes: Τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ θερμὰ λουτρὰ τῆς Ἱμέρας πόλεως, λέγεται Ἀθηνᾶν ἀνοῖξαι εἰς ἀνάπαυσιν Ἡρακλεῖ, ἡνίκα ἐκεῖ ἐφάνη (τινὲς δὲ Νύμφας ὡς καὶ Πίνδαρος) ἵνα ἀπολούσηται, ὅτε τὰς Γηρυόνου βοῦς ἀπολαύων παρεγένετο. *Calida Himeræ Urbis in Sicilia Balnea ajunt Minervam aperuiſſe Herculi, in laborum recreationem, quùm illuc perveniſſet. Quidam autem id Nymphas feciſſe dicunt, ut & Pindarus, uti ablueretur, quum Geryonis Boves agens in ea loca perveniſſet.* Transmiſſo Himerâ fluvio

HIMERENSIUM VICTORIA



Se ſiſtit. Mihi ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam Origo expreſſa videtur. Originem in Cicada contemplor. Cicadas enim Athenienſium geſtamen, & ab Athenienſibus Himerenſes ortos, ex Thucydide conſtat. De Cicadis Libro Hiſtoriæ primò, cùm omnes olim Græciæ populos arma geſtâſſe narrâſſet: Ἐν τοῖς, inquit, πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο, καὶ ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ ἐς τὸ τρυφερώτερον μετέστησαν. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων, διὰ τὸ ἁβροδίαιτον οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνας τε λινοῦς ἐπάυσαντο φοροῦντες καὶ χρυσῶν τεττίγων. Ἐν ἕρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ Κεφαλῇ τριχῶν. Ἀφ' οὗ καὶ Ἰώνων τοῦς πρεσβυτέρους κατὰ τὸ ξυγγενὲς ἐπὶ πολὺ ἄυτη ἡ σκευὴ κατέσχε. *Inter hos*, inquit, *primi Athenienſes ferrum depoſuerunt, & remiſſiorem cultum ſecuti, ad genus vitæ lautius, & delicatius tranſierunt; Nec multum eſt tempus, ex quo apud eos illi, qui de ſenioribus propter delicatum vitæ genus erant delicatiores, ferre deſierunt lineas tunicas & AUREAS CICADAS, quas, capitis comam religantes, cincinnis inſerebant. Unde etiam apud antiquiores Jones cultus iſte propter cognationem in uſu diu fuit.*

De Cicada demonſtrâſti, inquit DULODORUS, an & de Origine facturus ſis, valdè dubito; Himerenſes enim non ab Athenienſibus, ſed à Zanclæis conditos Thucydides & Strabo aſſerunt. Nihil contrariantur, reſpondit ARCHÆOPHILUS, Zanclæos enim à Chalcidenſibus, & Chalcidenſes ab Athenienſibus ortos, iisdem Authoribus conſtat. En verba Thucydidis: Ζάγκλη, inquit, τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως ληστῶν οἰκισθῆ. Ὕστερον δὲ ἀπὸ Χαλκίδος, καὶ τῆς ἄλλης Εὐβοίας πλῆθος ἐλθὸν ξυγκατενέμαντο

τὴν γῆν. *Zancle, ab initio à Piratis Cumæis, quæ Civitas Chalcidica est in Opicis, inhabitata fuit. Postmodum verò Chalcidensium, & reliquæ Eubœæ, multitudo eò profecti Regionem eam incoluerunt.* En verba Strabonis: Μετὰ δὲ τὴν Γέραιστον Ἐρέτρια πόλις μεγίστη τῆς Εὐβοίας μετὰ Χαλκίδα. Ἐπειθ' ἡ Κάλκις, μετρόπολις τῆς νήσου τρόπον τινὰ, ἐπ' αὐτῷ τῷ εὐρύπῳ ἱδρομένη, ἀμφότεραι δὲ πρὸ τῶν Τρωικῶν ὑπ' Ἀθηναίων ἐκτίσθαι λέγονται. *Post Geræstum est Eretria, Euboicarum Urbium, demtâ Chalcide, maxima. Tum Chalcis Metropolis ac caput Insulæ quodammodo, supra ipsum sita Euripum. Ambæ ante bellum Trojanum conditæ ab ATHENIENSIBUS dicuntur.* Ratio, inquit DULODORUS, vel Per-Illust. SPANHEMIO judice, nimis longe petita est, cùm neque Himerenses Atheniensium Coloni exstiterint, nec Cicada in Nummis, sed noctua insigne Atheniensium, aut deductæ ab iis Coloniæ symbolum occurrat, illud Cicadarum in veterum Atheniensium coma gestamen ut taceam pridem desiisse. Mihi ob Victoriam adversæ Cicada hæc ad Victoriam de Rheginis referenda videtur, quòd horum in agro Cicadæ mutæ memorentur fuisse, victoriæque de Rheginis & Goltzius & Fazellus meminerint. Fortassis, excepit ARCHÆOPHILUS, nec ejus sententiæ Te pœniteat, quâ Cicadam hanc ad Himerensium campos retulisti, quòd omnium animalium Cicadæ maxime indigenæ sint, in campis degant, eademque Regione, quâ genitæ sunt, credantur & vivere & mori. Nimis lata hæc ratio foret, respondit DULODORUS, neque enim Capram Sessoris patientem, quod tunc feci, ad Carthaginenses referre ausim, licet in Africa ejusmodi fuisse, Doctorum calculo demonstratum sit. Quid obstat? inquit ARCHÆOPHILUS; Ipse equitantis habitus, respondit DULODORUS; Si enim ad Victoriam de Carthaginensibus ad Himeram, hoc Numisma spectaret, non Capræ insideret, multò minus Concham inflaret Sessor, sed ab hoste confectus humi procumberet, plane qualiter Capra ipsa in Nummis Gelonis & Syracusanorum apud Parutam. Hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, Victoriam quidem de Pœnis excludit, Victoriam autem Pœnorum non excludit. Quid si Pœnos Himeræ dominos hoc Numisma percussisse statuam? Capra sanè Sessoris patiens rem indubiè ad Africam deducit. At mihi, inquit DULODORUS, Concha obstare videtur; hanc enim cum Capræ Sessor inflet, Tritonis alibi insigne, non dubitarem, vel Numen aliquod Marinum, vel etiam Himeram fluvium sub hoc Sessore agnoscere, eôdem modô, quô & Nymphas variis in Mari animalibus, & inter ea etiam Capris insidere, ex Antiquitatum penu planum est.

Conjectura hæc sunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Cùm autem in aversa Victoria cum religata Palmæ Laurea expressa sit, nescio an suffragari ausim? Quidni? respondit DULODORUS, an Urbem hanc adeò debilem arbitraris, ut Victoriæ expers credi debeat fuisse? Atqui de Rheginis supra monui? & Pindarus Ol. XII.

Λίσσομαι, Παῖ Ζηνὸς, Ἐλευθηρίου
Ἱμέρα εὐρυουθενέ ἀμ-
φὶ πόλει, σώτειρα Τύχα.

Supplico Tibi, Filia Jovis Eleutherii,
Pro HIMERA POTENTI
URBE, Servatrix Fortuna.

In sequentibus Nummis

PANOR-

PANORMITANORUM FELICITAS

Exponitur. Primum Nummum cùm Triſtanus Pani Deo, alii Panormo addicerent, ego utrique vindicavi, ita ut Nummus à Panormitanis quidem cuſus, ſed ad nominis exprimendum etymon, Panis imagine fuerit ſignatus. Id feci non tantùm, quòd ſimile quid etiam à Panſa, in Nummo ſecundo Familiæ Vibiæ factum ſit, ſed etiam, quòd Pan Univerſi typus, & Cornibus & hirſutâ Capillorum ſerie Solem præfigurare credatur, cum Apolline eundem, cui Gryphum ſacrum fuiſſe, ex Philoſtrato, Heliodoro, aliisque, imò & ex ipſis Antiquitatum monumentis Per-Ill. SPANHEMIUS probat, & patet ex Nummis Lilybætanorum apud Goltzium, in quo Gryphus & Tripos viſuntur. Eleganter ſanè & rationes appellationis hôc modô Panormitani expreſſerint, & Soli ſimul retulerint gratias, pro conceſſa ſibi amœnioris agri fertilitate: Quanquam & Panormi effigies concurrat, quam formâ virili, facie prolixâ, barbâ acuminatâ, capite Regio, & Diademate redimitô, Panormitanis pingi ſolitam, Fazellus teſtatur. De his ego non dubitem, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & facile ceſſerim, Numiſma ſecundum ad eandem Panormi effigiem referendum eſſe; Quanquam enim Caput, loco Diadematis, Laureâ inſigne contineat, barba tamen & ipſa acuminata eſt. Si acquieſcas, reſpondit DULODORUS, licebit, quamvis etiam Jovi Ἐλευθερίῳ caput id vindicari poſſit, propter Equum averſæ, liberrimô curſu ſalientem, qui & in Nummis Syracuſanorum viſitur. Libertatis is index eſt, à qua & fluvio, Urbi Panormitanorum vicino, nomen exſtitit. Sed antequam progrediamur, adhuc de Piſce dicendum, qui ſub Grypho cernitur.

Piſcem, inquit ARCHÆOPHILUS, ad ſitum retulerim; Diodorô enim teſte, pulcherrimum Panormus totâ Siciliâ Portum habuit. Ego, reſpondit DULODORUS, potius ad Thynnorum capturam reſpexerim, quam, Fazello teſte, ad Panormum non minus ac ad Pachynum & Drepanum, ac omnem eam oram, quam mare Tyrrhenum alluit, largam fuiſſe, Veteres tradidére. In tertio Numiſmate, hinc Caput Palladis eſt, inde ſignum Trinacriæ cum ſpicis, Siculorum lingua, ſi Cluverium audis, Τρίσκελον dictum; Inde certè Hyginus: *Sicilia in Triſcelo poſita.* Quanquam alii Literæ Δ. eam aſſimilàrint. Quicquid ſit, ſub tribus Cruribus tria Promontoria, Pachynum, Pelorum, & Lilybæum rite intellexe-

tellexeris, uti ſub ſpicis Siciliæ fertilitatem. Panormo vicinam Siciliæ Regionem *totam hortum* appellatam, eò quòd ubique abundaret cultis arboribus, author eſt Callias apud Athenæum; Sed ipſi Panormitani totam hoc Numiſmate Siciliam *Cereris promtuarium* celebrant, idque ad effatum Ciceronis, qui totam Cereri & Liberæ conſeratam teſtatur.

Non tam de Siciliæ fertilitate laboro, inquit ARCHÆOPHILUS, quàm de Capite averſæ galeato. Caput galeatum, reſpondit DULODORUS, Palladis eſt, ſive Minervæ, quæ in vicinia Panormi balnea Herculi memoratur aperuiſſe, uti ad Nummum Thermitan vidimus. Goltzius eam cognomine *Coryphaſiam* Panormi cultam ex hoc ipſo Nummo probat, idque ideò, quòd caput Gorgonium, cui pinnæ annexæ fuére, inter femora Triſceli appareat. In quarto Numiſmate, perrexit ARCHÆOPHILUS, figura ſedens & in averſa Ovis aut Aries exprimitur. Oves, reſpondit DULODORUS, in Sicilia fuiſſe, teſtimonio Circes conſtat, apud Homerum Odyſſ. L. XII.

Θρινακίην δ' ἐς νῆσον ἀφίξεαι, ἔνθα δὲ πολλαὶ
Βόσκοντ' Ἠελίοιο Βόες καὶ ἴφια μῆλα.
Thrinaciam autem ad Inſulam pervenies, ubi multæ
Paſcuntur Solis Boves, & pingues OVES.

Ubi addi poteſt Commentator Euſtathius, & idem Poëta in ſequentibus. Figura ſedens Ceres videtur, non aliâ ratione, quàm quod ſimilis omninò apud Parutam ex Velo & Spica noſcatur. De ea ex ſuperioribus conſtat.

SEGESTANORUM
PALÆSTRÆ



Succedunt. Inſcriptio, propter inſolitos characteres, licet legi difficilis ſit, Segeſtam tamen haud obſcure prodit. Figuræ expreſſæ antiquam ſi non Urbis, attamen Loci adumbrant celebritatem. In adverſa Eryx eſt, cum corio illo bubulo, quod manibus circumvolutum Ceſtum dixére. In averſa ſunt Palæſtritæ, ſive ipſe Eryx cum hoſte advena congreſſus. Elegans locus eſt apud Lycophronem in Alexandra:

Ἥξει δὲ Ταύρου Γυμνάδας κακοξένους
Πάλης κονίστρας.
Adibit deinde Tauri GYMNASTICAS inhoſpitas
LUCTÆ PALÆSTRAS.

Ad quem locum Commentator Tzetzes: Παραγενήσεται δὲ ὁ Μενέλαος καὶ περὶ τὴν Σικελίαν, ὅπου αἱ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑΙ τοῦ ΕΡΥΚΟΣ τοῦ ξενοκτόνου, τοῦ υἱοῦ ΑΦροδίτης καὶ Ποσειδῶνος. *Meuelaus etiam in Siciliam veniet, ubi PALÆSTRÆ ſunt ERYCIS hoſpitum interfectoris, Veneris & Neptuni Filii.* Res mihi dubia videtur, inquit ARCHÆOPHILUS; Eryx enim non Ægeſtæ, ſed Eryci nomen dedit. Ægeſtam

Ægeſtam Ægeſtes memoratur condidiſſe, idque Æneâ ſuadente, cujus in memoriam adhuc Æneas Anchiſen geſtans in eorum Nummis apud Parutam viſitur. Non Ægeſtam tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & Entellam, & ipſam etiam Erycen condidit Ægeſtes, id quod ex allato ſub Thermis Tzetzæ teſtimonio conſtat. Inde ſane harum Urbium affinitas deducitur. Et ſi propinquitatem contempleris, Erycisque Patrem Butam totius hujus agri Regulum fuiſſe conſideres: Imò ſi Diodori verba ſequaris, qui non in Eryce monte, ſed *in ſubjecto ei campo* Erycen cum Hercule congreſſum memorat, utique nihil dubitabis, de Palæſtritis in Numiſmate Segeſtanorum expreſſis.

In Numiſmate Parutæ, non minus ac Goltziano, inquit ARCHÆOPHILUS, non Palæſtritæ, ſed ab altera Hercules, ab altera duæ figuræ cum ſacco cernuntur. Hercules, reſpondit DULODORUS, Erycis victor, opinionis meæ fulcrum eſt. Duæ figuræ cum ſacco, Emporii dignitatem videntur extollere, cujus Ptolemæus meminit, ita ſcribens:

Βαθέος ποταμοῦ ἐκβολαὶ	Λς	Bathys fluvii oſtium	XXXVII.
Ἐμπόριον Σεγεσταίων	Λς	Emporium Segeſtanorum	XXXVII.
Δρέπανον — —	Λς	Drepanum	XXXVII.

Sed ultra progredimur.

LILYBÆTANI APOLLINIS CULTORES



ſe ſiſtunt. Inſcriptio in cenſum venit. In Nummis enim ΛΙΛΥΒΑΙΙΤΑΝ legi Cluverius & Holſtenius aſſerunt; at in noſtro ad mentem Stephani ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ exſtat. Urbs à Puteo nomen habuit, qui Diodoro teſte, Annibalis adhuc ætate Λιλύβαιον dicebatur. An hic eſt ille, inquit ARCHÆOPHILUS, cujus fatidica efficacia Apollinis in Numiſmate exprimendi cauſa fuit? Ita Goltzius, inquit DULODORUS, qui & Sibyllæ Cumanæ & hoſpitio & ſepulcro hanc Urbem celebrem fuiſſe obſervat. Sed mihi non tàm ob Puteum aut Sibyllam Apollo expreſſus videtur, ſed ob ipſum Apollinis cultum. Cicero mihi opinionis fons eſt. *A Liſone*, inquit in Verrem Actione VI. *Viro LILYBÆTANO, primo homine, apud quem diverſatus es, APOLLINIS ſignum oblatum certè eſſe non oportuit.* Si Apollinem coluit primus homo, quidni & reliquus populus? Id fecerunt &

SELINONTINI A MEGARENSIBUS ORTI.



FIguram in adversa sacrificantem, Goltzius vel Empedoclem vel Herculem Alexicacon ad aram Æsculapii statuit, eò quòd Empedocles Agrigentinus, stagnum, pestilentem ob Solis ardores aërem exhalans, immissis Hypsâ & Selinonte fluviis diluisset, Civitatemque malô liberâsset. Ratio aperta est, inquit ARCHÆOPHILUS; Æsculapio enim hoc sacrum fieri, Gallus Æsculapio sacer demonstrat: demonstrat Serpens in Nummo Goltziano, in quo, cùm figura sacrificans loco rami Clavam teneat, labor ut pro Hercule sentiam. Ad Nummum Goltzianum, excepit DULODORUS, res indubia est, sed in nostro Herculem excludit formositas, tam faciei quàm corporis. Ego Empedoclem crediderim, cui ramus Lauri ideò datus credi potest, quod Apollini is sacer, Medicinæ Deo. Fulcit opinionem Taurus, à tergo aræ coronatæ insistens. Uti enim Gallus Æsculapio sacrificabatur, id quod ex testamento Socratis apud Platonem liquet, ita Taurus Apollini.

Si res ita se habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, Empedocles duobus hîc sacrificat, & Æsculapio & Apollini. Ita est, respondit DULODORUS, nec abs ratione, sive Deorum merita respicias, sive Empedoclis ipsiusque Populi originem. Meritum est Sanitas, quam Empedocles, faventibus & Apolline & Æsculapio Selinontiis restituit; Origo Populi à Megarensibus Græciæ est, qui & ipsi Apollinem in Numismatibus expressere; Empedoclis ab Agrigento, apud quos uterque, & Æsculapius & Apollo, in honore fuerunt. Non absque fulcro loquor, de Apolline & Æsculapio Cicero testatur: *Quid Agrigento?* inquit ad Verrem Act. VI. *nonne ejusdem P. Scipionis monumentum, signum APOLLINIS pulcherrimum, cujus in femine litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum, ex ÆSCULAPII religiosissimo fano sustulisti?* De Empedocle Agrigentino, & ob beneficium à Selinontiis Divinis honoribus culto, videri potest Diogenes Laërtius, qui & Bovem ab eo immolatum & proœmium in Apollinem memorat scriptum: Et ne de Selinontiorum à Megarensibus origine dubites, Thucydides Lib. VI. facit, cujus locus longior est, quàm ut adscribi debeat. Et quid juvabit? subjecit ARCHÆOPHILUS, nisi & de Apolline Megaris culto doceas. Id tritum est, inquit DULODORUS, non Numismata tantùm rem probant, sed & Pausanias, & Virgilius, & Ovidius, Apollinem, referentes, Alcathoum in exstruendis Urbis muris juvisse, saxumque, ad quod Lyram deposuisset, calculo percussum, eundem sonitum edens, quem Lyra soleret, rei indicium fuisse. Sed aversam inspicimus.

Si me audias, inquit ARCHÆOPHILUS, paulisper adhuc moraberis, video enim folium adhuc, video piscem, & à ramo dependentem tabellam, cui nescio quæ figura insculpta est, ut Gallum taceam, ad quem mihi in mentem venit, quod Fazellus tradit, *Gallos & Gallinas Massaliæ*, quæ ex Lilybæi ruderibus creverit,

verit, *tota Europa & Africa magnitudine præstare.* Locus à Selinunte adeò remotus non fuit, ut non idem etiam de hac asserere ausim, occurrente Gallo in eorum Numismate? Æsculapii ratio propior est, respondit DULODORUS, & si de Pisce quæras, habebis & situm, & Piscium capturam, & Neptuni cultum, uti sub folio Selini nominis etymon. Selino enim, quod Latinis Apium est, & agrum Selinontiorum & fluvii ripam luxuriâsse, Goltzius observat, & patet ex historia Timoleontis apud Plutarchum. Tabulam à ramo dependentem nec ego intelligo. Figura currentis in ea videtur delineata. Si res ita sit, poterit Gloriæ Empedoclis cedere, cùm apud Diogenem Laërtium, ipse in Olympicis Certamine Equestri, filius autem ipsius Lucta, sive, ut Heraclides ait, *Cursu* vicerint.

Si curru vicisset, excepit ARCHÆOPHILUS, eòdem referrem etiam aversæ Bigas. De his, inquit DULODORUS, Goltzii conjectura potior est; Apollinem Arcuarium cum filio Galeote is conjicit, eò quod Apollo ortum à Megarensibus, Galeotes autem ab Hyblæis demonstret. Laurea utrique convenit, & utrosque etiam Hyblæis, per quos à Megarensibus Selinontu descenderunt, cultos esse, ex Cicerone constat.

AGRIGENTI, THERONIS ET GELONIS DE CARTHAGINENSIBUS, AD HIMERAM Victoria & Triumphus

Succedunt. Primum Agrigentinorum Numisma in Thesauro Palatino ad interitum Urbis, binis Carthaginensium castris, Diodoro teste, maturatum, reflore-

ſcentemque ſub Romanis Rempublicam retuli; ſed opinionem illam mihi ademit Eruditiſſima Per-Illuſt. SPANHEMII ad eam Critis, quâ non credibile demonſtratum dedit, florentiſſimam Civitatem ſe meticuloſiſſimo & ignavo animali, Lepori puta, aſſimilâſſe. Quid igitur? repoſuit ARCHÆOPHILUS; An Aquilas has ob Venationis gloriam expreſſas arbitrer, quâ vel Agrigentini, vel Agrigentinorum metropolis Rhodus fulſerit? Noſti, dulciſſime DULODORE, Colonias Græcorum ad indicandas origines plerumque primordiorum decora expreſſiſſe: Noſti Aquilarum venationem antiquitûs inſolitam non fuiſſe. Indos Aquilarum pullos ad Leporum Vulpiumque venatum inſtituere, Ælianus L. IV. de Anim. c. 26. Author eſt. Cublai Tartarorum Imperatorem multas Aquilas habuiſſe, quæ non ſolum Lepores, Capras, Damulas & Vulpes caperent, ſed etiam in lupos inſilirent, Ulyſſ. Aldrovandus memorat. Venationibus ſcil. deditiſſima eſt Aquila, indeque frequentiſſimè in Nummis occurrit, non leporem tantum, ſed & alia animalium genera conficiens. De Aquila Venationibus dedita, reſpondit DULODORUS, facile aſſenſero, ab Agrigentinis autem ob Venationis gloriam expreſſas, qua vel Agrigentum, vel ejus Metropolis Rhodus fulſerint, fateri non auſim. Agrigento Numiſmatis obſtat magnitudo: Rhodo obſtat Plinius. Magnitudo ad ea tempora typum reducit, quibus Lepores, non dicam in Sicilia nondum erant, ſed quibus recens ab Anaxila fuerant introducti. Plinius Rhodum Aquilam non habere diſerte affirmat L. X. c. 29. eique ſuffragatur Apollonides in Florilegio Epigr. Gr. Lib. I. c. 60. n. 2.

Ὁ πρὶν ἐγὼ Ῥοδίοισιν ἀνεμβατος ἱερὸς ὄρνις,
Ὁ πρὶν Κερκαφίδαις ἀιστὸς ἱστορίη.
Quæ prius ego Rhodiis inacceſſa ſacra avis,
Quæ prius Cercaphidis Aquila fui hiſtoria.

Hæc ſi conſideres, haud opinor Opinioni Tuæ ulterius inhærebis, ſed aliam plane hic admittendam eſſe, haud invitus fateberis? Ita ago, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & jam ex Te audire geſtio, an igitur ob augurium aliquod Aquilas Leporem venantes Agrigentini expreſſerint? In mentem enim venit, non tantùm exemplum in domo Agamemnonis apud Æſchylum, quod Per-Illuſtris SPANHEMIUS attulit, duas Aquilas ſcil. gravidam Leporem diſcerpentes, Veſcentibus augurium fuiſſe, Trojæ à duobus Atridis, quos inde Calchas augur λαγοδαίτας vocavit, cum omnibus, intra ejus ambitum, civium opibus diripiendæ; ſed etiam quòd apud Xenophontem legitur, ubi Aquila dextrâ advolans, cùm Leporem fugientem deſpexiſſet, & irruens eum percuſſiſſet, raptamque ſuſtuliſſet, ac proximum in collem deportâſſet, proque libidine prædâ uſus eſſet, Cyrus contrà Armenum per ſpeciem venationis ad bellum procedens, eô augurio lætatus memoratur, adoratòque Jove Rege, ad eos qui aderant dixiſſe: *Venatio nobis hæc, Amici, volente Deo, proſpera futura eſt:* eoque dicto per Aquilam Lepore potitam, futuram de Armeno Victoriam ſibi nunciari, haud obſcure ſignificavit. Adeò verum Gentilibus fuit, quod Callimachus in Hymno Jovis de Aquila cecinit:

Θῆκαο δ' οἰωνὸν μὲν ὑπείροχον ἀγγελιώτην
Σῶν τεράων. — —
Conſtituiſti, O Jupiter, avem præſtantiſſimam, nuncium
Tuorum auguriorum. — —

Augurium in Agrigentinorum Nummis, regeſſit DULODORUS, libenter admitterem, ſi vel minimô idonei Authoris cujusdam teſtimoniô aſſertum hiteretur; Non autem ſufficit Aquilam auguriorum nuncium fuiſſe: Probandum etiam Agrigentinis talem fuiſſe. Prius illud pluribus exemplis deduci poteſt,

poteſt, ſed hoc vereor ut ullo. Id ſanè dum fiat, ſenſum auguriorum myſticum intueri licebit. Aquila Leporem venata apud Xenophontem, annon Cyrum denotat Armeniorum Regi infeſtum? Aquilæ duæ apud Æſchylum, Leporem gravidam diſcerpentes, annon Atridas Trojam direpturos? Si ratio procedit in his, quidni procedat & in Nummo Agrigentinorum? ita ut duas Aquilas Leporem diſcerpentes, *Gelonem & Theronem* intelligamus, Carthaginenſium exercitum ad Himeram conficientes? Tanta fuit illius expeditionis Gloria, ut totam Siciliam ad obſequium traxerit: Tanta felicitas, ut Carthaginenſes ingenti prælio fracti, quibuscunque conditionibus pacem anhelarent, obtentæque gratiæ, centum illis Talentis auri tectati ſint, quorum in memoriam Nummus Damaratæus eô pondere percuſſus eſt, quô propoſitus cernitur. Sed alia adhuc ratio opinionem meam ſublevat. Anaxilas Rheginorum Tyrannus in cenſum venit. Is & Lepores & Carthaginenſes in Siciliam adduxerat. En rationem utrinque evidentiſſimam! Theroni & Geloni Generoſa Regiæ majeſtatis & ſublimitas & fortitudo Aquilarum ſpeciem circumfudit. Carthaginenſibus ab Anaxila in Siciliam poſt Lepores introductis, ſpeciem Leporum offudit & belli Author & ignavæ expeditionis infelix eventus. Quid ſuper eſt? Non aliud, quàm ut Numiſma hoc ingentis illius ad Himeram Victoriæ indubitatum monumentum eſſe, firmiter impoſterum teneamus.

Deſierat DIODORUS; At ARCHÆOPHILUS, non poſſum, inquit, quin rei plenius pertexendæ Tibi anſam præbeam. Quod de Anaxila dicis, cum Carthaginenſes in Siciliam introduxiſſe, id de Terillô memorat Herodotus, Crinippi filio, Himeræorum Tyranno, quem Theron Æneſidemi filius Agrigentinorum Tyrannus ex Himera ejecerat. Deinde apud Diodorum Siculum utique ſolus Gelo dicitur hoſtem confeciſſe. Et quale eſt, quod in aliis Agrigentinorum Numiſmatibus unam tantùm Aquilam Agrigentini aliique expreſſerint? imò quod non Lepores tantùm, ſed alia etiam animalia Aquilis, aliisve animantibus ſuccumbentia occurrant? Quod ex Herodoto adfers, regeſſit DIODORUS, ex Herodoto diluo. Idem enim licet Terillum Carthaginenſes adduxiſſe memoret, addit tamen, id eum feciſſe, tum hoſpitii neceſſitate perſuaſum, tum præcipuè promtâ animi voluntate Anaxilæ, Critinei filii, Rhegini Tyranni, qui filios Amilcari obſides dederit, ulciſcendi Soceri cauſa, quòd in matrimonio haberet Terilli filiam nomine Cydippam. Quibus ex verbis utique clarum eſt, eleganti jocô, ſub Lepore Anaxilæ merita perſtringi, eleganti ſenſu ſub Aquilis Theronem & Gelonem intelligi. Theronem & Gelonem dico; Licet enim Diodorus, ut mones, rem de ſolo Gelone memoret, nihil tamen mirum, etiam Theroni, Principi ſuo, rei gloriam tribuiſſe Agrigentinos; Præter enim, quòd nota eſt ſubditorum in Principes adulatio, illud ſufficiens cauſa fuiſſe poterit, quòd Theron à Gelonis partibus ſtetit, eàdemque cum ipſo ſocietate tenebatur, Urbemque Himeram contra hoſtes cuſtodiebat, dum Gelon in Caſtris circumventos cæderet, niſi & ipſe, quod credibile eſt, eruptione factâ, Gelonem juverit. Utrique ſanè Victoriam adſcribit Herodotus, Lib. VII. cap. 165. Πρὸς δὲ καὶ τάδε λέγουσι, ὡς συνέβη τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἐν δὲ τῇ Σικελίῃ ΓΕΛΩΝΑ καὶ ΘΗΡΩΝΑ νικᾶν Ἀμίλκαν τὸν Καρχηδόνιον, καὶ ἐν Σαλαμῖνι τοὺς Ἕλληνας τὸν Περσέων; hoc eſt, interprete Valla: *Præterea ajunt iisdem contigiſſe, ut eôdem die GELON & HIERON Amilcarem Carthaginenſem in Sicilia ſuperarint, quô Græci in Salamine Perſam.* Intelligis ARCHÆOPHILE, me non abs ratione Victoriam hanc utrique tribuere, non abs ratione aſſerere, ab Anaxila Carthaginenſes in Siciliam inductos; Quod præterea moves, paucis adhuc examinandum. In aliis Agrigentinorum nummis, unam tantùm Aquilam, inquis, Lepori infeſtam.

Quid-

Quid tum? Annon licuit Agrigentinis hôc ſchemate ſui Principis gloriam ſeparatim extollere? An Numiſma Damaretæo pondere, Gelonis ſimul & Theronis honori, percuſſum, hanc eis libertatem ademit? Minimè verò! imò potiùs, cùm Aquilæ Leporem venantes, nec in Syracuſanorum, nec in Gelonis Numiſmatibus occurrant, Theron autem ſtatim Victoriarum ſub initium Carthaginenſes memoretur ludibriò habuiſſe, credendum omnino, ipſum Theronem inventi Authorem fuiſſe, eòque deinceps Principem ſuum Agrigentinos coluiſſe. Dicendum adhuc foret de aliis Civitatibus eòdem ſchemate uſis; Dicendum de Aquila ſerpentibus aliisque animantibus infeſta, ſed illud ad Numiſma Locrorum factum, hoc ad Numiſma Xalcidis oportuniùs egero. Ne tædio ſim, ad alia tranſibo. Si mihi gratificeris, non facies, excepit ARCHÆOPHILUS, Numiſmati nondum arbitror ſatisfactum. De Cancro, quem ſub quadrigis cernimus, in Theſauro quidem Palatino dixiſti, Urbis ſcilicet ſitum ſub eo intelligi, quòd licet à Mari octodecim ſtadiis remota, fluentibus tamen ab Auſtro Acragâ, ab Occidente & Africô Hypsâ, undique ferme fuerit incluſa, Emporiumque habuerit, ἔνεσιον ſive *Navale* dictum, & Piſcinam ſeptem ſtadiorum ambitu, viginti cubitorum profunditate effoſſam, variorumque fluviorum & fontium influxu agitatam, & piſcium Ubertate Cygnorumque copiâ celebratiſſimam. Hæc ego facile admiſerim, cum conſtet, Cancrum maritimarum Urbium commune ſymbolum eſſe: Sed de Quadrigis ſub Aquila volante, & de Locuſtis adverſæ, quas ab Aquilis recedentes cernimus, lubentiſſime ſcire velim, quid ſentias; Neque enim vel illas, ſecundum ſuprà dicta, ad reflorescentem ſub Romanorum dominatu Agrigentinorum felicitatem referre, vel ſub his, quod illic Te egiſſe memini, Civium emigrationem contemplari licet.

Quoniam ita lubet, amantiſſime ARCHÆOPHILE, reſpondit DULODORUS, voluntati Tuæ haud gravatim aſſurgo; Et primò quidem de Locuſtis, diverſam planè ſententiam fero. Non Cives ſub iis latere arbitror, ſed Anaxilæ auxilia, eò quòd non Meſſanæ tantùm, ſed & Rheginorum is Tyrannus fuit, ubi Locuſtæ aut Cicadæ mutæ memorantur. Opinioni favet, quòd in Numiſmate Himeræorum ſuprà propoſito, & Meſſanenſium infra proponendo, non minus Cicada appareat ac in præſenti. Et quid ſi ſub Aquila, ad Cicadas fugientes reſpiciente, Theronem intelligam fugientibus Anaxilæ copiis inſtantem? Theronem certè non ſub hâc tantùm Aquilâ latere exiſtimem, ſed etiam ſub ea, quæ in aversâ ſuper quadrigas volitans, neſcio quid ſpoliarum defert. Viſcera Lepori credideris rapuiſſe, pullisque ſuis eſcam deportare. Quinam ii fuerint, Inſcriptio indicat, indicat Nympha quadrigis invecta. Acraganta nomen prodit, & Acraganta Urbem, Nymphæ habitu adumbratam, nuper in Faſciculis ex Pindaro docui. Acraganta igitur hic cernis, Urbem Nymphæ habitu adumbratam, & Theronis Principis ſui Victoriâ, tantâ felicitate potitam, ut Triumphali gloriâ viſa fuerit incedere. De nihilo non eſt, quod quadrigis inſiſtat Acragas, non quod Equorum capita in diverſum videas jactata: Alterum Acraganta Equorum feracem, alterum nativam Equorum Generoſitatem denotat. Utrumque docet Virgilius Lib. III. Æneid.

Arduus inde ACRAGAS oſtentat maxima longè
Mœnia, MAGNANIMUM quondam GENERATOR EQUORUM.

Fœcunditas tanta fuit, ut ſexageſimô octavô poſt hanc Victoriam annô, Exænetus Stadii victor, trecentis cum Quadrigis, quibus omnibus Equos albos junxerat, magno cum Agrigentinorum applauſu in Urbem introierit: Generoſitas tanta, ut cùm Cappadocum Equi defeciſſent, ad reficiendam magnanimi generis ſobolem,

bolent, propago ab Agrigentinis, vel Oraculi jussu, fuerit accersita. Annon addamus & ipsius Theronis Victoriam in Olympicis? iteravit ARCHÆOPHILUS, nam & hanc quadrigis eum obtinuisse, Pindarus canit:

Θήρωνα δὲ τετραορίας	*THERONEM OB QUADRIGAS*
Ἔνεπε νικαφόρου	*Victrices*
γεγωνητέον ὀπὶ,	*celebrandum est voce*
δίκαιον ξένον,	*justum hospitem,*
Ἔρεισμ' Ἀκράγαντος,	*Columen Agrigenti,*
Εὐωνύμων τε πατέρων	*Clarorumque parentum*
ἄωτον ἀρίστολιν.	*Florem, Rectoremque Urbium.*

Victoriam Theronis Olympicam, respondit DULODORUS, ad Numisma hoc non attulerim, idque ideò potissimùm, quòd octo annis eò posterior fuit. Carthaginenses victi sunt Olymp. LXXV. At Victoria Theronis Olympiaca contigit Olymp. LXXVII. Ex quo sanè constat, quod in rerum natura nondum fuit, cum Nummisma percuteretur, nec in eo exprimi potuisse. In reliquis novi nihil occurrit. Caput juvenile vel Acraganta fluvium refert, vel Tyrannorum aliquem: Aquilam columnæ insistentem procul dubio eò habitu Jovi consecraverint Agrigentini, & quidni, ut principis sui sub ea adumbrarent & sanctitatem & vigilantiam? Piscis Numismatis tertii Piscinæ nos admonet, cujus modo meministi, & quam plurибus verbis Diodorus celebrat, Pisces affatim suppeditantem, non ad necessarios tamen ciborum usus, sed ad voluptatem etiam. Succedit

GELA
CRETENSIUM COLONIA

Id quod ex Minotauro docemur. Thucydides rem confirmat. Γέλαν, inquit, Ἀντίφημος ἐκ Ῥόδου, καὶ Ἔντιμος ἐκ Κρήτης ἐποίκους ἀγαγόντες κοινῇ ἔκτισαν. *Gelam Antiphemus ex Rhodo, & Entimus ex CRETA, Colonos deducentes, communiter ædificârunt.* Hoc equidem patet, inquit ARCHÆOPHILUS, sed illud dubium, annon & Dædalus concurrat? Dædalum enim ad Coccalum Siculorum Regem, qui ad meridiem dominabatur, confugisse, ex Historia patet. Rationem non excluserim, respondit DULODORUS, præsertim, cùm Pausaniâ teste, & Antiphemus Gelæ Conditor, Omphace Sicanorum Oppidô direptô, simulacrum à Dædalo fabricatum Gelam deportârit: Quanquam & Minois meminisse possis; nam & hic Dædalum insecutus Siciliam intravit. Quicquid sit, Gelam à fluvio dictam, Virgilius testatur:

Apparet Camerina procul, Campique Geloi,
Immanisque GELA, fluvii cognomine dicta.

Quanquam alii à *subito* Antiphemi *risu*, alii aliunde nomen deducant.

Mihi, subjecit ARCHÆOPHILUS, eorum opinio placet, qui à *Gelone*, Æthnæ & Hymari filio, Etymon accersunt. Imò, respondit DULODORUS, à *vorticibus* id Flumini datum, Bochartus arbitratur, quod Virgilio famulatur. Sed hæc indicâsse sufficiat. Ad Hieronem aciem mentis conferre libet, Dinomenis filium, qui Gelæ Tyrannus exstitit, cujusque in primo Numismate statua Equestris occurrit. Unde hoc probaveris? inquit ARCHÆOPHILUS; Ex Hieronis Nummis, respondit DULODORUS; Eadem enim Statua Equestris etiam in his apud Parutam cernitur, idque ideò, quòd Celete Hiero vicerit, in quam Victoriam Olympiade LXXIII. obtentam, pruna Pindari Ode conscripta est. Quid autem Bigæ Numismatis secundi? inquit ARCHÆOPHILUS. Ad eundem Hieronem eas referrem, respondit DULODORUS, eò quòd similes ferè & in Nummis apud eundem Parutam occurrant; sed obstat muliebris tunica, quæ non Hieronem hunc, sed ipsam Gelam, mulieris specie effictam arguit. Recordaberis ARCHÆOPHILE, Victoriarum gloriam non tam Victoribus, quam Urbibus appositam, id quod superiore Capite docui. Indeque est, quòd non Victores, sed ut plurimùm mulieres, Urbium velut Genii, Currus agitent. Succedit in Numismate

CAMARINÆORUM
PALLAS ΠΟΛΙΟΥΧΟΣ
ET
VICTORIA HIPPOCRATIS
AD ELORUM.

CAmarinæorum Numismata, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Parutam vidi, sed apertè fateor, me sensum eorum nondum assecutum esse; Neque enim vel quisquam alius, quod sciam, vel ipse etiam Harduinus, qui Numismata Urbium se illustrâsse jactat, quicquam hîc lucis affudit. In proposito Palladem video, an Πολιοῦχον *tutelarem Urbium* Deam? In genere quidem Palladem Urbium tutelarem fuisse, nihil dubito, an autem in specie Camarinæorum fuerit? id videlicet erit probandum. Facilè satisfecero, respondit DULODORUS; Pindarum sisto, Psaumidis Camarinæi Victoriam Olympicam celebrantem:

— — Ὦ Πολι	— — *O URBIS*
ἄοχε Παλλὰς, ἀεί-	*CONSERVATRIX PALLAS, celebrat*
δει μὲν ἄλσος ἀγνὸν	*lucum sanctum* (sc. Psaumis.)
τὸ τεὸν, ποταμόντε Ωανὸν, ἐγ-	*tuum, fluviumque Oanum, pa-*
χωρίαν τε λίμναν,	*triamque paludem,*
καὶ σεμνοὺς ὀχετοὺς, ἵπ-	*& venerandos canales, quibus*
παρις ὄσιν ἄρδει στρατὸν.	*Hipparis rigat exercitum.*

Ad

Ad quæ verba interpres Græcus: Καμαρινάιων Θεὸς ἡ Ἀθηνᾶ, καὶ διὰ πλεῖστης τιμῆς παρ' αὐτοῖς οὖσα ἡ Θεὸς, καὶ Λύκαιον ἐπώνυμον ἐν Καμαρίνῃ. *Camarinæorum Dea Pallas, & propter maximum honorem apud eos habitam Dea, & Athenæum illustre in Camarina.* Quid videtur ARCHÆOPHILE? an locus de Pallade satisfacit? Satisfacit, inquit ille, & gratum feceris, si eâdem firmitate etiam de Victoria & Cygno doceas. Mihi sanè historiam Camarinæorum evolventi, non Victoriarum gloria, sed cladium miserandarum dedecus occurrit. A Syracusanis condita, sed ab iisdem etiam bello superata, funditùsque deleta memoratur. Hippocrates Gelæ Tyrannus eam restituit quidem, sed Gelo ejus successor, quod ab eo defeciſſet, rursus evertit. Primô Bellô Punicô à Romanis expugnata est, Romæque deinceps paruit. Quænam hic Victoriarum mentio? Et si nulla fuit, quid Victoria in nummo? Quid Cygnus, cùm tamen nec his Camarina insignis fuerit?

De Cygno, regessit DULODORUS, possem Urbis situm in subsidium adducere. Cygnum circa lacus, amnes, & paludes vivere, Aristotelis testimoniô constat. Camarina igitur inter duos amnes, Oanum & Hipparim sita, lacuque insuper nobilis, & litore importuoso máris, quidni oloribus fuerit apta, aut frequentata? Quidni? cum Africo mari obversa fuerit, in quo olores navigantibus conspectos, ex eodem Aristotele constat? Cùm eòdem Siciliæ in latere fuerit sita, quô & Agrigentum, cujus in lacu Cygnorum agmen se demisisse, Diodoro memoratur? Imò & Cygnum ad Apollinem referre possem, cui sacer est, eò quod apud Camarinenses Apollo Ἀσιγενέτης colebatur, uti Lilius Gyraldus tradit. De Victoria possem Olympicam citare, quam Psaumis obtinuit à Pindaro Ode. IV. & V. celebratam, idque eò magis, quò propius ad eam videntur accedere quadrigæ, cum Victoria supervolante, apud Parutam. Sed aliud se sistit. Prostraverat Hippocrates Syracusanos ad Elorum; Camarinam vastatam adhuc pro captivorum redemptione acceperat, id quod ex Herodoto & Thucydide palam est. Is acceptam non neglexit, sed restituit, id quod Te referente modò intellexi. Olymp. LXXXII. id factum esse, quâ & Psaumis in Olympicis Victor exstitit, interpres Pindari refert. Hæc cùm ita sint, quidni & Psaumidis Olympicam, & Hippocratis bellicam, hoc in Numismate intellexeris Victorias? Urbis restitutio sane sub Pallade latere potest, & prælii locus sub Olore, modò verum sit, quod Fazellus ait: *Sunt qui hunc amnem (Elorum nempe, ubi prælium factum est) Olorum appellant, quod in ejus ostio Cygnorum multitudo frequentare soleat.* Addo & Ovidium IV. Fast.

Hinc Camerinan adit, Thapsumque, & OLORIA Tempe,

Licet hodiè plerique Eloria legendum censeant; Sunt enim, qui eôdem modô hic *Oloria* dicta arbitrentur, quô Metamorph. VII. *Cygneia*,

Inde lacus Hyries videt, & CYGNEIA Tempe,

Syracusæ succedunt, & primo quidem in Numismate

NUMISMATA SYRACUSARUM PARTES.



AD hoc Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Syracuſarum Te memini contemplatum & Partes & Originem. Hanc in Capite Herculis, Illas in quatuor angulis, Caput muliebre includentibus: Neutrum abs ratione; Coloniæ enim Dux Archias fuit, qui Herculis ex Alcæo Poſteros generis ſui authores recognovit, ut ex Thucydide obſervâſti: Quanquam nec Herculis cultum neges, cùm hunc devictô Eryce rẽducem, Syracuſis anniverſarium docuiſſe, indeque in Leontinos abiiſſe, Diodorus author ſit. Partes Syracuſarum quatuor fuiſſe, ex Cicerone, Silio, & Auſonio probas, quorum ille *quatuor arces*, hic *quadruplices Syracuſas* appellavit. Et ne quid dubii ſupereſſet, Strabonem & Florum explicâſti, quorum ille Πενταπόλιν vocat, Epipolas pro Urbe cenſens, quæ tamen nec muro à Tyche & Neapoli diſcretæ erant, nec frequenter habitabantur, proindeque Urbs non fuerunt; hic autem arces *tres* tantum facit, Philippo Cluverio ſuffragante, per vocem *arcis*, locum intelligens, qui continuô murô undique fuerit mcluſus, qualis Inſula, qualis Acradina, qualis Tycha, Neapolis & Epipole ſimul; An apertiùs quid ad Numiſma dici poteſt?

Poteſt, inquit DULODORUS, & quidem ad Herculem, ejus fanum propè Syracuſas fuiſſe, id quod Plutarchus in Nicia tradit, & Herculem, quòd ope Proſerpinæ Cerberum ex inferis eduxerit, *Numen promptum & maximi apud Syracuſanos cultûs*, Alexandro ab Alexand. vocari. Poteſt & ad Partes Urbis; Dubium enim eſt, annon quinque in Numiſmate adumbrentur, cùm utique medius circulus Caput includens, fruſtrà affictus non debeat credi. Imò, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, magis dubium videri poſſet, an ſub *quadruplicibus Syracuſis*, quas Auſonius, & *quatuor arcibus*, quas Silius vocat, Arx intelligi debeat? Quidni? repoſuit DULODORUS. Nonne Ciceronis verba clariora ſunt, quam ut dubitari poſſit? *Tanta eſt Urbs*, inquit, *ut ex quatuor Urbibus conſtare dicatur, quarum una eſt ea, quam dixi, INSULA.* Ciceroni, perrexit ARCHÆOPHILUS, Scholiaſtes Pindari contrariatur ad Pyth. II. ad verba Μεγαπόλιες Συρακούσαι; Μεγαπόλιες, inquit, εἶπε τὰς Συρακούσας ἐπειδὴ Ἀρχίας Τέσσαρες πόλεις καταστρεψάμενος εἰς μίαν συνέγαγεν. Εἰσὶ δὲ αὗται Ἀχραδινὴ, Νεάπολις, Ἐπιπολαὶ, καὶ Τύχη. Ubi hîc Inſulæ mentio? Scholiaſtes, reſpondit DULODORUS, tantùm eas partes videtur nominare, quæ in continenti ſitæ erant, cùm tamen Inſulam Archias primam occupaverit. Ita enim Thucydides L. VI. Συρακούσας δὲ Ἀρχίας ὤκισε Σικελοὺς ἐξελάσας πρῶτον ἐκ τῆς νήσου, ἐν ᾗ νῦν οὐκέτι περικλυζομένη ἡ πόλις ἡ ἐντὸς ἐστιν. Ὕστερον δὲ χρόνῳ καὶ ἡ ἔξω προστειχισθεῖσα, πολυάνθρωπος ἐγένετο. *Syracuſas Archias condidit, ejectis prius ex INSULA Siculis, in qua jam haud amplius mari circumflua eſt URBS INTERIOR. Poſt verò temporis ea quoque, quæ extra Inſulam eſt, circumducto muro, incolis frequentata eſt.* Sed quid his immoramur? Quidni in Numiſmate quinque Syracuſarum partes agnoſcimus?

mus? idque ſecundum Strabonem, Livium, Diodorum, Plutarchum? Quidni ad Thucydidis effatum circulum, in quo Caput muliebre eſt, *Urbem interiorem* ſive *Inſulam* intelligimus? Quidni? cùm hoc modò & Caput muliebre determinetur, Arethuſæ addictum, cujus fons in Inſula fuit? Id in ſequentibus luculentiùs deducetur. Sequitur

SYRACUSANORUM ORIGO.



PEgaſum hoc in Numiſmate, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Urbis originem Te video referre. Sed mihi conjectura ſedet, annon Carthaginenſium is ſymbolum ſit? Meduſa certè, cujus ex ſanguine Pegaſus ortus dicitur, Afra fuit, Phorcynis Cyrenæi filia, ut ait Palæphatus: Et Pegaſum etiam in Nummis pro Africa occurrere, ex Triſtano conſtat, ut taceam Silium, qui L. XIV. inter ſigna navium Punicarum Siculorumque, etiam Pegaſum enumerat:

At vinclis trahitur cognata in litora Anapus,
Gorgoneaſque ferens ad ſidera PEGASUS alas.

Conjecturam hanc, reſpondit DULODORUS, Harduinus ſuppeditavit, ſed eam probat nec ipſe; Ita enim ſubjicit: *Pegaſum nos idcirco potius inſculptum hic reimur, ut in Corinthiorum Nummis, quòd Corinthus, teſte Vellejo Lib. II. Syracuſanorum genitale ſolum fuit, ſive* μητροπολις. Genitale ſolum Corinthum eſſe, etiam ex Theocrito diſcas, Idyll. XV. ubi Gorgo ad Hoſpitem:

Συρακουσίοις ἐπιτάσσεις;
Ὡς ἐιδῆς καὶ τοῦτο, Κορίνθιαι ἐιμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφών.

SYRACUSIIS imperas?
Atque ut hoc quoque noſcas, CORINTHIÆ ſumus ab Origine,
Sicut & Bellerophon.

Rei cardo in Archia latet, quem *Corinthium* Marcianus in περιηγήσει vocat: *Claſſe Corintho advectum*, Strabo teſtatur: Ex quo ſimul conſtat, ſub Delphino etiam maritimum Archiæ & Corinthiorum iter latere, niſi ſimul & ad Delphos reſpicias, quod Oraculum Archias, antequam proficiſceretur, conſuluit: aut etiam ad dominium Maris, quod Syracuſani ſibi non ſemel vindicârunt.

Caput barbatum adhuc in ambiguo jacet, inquit ARCHÆOPHILUS, Hoc enim an Marti, an Archiæ tribuendum ſit, Coloniæ Duci, Te liberum reliquiſſe memini. Id non amplius facio, reſpondit DULODORUS. Marti enim Caput hoc tribuendum eſſe, ex aliis Numiſmatibus, in quibus Pegaſo Pallas apponitur, apertè utique conſtat. Bellicis ſcilicet Numinibus fortitudinem Progenitorum ſuorum videntur adumbrâſſe Syracuſani; & Pallade quidem, non tantùm, quòd eâ, uti poſtea dicetur, Syracuſis ſummo in honore fuerit, ſed etiam, quòd Pegaſum Bellerophonti addixerit: Martem autem, quòd ob

Martiam pubem ipſe Mars Syracuſas videretur incolere. Pindarus Pyth. II. ad rem facit.

Μεγαλοπόλιες Ω Συρά- κοσαι, βαθυπολέμου Τέμενος Ἄρεος, ἀνδρῶν Ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν δαμόναι τροφοί.	*Grandiurbs ô SYRA-* *CUSÆ, bellicoſi* *DELUBRUM MARTIS, Virorum* *Equorumque armis ferreis gaudentium* *felices Alumnæ.*

In ſequenti Numiſmate adumbrantur

SYRACUSARUM
ET SITUS ET AMOENITAS.

SItus Syracuſarum ſub Capite bifronti latere videtur, eò quòd Delphinus Maris Incola, altero lateri affictus, commodè latus Marinum, facies altera autem, latus continenti obverſum, denotare poſſit: Syracuſæ autem, uti Cicero teſtatur, ſitu ex omni aditu, vel *Terra* vel *Mari*, præclarò ad aſpectum fuerint. Si conjectura minus placet, poteris Caput biceps ad Dianam & Arethuſam referre, Piſcemque Piſcibus ſacris annumerare, de quibus infrà. In ſitu ſubſiſtere rutiùs arbitror, inquit ARCHÆOPHILUS, eò quòd Urbes fœminarum capitibus effingi, inſolitum non ſit, & Laurea procul dubio ad Victorias referri debeat, quibus Syracuſæ utrinque celebrantur, & ludicris & bellicis. Ad Solem & Equum doceri cupiam, neque enim, quòd de Equo, Phœbo Solis aurigæ ſacro, neque quod de Equo Libertatis ſymbolo protuliſti, ſatis placet. Obſervandum, inquit DULODORUS, Siciliam Homero *Solis Inſulam* vocari: Notandum Sphæram Solis æneam in Acradina erectam. Non caruit ratione vel appellatio vel monumentum; Solem enim Syracuſis ſingulis diebus cerni, ut & in Rhodo, ex Plinio Lib. II. c. 62. & Solino Lib. XXI. conſtat. Hæc cùm ita ſint, ipſe judicabis, an Equus libero curſu ſub Sole ſaliens non populum denotet, Solis beneficiô tripudiantem. De Equo Libertatis ſymbolo mox dicemus. Hic meminiſſe Te velim Pindari, cui Pyth. II. Syracuſæ Ἵππων Σιδαροχαρμᾶν δαμόναι τροφοί, *Equorum armis ferreis gaudentium, divina nutrix* vocantur: Meminiſſe Scholiaſtis Pindari, qui Ἱπποτροφείων Hieronis, uti jam ſuprà diximus, in Inſula fuiſſe aſſerit. De Equo Soli ſacro res clarior eſt, etiam ex Gemma ſub Phaëthonte allata, quàm ut demonſtratione egeat. Ob notam ſanè animalis virtutem, Soli Equum, Deo celeri celerem victimam, oblatum, non apud Perſas tantùm ex Ovidio, ſed etiam apud Maſſagetas ex Strabone, & apud Scythas ex Herodoto conſtat: Et Philoſtratus in Heroicis refert, Palamedem Græcis præcepiſſe, ut orienti Soli candidum Equum mactarent. Sed ad alia tranſimus

SYRA-

SYRACUSANI
A TYRANNIDE LIBERATI
DIANAM ΣΩΤΕΙΡΑΝ ET JOVEM ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΝ COLUERE.

DIanam ΣΩΤΕΙΡΑΝ video, inquit ARCHÆOPHILUS, video ΔΙΑ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΝ, *Jovem Liberatorem*, & illam quidem cum fulmine in Numismatis aversa, hunc autem vel cum Equo saliente, vel cum fulmine & spica. Jovem apud Syracusanos cultum, ex Templo Olympici constat, quod Hiero in Acradina exstruxit: Constat ex Olympieo oppidulo, quod cum Jovis Olympii templo juxta Syracusas fuisse, Thucydidi, Diodoro, Plutarcho, & Livio memoratur. Sed quis de Eleutherio? Ita dictum quidem Græcis Jovem accipimus, ejectis Medis, uti docemur ex Hesychio, & Anthologia Lib. VI. c. 19. Sed quando apud Syracusanos? Eversâ Thrasybuli Tyrannide, respondit DULODORUS, tunc enim Jovi Eleutherio sive Liberatori Statuam auream Syracusanos posuisse, & Fazellus & Goltzius observant, indeque opinor nihil dubitabis de Equo Libertatis symbolo, cùm hoc & Jovis Ελευθερίου effigies demonstret, & Stesychori Apologus mirè illustret. Hæc Te cum Goltzio observare memini, excepit ARCHÆOPHILUS, ut & illud, quòd Syracusani Equi notâ Servos insignîerint, ut liberæ Gentis insigne præferrent, qui Liberis servirent; Sed in tertio Numismate utique non Equus, sed fulmen & spica Jovi Eleutherio opponuntur. Jovis Providentiam hæc innuunt, respondit DULODORUS, quòd Jovis Liberatoris beneficiò rerum abundantiam Syracusani, vel sperarent vel jactarent. Idem dixeris & de Diana ΣΩΤΕΙΡΑ, nam & huic fulmen appositum cernimus.

Dianam ΣΩΤΕΙΡΑΝ, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Pausaniam Trœzeniis cultam legimus, templò apud eos à Theseo erectò, ex Victoria Asterionis, Minois Filii: Cultam legimus à Bœensibus in Laconiâ, uti & à Megarensibus & Pagæis, & his quidem, quòd ejus nutu, obortâ caligine, Persæ Megaricum agrum vastaturi, profusis contra saxa sagittis, victi fuissent; Sed cultam fuisse Syracusis, hactenus non legi. Quid tum? respondit DULODORUS. Annon Numisma tantæ authoritatis fuerit, quantæ vel Historicus aliquis vel Poëta? Dianam Syracusis cultam non negabis; Ortygia enim δέμνιον Αρτέμιδος, *Dianæ cubile* Pindaro Nem. I. vocatur: Et ex Plutarcho notum est, Syracusanos, dum festum

tum Dianæ agerent, à Marcello subactos esse. Hæc cùm ita sint, quidni & Σωτεῖρα diceretur? Sed de his utique sub Numismate Agathoclis vidimus. In sequentibus præter Herculem,

DIANA ET MINERVA

Visuntur. Diana, Venatricis habitu cum Cane currente, arcum tendit, non futili argumentô, Siciliam venationibus aptam fuisse, id quod etiam ex Nummis Phintiæ Agrigentinorum Tyranni patet. Ad Palladem Dianæ junctam non alia attulerim, quam Ciceronis verba: *In Insula*, inquit, *sunt Ædes sacræ complures, sed duæ, quæ longè cæteris antecellunt, Dianæ una, & altera, quæ fuit ante istius adventum ornatissima, Minervæ.* Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Antiquitatem Te ex his verbis deducere, eò quòd, licet cultus Dianæ hîc antiquissimus esset, tamen antiquior adhuc fuerit cultus Minervæ. Retracto effatum, respondit DULODORUS; vox *istius* apud Ciceronem, non ad Dianam, sed ad Verrem referenda est. De templo Minervæ Cicero testatur. Sed quid in his diutiùs hæremus? quæ enim ad secundum & tertium Numisma dici possunt, ex iis abundè constant, quæ hîc de Pallade, & suprà de Hercule diximus,

ARETHUSA
CUM
PISCIBUS SACRIS



Prodit. In his Nummis ante omnia Literæ K. insolita figura meretur observari, in fulcrum ejus, quam & in Numismate Crotoniatarum vidimus. De fonte Arethusa

thuſa Ciceronem protuli, cujus hæc ſunt: *In hac*, inquit, *Inſula extrema, eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa, incredibili magnitudine, plenuſſimus piſcium.* Protuli Diodorum, quò referente, fons hic à Nymphis in Dianæ honorem excitatus, piſces autem ſacri fuere. Ad fontem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, fœmineò ſchemate expreſſum, Poëtarum figmentum de amoribus Alphei facit, quod ex antiquorum opinione ortum docuiſti, quà crediderunt, Alpheum & Arethuſam, occultis meatibus ſibi invicem reſpondere, id quod Pauſanias admiſit, Strabo oppugnavit. Sed aliis hæc dijudicanda relinquo. Averſas velim explices; Neque enim video, quomodò Certaminum & Victoriarum Olympicarum teſtes eſſe poſſint? cùm nec nomen, nec effigies Victoris adjectum ſit. Id opus non fuit, reſpondit DULODORUS; Ex Plinio enim conſtat, non tam Victori, quàm Patriæ coronam datam eſſe, & quàm anxie Syracuſani eam gloriam venati ſint, vel inde conſtat, quòd Cives Olympionicas etiam pecunia emerint. Exemplum eſt in Dicone Cauloniate apud Pauſaniam, & eſſet in Antipatro Mileſio, niſi amor Patriæ, donis prævaluiſſet.

SYRACUSANI
VICTORIARUM OLYMPICARUM
AVIDI



ETiam hoc in Numiſmate, rariſſimo ſanè & elegantiſſimo, noſcuntur. Tune hoc Numiſma ad Syracuſanos? inquit ARCHÆOPHILUS; At nulla in eo eſt inſcriptio? Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, cùm res in eo expreſſæ Syracuſas apertè evincant. Quid enim Piſces utroque in latere expreſſi, ſi non ſacri illi, quos in Arethuſa fuiſſe docuimus. Quid Pallas, ſi non ea, cujus templum in Inſula memorandum Cicero laudavit? Quid Quadrigæ, ſi non qualibus Syracuſarum Cives in Olympicis vicerunt? & ſi integram Numiſmatis compagem conſideres, nonne ſimilia ſunt apud Goltzium & Parutam? Caput in iis vel Arethuſæ, inquit ARCHÆOPHILUS, vel Cereris Piſcibus circumdatur; at in propoſito eſt Palladis aut Minervæ? Quid tum? reſpondit DULODORUS, nonne & hæc Syracuſarum Numen fuit? Si Cererem Piſcibus circumdatam deſideras, eam ecce in ſequentium primo, in quo

SYRACUSANI CERERIS ET CULTUM ET MUNERA JACTANT.



CErerem in Sicilia cultam quis neſcit? quis fruges hîc primùm inventas ignorat? Si teſtes deſideres, Diodorus ſe ſiſtit. Ita & Catoni Sicilia *Reipublicæ penuaria cella, plebiſque Romanæ nutrix* appellabatur. Strabo *eam Croco, frumento, melle aliisque rebus quibusdam, etiam Italiam ſuperâſſe*, ſcribit. Livio authore, *Populo Romano fidiſſimum Annonæ ſubſidium* dicitur. Æſchylo Καλλίκαρπος audit, ut taceam Ciceronem, quo memorante, *Cereri & Proſerpinæ conſecrata fuit tota.* Hæc ſi Authores, quidni & Numiſmata? Hæc ſi tota Sicilia, quidni & Urbs Siciliæ princeps Syracuſæ? Rariſſimum eſt Numiſma, quod ab uno latere Cererem, ab altera ſpicam exhibet; râriſſimum, & ex allatis etiam lucidiſſimum, ſecus ac Numiſma ſecundum. At mihi, inquit ARCHÆOPHILUS, nec hoc obſcurum videtur; Quid enim? Annon Bos averſæ ad agriculturam pertinet? Utique Ceres hoc apertè videtur arguere? Si arbitreris, reſpondit DULODORUS, non deero, quamvis adjuncti Piſces rem dubiam reddere poſſint; ad hos enim ſi reſpicias, fortaſsè Neptunus mentem ſubibit, de quo ſub Poſidonia diximus. Et quid ſi etiam Taurus promontorium in cenſum veniat, non adeò à Syracuſis remotum? Ejus meminit Ptolemæus, à Pachyno verſus Pelorem iter faciens, *Syracuſæ*, inquit, *Taurus promontorium.* Similis ſane Taurus etiam in Nummo Tauromenii apud Parutam viſitur. Imò, excepit ARCHÆOPHILUS, Ego etiam boves ſub hoc Tauro intellexerim, qui Solis vocantur, uti ſuprà ex Homero dictum eſt; Eorum meminit & Apollonius Argonauticῶν V. Hyginus Fab. 125. *Solis pecus* vocat. Si Sol affictus eſſet, reſpondit DULODORUS, res indubia foret. Sed hæc utcunque placeant, liberum eſto! Sequentibus in Nummis

SYRACUSANI APOLLINEM TEMENITEM CELEBRANT.



REs obſcura eſſe non poteſt. Apollinem demonſtrat & Tripos, & Cithara: Demonſtrat & Laurea, & Sol. De Sole ſuprà dictum eſt: De Apolline Temenite

menite Ciceronis testimonium prostat, cui accedit & Thucydides & Suetonius, adeò ut nihil in his præter Numismatum elegantiam extollas. In sequenti

SYRACUSANORUM
SUB HICETA VICTORIA



Prodit. Numismata hæc Syracusanorum esse, Inscriptio evincit. Sub Hiceta percussa esse, evincit Subscriptio, cùm non ΕΠΗΚΕΤΑ, sed ΕΠΙ ΙΚΕΤΑ legendum esse, in Fasciculis meis docuerim. Ita memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & gaudeo rei veritatem etiam oculis meis dijudicandi, potestatem esse. Verum est, ΕΠΙ ΙΚΕΤΑ legendum; Nulla enim virgula transversa literas Η. in Η. conjungit. Sed unde Tu Syracusanorum hîc Victoriam agnoscis? Annon bigæ potius ad Olympicam pertinebunt? Non dixerim, inquit DULODORUS, Olympicæ enim Victoriæ, licet bigis præfigurari soleant, tamen Victoriâ bigas agitante præfigurari non solent. Bellicis hæc relicta videtur, qualem Hicetas contra Dionysium obtinuit. Diodorus rei testis est: *Dionysius*, inquit, *pristinum in Syracusas imperium exercebat. Hicetas igitur, validam ei manum duxit, castrisque fossâ valloque ad Olympieum munitis, Dionysium pro Tyranno in Urbe se gerentem oppugnabat. Sed protractâ ad tempus aliquod obsidione, propter commeatus inopiam Hicetas ad Leontinos (ex hâc enim Urbe expeditiones faciebat) exercitum abduxit. Consectatus eum Dionysius, dum agmen extremum lacessit, pugnæ causam præbuit. Hiceta enim, conversis in hostem signis, manus cum eo conserit, & plus quam tribus conductitiorum millibus interfectis, reliquos in fugam compellit. Dumque citato fugientes cursu insectatur, unà cum ipsis in Urbem irrumpit, & Syracusis præter Insulam potitur.* Ex his Diodori non tantùm de Victoria docemur, sed etiam de Cerere; Qui enim commeatûs penuriâ Obsidionem solvere coactus est, quid mirum, si Cererem expresserit, Urbe adeòque rerum abundantiâ potitus?

Minuta adhuc signa video, inquit ARCHÆOPHILUS, tam à tergo Cereris, quàm super bigas. Nihil in iis novi est, respondit DULODORUS, à tergo Cereris est vel *Lampas*, vel *Anchora:* Hæc maritimi sitûs indicium, Illa notissimum Cereris vel instrumentum, vel symbolum: Super bigas cernitur, vel *Sol* vel *Luna*, quorum hæc ad Dianam, ille ad Apollinem respicit, simulque, ut supra dictum est, Insulam Soli sacram fuisse demonstrat. Quinque adhuc Numismata supersunt.

Primum ex ſuperioribus lucem mutuatur. In adverſa eſt Arethuſa cum Piſcibus ſacris, in averſa cum Sole Pegaſus, originis a Corinthiis ſymbolum. Secundum Numiſma Caput juvenile Laureatum, & in averſa ſignum Trinacriæ cum pedibus alatis exhibet. Ad Siculos hoc Numiſma pertinere dubium non eſt, pertinere ad Syracuſanos, cùm inſcriptio ærugine conſumta ſit, non niſi conjecturâ aſſequor, facile ceſſurus, ſi certius quid integrior Nummus docuerit. Numiſma tertium ad quandam Gelonis Victoriam refero, Caput galeatum ipſius Gelonis arbitratus.

Non video Opinionis baſin, regeſſit ARCHÆOPHILUS. Gelonis Numiſmata apud Parutam eam ſuppeditant, reſpondit DULODORUS. Animal enim, quale in noſtro Numiſmate Victoria proſtratum verberat, tale omninò ipſe Gelo apud Parutam ſtilo confecturus cernitur. Hoc ſi ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, Victoriam hanc de Carthaginenſibus ad Himeram interpretarer. Ego contra, reſpondit DULODORUS; Neque enim Capra hoc animal eſt, qualis in Himerenſium Numino, ſed Aries, qualem in Nummis Panormitanorum ad Ovium in Sicilia præſtantiam retuli. Pugnax animal Aries eſt, eſt & Ovium, animalis ſervilis Dux: Quid igitur, ſi Gelon ſervorum, qui Gamoros, aut Patritios ejecerant, inſolentiam compeſcens hîc adumbretur? Cum Regnum eô facto meruerit, neſcio quid conjecturæ obſtare poſſit. Sed quartum Numiſma ſuccedit, quanquam nihil contineat novi. Pallas enim & Sol & Piſces in ſuperioribus dilucidati ſunt. Idem dixerim & de quinti Numiſmatis Apolline; Sed non idem de Dioſcuris, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid hi in Nummo Syracuſanorum? Eos nec apud Parutam, nec apud Goltzium me obſervâſſe memini. Apud Parutam, reſpondit DULODORUS, idem Numiſma proſtat, & quidem numero 18. ſed quòd Stellæ omiſſæ ſint, mi-

rum

rum non eſt, pro Dioſcuris ibi agnitos non eſſe. In noſtro Stellæ ad oculum patent, adeoque aſſertum in tuto ponunt. Cur autem Syracuſani Dioſcuros expreſſerint, duplex ratio eſſe poteſt, vel ab Agrigento, vel a Lacedæmone petita. Agrigenti Dioſcuros in honore fuiſſe ad Pindarum, Ol. 3. Scholiaſtes ex Ariſtarcho notat: Ἀρίσταρχος φησὶ παρὰ τοῖς Ἀκραγαντίνοις διὰ τιμῆς εἶναι τοὺς Διοσκόρους. Quid hoc ad Syracuſanos? inquit ARCHÆOPHILUS. Syracuſanorum Princeps Gelo, reſpondit DULODORUS, cum Therone Agrigentino ſocero, contra Carthaginenſes ad Himeram Siculis idem fuit, quod Dioſcuri Locris contra Crotonienſes, id quod ſuprà vidimus; Quid igitur, ſi ſumtâ à Dioſcurorum apud Agrigentinos cultu occaſione, ſub his Dioſcurorum equitantium ſimulacris utrumque Principem Syracuſani celebrârint? Conjectura hæc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, licet rationi conveniens, ſolidâ tamen baſi deſtituta. Si minus placet, reſpondit DULODORUS, ad Lacedæmonios reſpiciamus. Dioſcuros Lacedæmone oriundos in vulgus patet, Lacedæmone autem auxilia contra Athenienſes, Syracuſanos & petiiſſe & obtinuiſſe, ex Thucydide diſcimus. Quid igitur, ſi in memoriam hujus auxilii Dioſcuros expreſſerint? Ratio potior eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Ad alia pergamus! In ſequentibus, ſubjecit DULODORUS, ſe ſiſtunt

LEONTINI
A CHALCIDENSIBUS ORIUNDI.



LEonem Lontinis appellationis cauſam fuiſſe, nemo, qui Leonem in Numiſmatibus cernit, diffitebitur. Unde autem Leo deſcendat, hactenus, quòd ſciam, nemo aperuit. Nemo? inquit ARCHÆOPHILUS. Atqui Te ipſum memini ad Leonem Herculeum reſpicere, eò quòd, Diodoro teſte, Hercules cum devictô Eryce, Syracuſis anniverſarium docuiſſet, actis per mediterranea bobus, Sicanisque fuſis per Leontinum agrum perrexerit, pulchritudinemque ejus admiratus, ob honores ſibi exhibitos, æterna ſuæ illic præſentiæ monumenta reliquerit. Goltzii hæc conjectura fuit, reſpondit DULODORUS, à quâ, cum certius appareat, recedere piaculum non erit. Recordaberis ARCHÆOPHILE, Leonem in Numiſmatibus Rheginorum ad originem à Chalcidenſibus me retuliſſe, eò quòd & Leo in Eubœa promontorium fuerit, Chalcidi propinquum, idque in memoriam originis Abantum, Eubœæ incolarum, à Phocenſibus Parnaſſi accolis. Cùm igitur & Leontini à Chalcidenſibus orti ſint,

quidni hanc ſuam originem & ipſi Leonis capite expreſſerint? Chalcidenſes ex Eubœa Naxum, & ex Naxo profectos, Leontinos condidiſſe, Thucydides author eſt, adeo ut ſub Leone origo remotior lateat, uti ſub Apolline propinquior; Apollinem enim Archagetam apud Naxios in honore fuiſſe, quis ignorat? Chalcidenſes ex Eubœa ejus aram extra Urbem exſtruxiſſe, ubi ex Sicilia ſoluturi Oraculum peterent, & ſacrificarent, Thucydides ſcribit. Imò, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ejusdem Statuam memorat Appianus; ſed ratio cognominis latet. Quid? an Apollo *Archidux?* id enim vocabulum Ἀρχαγέτης videtur innuere. Cognomen, reſpondit DULODORUS, inde meruit, quòd Coloniæ & auctor fuiſſet & ductor, non Chalcidenſium tantùm, ſed & Cyrenenſium, id quod ex Pindaro, ejusque Scholiaſte diſcimus. Sed hæc utique patent, non minus ac ſpicæ capiti Leonis circumpoſitæ. Fertilitas his præfiguratur, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm Plinio authore Leontinorum agri centeſimô granô fructus fuderint, & Leontinorum Urbs *rei frumentariæ Caput* Ciceroni fuerit appellata. Addi poſſet & Diodorus Siculus, inquit DULODORUS; is enim in agro Leontino triticum agreſte meminit creſcere: Et eòdem pertinet etiam Homerus Odyſſ. IX. dum Cyclopes neque plantare manibus plantam, neque arare canit, ſed omnia inſeminata & inarata provenire, Triticum, Hordeum, atque Vites. An huc Amphora Numiſmatis quarti? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Si arbitreris, inquit DULODORUS, aſſentior, Vina enim in Sicilia præſtantiſſima ſupra ſub Cephalœdi recenſuimus. Quanquam etiam ad vinolentiam Leontinorum reſpicere poſſis, quæ tanta fuit, ut & in proverbium abierit: *Leontini ſemper ad Pocula!*

CATANENSIUM
JUSTITIA ET PIETAS.

PRimi Numiſmatis Caput barbatum, cornutum & Laureatum, licet Jovis Ammonis eſſe poſſit, ob averſæ Æquitatem tamen, Charondæ Legislatori tribuendum ideò pronus ſum, ut credam, quòd Legislatores Divinis honoribus antiquitùs affectos, Raphael Trichetius du Freſne in Ep. ad Cl. Seguinum exemplo Zaleuci probat: Imò, quòd nominatim de Charonda ex Jamblicho de vita Pythagoræ id obſervat Per-ill. SPANHEMIUS. Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium eſt, annon Bacchus hic ſit; Bacchum enim & cornutum & barba-

barbatum novimus, & memini etiam de Laurea Te docuiſſe. Bacchum certè demonſtrare poteſt Bacchus imberbis in Numiſmate ſecundo, nec eſt, quòd Æquitatem averſæ objicias; Uti enim in ſecundo Pietas, ita in primo Æquitas à Baccho diverſa eſſe poterit, & ſi non ad Hieronem (quòd ſub eo Catana, non *Catana*, ſed *Ætna* dicta eſt) tamen ad hunc ipſum Charondam referri. Sed hæc utut credantur, parum equidem intereſt. De Bacchi cognomine ΛΑΣΙΟ diſquirendum; Neque enim placet, quod de geminâ vocabuli ſignificatione protuliſti. Λάσιος *hirſutum* ſignificat; at Bacchus, cui id junctum cerno, non tantùm imberbis, ſed tenerâ planè, & virgineâ formâ conſpicuus eſt. Et licet impropriè *herbidum* & *animoſum* hôc vocabulô denotari probes: Licet etiam animoſitas ex liberiore vini potu ſoleat naſci, ratio tamen, quî ſtringat, non video. Si minus placeat, excepit DULODORUS, vereor ut ſatisfacere poſſim, niſi fortaſſe pro ΛΑΣΙΟ, ΝΑΣΙΟ vel ΛΙΣΙΟ legendum contendas. Alterum certè ad Naxum Catanenſium metropolim reſpiceret, alterum notiſſimum Bacchi Epitheton eſt, uti videri poteſt apud Orpheum, Pauſaniam, aliosque. *Illud* effeceris, ſi literæ primæ virgulam, vetuſtate demtam arbitreris, hoc ſi literam ſecundam inverteris.

Harduinus, inquit ARCHÆOPHILUS, Nummum ex Theſauro Goltzii profert, inſcriptum ΛΑΣΙΩΝ, docetque ex Plinio, Laſum Urbem Cretæ fuiſſe. Si Cretenſes Coloniæ ductores exſtitiſſent, forſitan & huc reſpiceres, cùm autem Chalcidenſes fuerint, non auſim rem tentare. In Bacchi apud Catanenſes cultu ſubſiſtô, cùm oculatus teſtis Per-Illuſt. SPANHEMIUS, cauſam ex loci ſitu demonſtret, totum agrum & Cereri & Libero Patri ſacrum affirmans, quòd egregiô vini & ſegetis luxuriet proventu. Cauſam ex Strabone didiceris, inquit DULODORUS. Cinerem ex Ætna, Vineta fertiliora facere tradit. En verba! Ἡ μὲν οὖν σποδὸς λυπήσασα πρὸς καιρὸν, εὐεργετεῖ τὴν χώραν χρόνοις ὕστερον. Εὐάμπελον γὰρ παρέχεται καὶ χριστόκαρπον, τῆς ἄλλης οὐχ ὁμοίως οὔσης εὐοίνου. *Cinis igitur ille, cùm triſtitiâ ad tempus efficiat terram, poſtea beneficiô eam impertit: Reddit enim Vineta lætam, & bonæ frugis feracem, cùm reliqua non ita præſtet vini bonitate.* Appoſitè mentionem facis Ætnæ, excepit ARCHÆOPHILUS, cum ejus rabies pietatem fratrum Catanenſium excitaverit. Res in Numiſmatibus, ſecundo & tertio, ad oculum patet, ſed niſi fallor, laudem hanc Catanenſibus dubiam fecêre Syracuſani. Solinus rei Author eſt: *Inter Catanam & Syracuſas*, inquit, *certamen eſt de illuſtrium fratrum memoria, quorum nomina ſibi diverſæ partes adoptant. Si Catanenſes audiamus, Anapis fuit & Amphinomus, ſi quod malunt Syracuſæ, Emanthiam putabimus & Critonem.* De natalibus hæc lis non fuit, reſpondit DULODORUS, idem enim Solinus ſubjicit: *Catanenſis tamen Regio cauſam dedit facto, in quam ſe cùm Ætnæ incendia protuliſſent, JUVENES DUO SUBLATOS PARENTES evexerunt inter flammas illæſi ignibus.* Addit & honores: *Horum memoriam ita Poſteritas munerata eſt, ut ſepulcri locus nominaretur CAMPUS PIORUM.* Hiſtoriam habet & Pauſanias in Phocicis, & Carmine complexus eſt Claudianus, cujus verbis licet prolixitate forſan tædioſis, tamen quòd rem eleganter & graphicè exponunt, quid prohibet ut Te compellem?

Adſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.
Juſta quibus rapidæ ceſſit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces.

Complexi

Complexi manibus fultos cervice parentes,
Ut tollant vultus accelerentque gradus.
Grandævi geminâ sublimes prole feruntur,
Et curâ natos implicuere morâ.
Nonne vides, ut sæva senex incendia monstret?
Ut trepidô genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum
Fusus in attonito palluit ore color.
In juvenum membris animosus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impavidusque sui.
Rejectæ vento chlamydes, dextram erigit ille,
Contentus lævâ sustinuisse patrem.
Ast illi duplices in modum colligit ulnas
Cautior in sexu debiliore labor.

Sed prodeunt

CENTURIPINI
JOVEM ÆTNÆUM VENERATI



APud Parutam in Numismatibus Centuripinorum, præter Jovem, est vel Apollo cum tripode & Lyra, vel Ceres cum aratro & spica, vel Diana, vel Caput muliebre Piscibus circumdatum cum Leone. Spica, Ceres, & Aratrum ex Ciceronе lucem mutuantur, qui Centuripinos *summos Aratores* vocavit. Nota est *Enneа Ceres*, & Ennensis agri partem non exiguam Centuripinos possedisse, eodem Authore discimus. Et quidni sub Leone etiam ad Leontinos, sub Apolline ad Catanenses respicianus? sive quod & huc dominium hæc Urbs extenderit, sive quod eorum Coloniis fuerit aucta? Id nunc non agimus, respondit ARCHÆOPHILUS. De Jove docendum, qui in proposito occurrit. Ex situ, perrexit DULODORUS, de Jove facilè evicerim. Centuripinos haud procul ab Ætna positos, Strabo author est, & Jovem in Ætna habitâsse, ex Pindaro discimus Ol. 4.

Ὦ Κρόνου παῖ, ὃς Αἴτναν ἔχεις.
O Saturni fili, qui Ætnam habitas.

Ad naves regessi litora legendo Naxum provehimur, supra quam in vertice Tauri fuére

TAURO-

TAUROMENII
A CHALCIDENSIBUS ORIUNDI.



ID ex Apolline & Tripode conſtat, inquit ARCHÆOPHILUS; Tauromenium enim è Naxi reliquus, apud quos Apollo Archagetes colebatur, & ortum duxiſſe, & creviſſe, ex Diodoro memini Te monſtrâſſe. Non hoc Numiſmati denuò proponendo anſam dedit, reſpondit DULODORUS, ſed geminus error, quem Sculptor Theſauri Palatini commiſit, primò enim in Tripode alas expreſſit, quæ tamen non ſunt, ſed aliud quid firmioris baſis ergò affictum: Deinde ab Apollinis capite, caput velatum cum foculo ei impoſito, quod tamen, ſi penitius inſpicias, *Apis* eſt, quam & apud Parutam videas. Caput velatum, excepit ARCHÆOPHILUS, ex earum numero arbitrabar, quas Athenienſes *Canephoras* appellabant, quarumque Statuas Meſſanæ fuiſſe, ex Cicerone liquet. A Calatho aut Caniſtro hæ dicuntur, inquit DULODORUS, eò quòd Sacra in his deportarent, quid autem hoc ad Caput ignem geſtans? Sed intuère Numiſma! non Caput fœmineum, ſed *Apim* agnoſces, non aliâ ratione expreſſam, quàm quòd Sicilia Apibus ſcatebat:

Hyblæus Apibus florem depaſta ſalicti.

Canit Virgil. Ecl. 1. & Plin. Lib. XI. c. 14. favos in Sicilia cerâ ſpectabiles memorat gigni. Ultima Siciliæ nobis eſt

MESSANA
Cum LEPORE et RHEDA ANAXILÆ.



PRimum Numiſma ad Anaxilam pertinere, quod is & Lepores in Siciliam invexerit, & Rhedâ in Olympia vicerit, Julius Pollux ex Ariſtotele docet. Cicada ad Rheginos ſpectat, apud quos, Cicadas mutas fuiſſe jam aliquoties dixi. Folium ſub Rheda ad Mororum ſylvas referrem, de quibus Fazellus teſtatur, ſi vel figura folii hujus opinionem admitteret, vel Fazellus de antiquis temporibus loqueretur. Ad ſylvas in genere reſpicere placet, niſi potiùs Lauri hoc folium arbitreris, quam arborem & ipſam in Sicilia frequentem novimus. De Polypo audire velim, excepit ARCHÆOPHILUS; Neque enim quid in Nummis Siciliæ ſibi velit, apparet. Secundum Archeſtratum apud Athenæum:

Πώλυποι ἐντὶ Θάσῳ καὶ Καρία ἐσὶν ἄριστοι
Καὶ Κέρκυρα τρέφει πολλοὺς μεγάλους τε τὸ πλῆθος.

In Thaso & Caria Polypi sunt optimi,
Corcyra magnos etiam alit, numeroque multos.

Quis autem de Sicilia? Ut Authores taceant, respondit DULODORUS, Numismata loquuntur. Polypus non in hoc Messanensium tantùm vilitur, sed etiam in Syracusanorum apud Parutam frequens est, apertò testimoniô littus hoc Polyporum capturâ olim inclaruisse, & quidni circa Messanam? præsertim cùm abundet cavernis, in quibus Polypos degere consuesse, ex Oppiano constat. Plura de Polypis traditurus erat DULODORUS, sed subitus fluvium versus Tormentorum fragor, insecutusque Tubarum Tympanorumque clangor progressuros inhibuit. Causam inspicientibus, Navis Electoralis apparuit, & velis patentibus & pulsibus remorum densissimis, juxta Regiam per Undas volitans. ARCHÆOPHILUS, conspicatus & proram argenteam, Aquilâ Sceptrigerâ fulgidam, & puppim auream, gemmatis Insignium Brandenburgicorum ordinibus distinctam; Non putaram, inquit, tam vastam molem, & Martis & Geniorum armaria continentem, mediocri flumine vehi posse. Oceani hæc decora sunt, & non nisi maritimorum hactenus vel Regum vel Rerumpublicarum opera. Imò, respondit DULODORUS, etiam Sceptri Brandenburgici eà gloria est, non in fluviis tantùm, sed etiam in ipsis Maribus & Oceano, id quod latiùs deducam, si Prandio, quod hodiè Tuo honori dicavi, cujusque hora nos vocat, mecum intereste dignaberis. Dum loquitur DULODORUS, iteratis ex Navi pulveris pyrii tonitruis Regia Electoralis salutatur, & ARCHÆOPHILUS tantis, inquit, Heroicæ magnitudinis deliciis me satias, ut vel dulcissimas Epulas prætermittere possem. Sed Tuæ gratiæ quis morem non gereret? Cùm eâdem operâ & observantiæ meæ tesseram fixurus sim, & Gloriæ Brandenburgicæ etiam maritimum contemplaturus tropæum, lubens obsequor. Dixit & jactatis adhuc verborum quorundam honoribus, cum Dulodoro ad prandium digressus est.

Ltera præſentem ſatiârat Menſa Coronam,
Jamq; animi variante cibo, variante liquore,
Extulerant hilares celſa in præconia linguas,

Cùm ſpei impatiens ARCHÆOPHILUS: DOMUM ELECTORALEM BRANDENBURGICAM, inquit, & bello & pace Glorioſam, hactenus in Terris adoravimus; at Oceanum etiam Auguſtiſſimis ejusdem Ratibus calcari, uti quidem DULODORUS nunciavit, id etiam Poſteris mirandum videbitur. Jam dudum, ſubjecit DULODORUS, canora Tritonum buccina hoc meritum decantat. Quis AFRICAM neſcit, tot marium ſpatiis à noſtro Orbe diviſam? Quis neſcit GUINEAM, Auriferam remotioris Africæ Provinciam? Totas Claſſes in hanc jam DIVUS FRIDERICUS WILHELMUS MAGNUS emiſit, poſitòque munimentô, quod à Magno nomine, MAGNUM FRIDERICOBURGUM vocavit, contra Barbaros Commerciorum ſecuritatem fundavit. Non ſtetit Gloriæ curſus. Tertius Terrarum Orbis Brandenburgicæ Aquilæ inſignia veneratur. Quod FRIDERICUS WILHELMUS in AFRICA, id FRIDERICUS III, digniſſimus tanti Herois & Hæres, & Æmulus, in AMERICA præſtitit. Sub Illo Meridies, at ſub Hôc etiam Occidens Brandenburgicis Claſſibus fervet: Non obſcurô indiciô, ſub FRIDERICO WILHELMO MAGNI NEPOTE easdem & in Orientem excurſuras. Sed non hoc tantùm Commerciorum facilitatem promovet & florem; Imò aliud adhuc eſt, clariſſimum Regiæ & magnitudinis & Sapientiæ indicium. Junctis Fluviis Maria ſe junxiſſe REX GALLIÆ jactat! Idem jactare poteſt & DOMUS BRANDENBURGICA, junctis *Suevo* & *Viadro*, quorum alter in Mare Balthicum, alter per Albim in Mare Germanicum evolvitur? Tria milliaria Germanica Foſſa longitudine inter utrumque fluvium implet: Quinque perticas Rhinlandicas lata eſt, decentique aquarum profunditate, navibus vel maxime onuſtis ſufficit. FRIDERICI WILHELMI hoc Opus eſt, & ut hodieque duret, Publicoque ingentia commoda ſpargat, FRIDERICI III. Providentiæ debetur.

Devotô ſilentiô auſcultârat ARCHÆOPHILUS. Finiente DULODORO, Res, inquit, eò glorioſior eſt, quò magis Naturæ ipſi repugnare videtur; Quid enim? Annon Suevus Quinquaginta pedes Viadro altior eſt, non

quidem aquis, sed situ? Et an inde non Suevum integrum hæc Fossa moviſſe credatur? Minimè vero, respondit DULODORUS, in medio Fluviorum pagus jacet, *Mublrose* dictus, duodecim pedes Suevô, & sexaginta pedes Viadro altior. Juxta pagum hunc Fluvius, *Schlube* dictus, ex Lusatia defluens, Lacum efficit. Ex hâc Lacu aqua in Fossam tam versus Suevum, quam versus Viadrum deducta est, & ne ob declivitatem evanescat, illinc duobus, hinc novem retinaculis, vulgò *Schleusen* dictis, fulcitur. Vides ARCHÆOPHILE, quod Naturâ videbatur non posse fieri, id tolerti Tantorum Principum ingeniô & factum esse, & Utilitati servire. Marium compendia vides, nam quæ antea ex Viadro, maritimô itinere, pœnitendis ambagibus, circa Iutam in Albim, & vice versâ, deferebantur, ea per FOSSAM FRIDERICO WILHELMINAM, ingenti cum temporis & impensarum lucro deducuntur.

Mirandum hoc opus est, respondit ARCHÆOPHILUS, & dignum quod præsenti oculô usurpetur. Sed hora nos vocat, si Tibi videtur, remotis Epulis, proquibus humanissimè Tibi assurgo, ad Antiquariam supellectilem redibimus. Annuit DULODORUS, reversusque in Gazophylacium, de Maritimis, inquit, itineribus nobis sermo fuit, & ecce! Maritimum iter per innumeras veterum Græcorum Insula nos excipit. Relicta Sicilia versus Ortum vela dirigimus, emensoque Joniô, Cretæ subimus litora: Ea videlicet, quæ sinuosô tractu in Borealibus insulæ extremitatibus pandit

CYDONIA,

CULTU

ET BACCHI CRETENSIS ET DICTYNNÆ

NOBILIS.



CYdoniam à Cydone Apollinis ex Acacallide filio dictam, Stephanus author est. Straboni Cnossus, Gortyne, & Cydonia, quarum Numismata ex ordine sequuntur, Urbes Cretæ μέγισται καὶ ἐπιφανέσταται vocantur. Cydoniam ad mare Laconiamque respicere, eôdem Authore constat. Non hoc excepit ARCHÆOPHILUS, ad Numisma probandum, sed de Baccho & Dictynna. Hujus nulla in Numismate, Illius nulla in Historicis est mentio; Memini enim, non ad cultum Bacchi Te olim caput hoc retulisse, sed ad vini præstantiam, de qua Catullus:

Uva, quales flava non legit Creta.

De vitibus & uvis in Creta, respondit DULODORUS, plura sunt Authorum loca. Ea collegit, & in Cretâ sua protulit Eruditissimus Meursius. Est Solini testimonium, quô referente, *in Creta larga vitis fuit.* Est Hesychii, quô authore Θρυμία ἄμπελος ἐν Κρήτῃ: Est Clementis, quô teste Κρὴς τὶς ὄινος γλυκὺς. *Creticum quoddam vinum dulce fuit.* Est Martialis Lib. XIII. Ep. 103.

Cnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ,

Ita

Ita & *vinum Theræum* memorat ex Polluce Lib. VI. c. 2. & *Amphoras Cretenſes* ex Philoſtrato in Heroicis, & *vinum paſſum*, & *Lagenas Jovis municipes*, ex Juvenali Sat. XIV.

Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
PASSUM, & municipes Jovis advexiſſe Lagenas.

Hæc, inquam, apud dictum Meurſium legere eſt, & quanquam ad Bacchum non adeo abſurde proferantur, tamen Te monente, rem propius tangam. Unicè Diodori loco & ſuperius confirmavero, & de hoc docuero. Ita Ille Lib. V. Bibliothecæ, de Cretenſibus locutus: ΔΙΟΝΥΣΟΝ, μυθολογοῦσιν, ἑυρετὴν γενέσθαι τῆς Ἀμπέλου καὶ τῆς περὶ ταύτην ἐργασίας, ἔτι δ' οἰνοποίας, καὶ τοὺς πολλοὺς τῶν ἐκ τῆς ὀπώρας καρπῶν ἀποθησαυρίζειν, καὶ τὰς χρείας καὶ τὰς τροφὰς παρέχεσθαι τοῖς Ἀνθρώποις ἐπὶ πολὺν χρόνον. Τοῦτον δὲ τὸν θεὸν γεγονέναι φασὶν ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης κατὰ τὴν Κρήτην – οἱ δ' οὖν Κρῆτες τῆς παρ' αὐτοῖς γενέσεως τοῦ θεοῦ πειρῶνται σημεῖα φέρειν, λέγοντες ὅτι περὶ τὴν Κράτην δύο νήσους κτίσας ἐπὶ τῶν καλουμένων διδύμων κόλπων Διονυσιάδας ἐφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν, ὅπερ μηδαμοῦ τῆς οἰκουμένης αὐτὸν ἑτέρωθι πεποιηκέναι. *Ad BACCHUM, vitis inventionem, ejusque culturam, & vini conficiendi, fructuumque autumnalium condendi rationem, Cretenſes referunt. Sed Deum hunc è Jove & Proſerpina in Creta natum confirmant – DIONYSUM in Creta editum eſſe, his argumentis probare nituntur, quòd duas propè Cretam Inſulas in gemellis (quos vocant) ſinubus exoluerit, easque de nomine ſuo DIONYSIADES appellarit, quod alibi nunquam per totum Orbem fecerit.* Hactenus Diodorus. Pauſanias *Bacchum Creſſium* memorat, in Corinthiacis, ſed cognominis rationem ab Ariadnes ſepulchro deducit, quòd eam ſepeliverit. Sed ad Dictynnam tranſeo, cujus ſub Luna falcata memoria proſtat. Subriſit ARCHÆOPHILUS, & Tu Nympham, inquit, cum Luna confundis? Conſtat enim Dictynnam, eandem fuiſſe cum Britomarti, uti ex Callimacho docemur, ubi ad Dianam:

Ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα Φίλαο Νύμφην,
Ἐλλοφόνον Βριτόμαρτιν ἐύσκοπον, ἥς ποτε Μίνως
Πτοιηθεὶς ὑπ' ἔρωτι τετέδραμεν ὄυρεα Κρήτης.
Μέσσ' ὅτε μαρπτομένη καὶ δὴ σχεδὸν ἥλατο πόντου,
Πρηόνος ἐξ ὑπάτοιο; καὶ ἔνθορεν, εἰς ἁλιήων
Δίκτυα, τὰ σφ' ἐσάωσεν, ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
Νύμφαν μὲν, Δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο Νύμφη,
Δικταῖον καλέουσιν, ἀνεστήσαντο δὲ βωμούς,
Ἱερά τε ῥέζουσι. τὸ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος.

Præcipue inter alias Gortynida amâſſi Nympham,
Cervarum venatricem, Britomartin circumſpectam, cujus olim Minos
Perculſus amore, pervagatus eſt montes Cretæ.
Donec apprehenſa fermè Nympha *inſiliit mare*
Ab alto vertice. Inſiliit autem in Piſcatorum
Retia, quæ ipſam conſervârunt. Hinc deinceps Cydones
Nympham ipſam Dictynnam, montem verò, unde deſiliit Nympha,
Dictæum appellant: excitatisque artis
Sacra etiam faciunt: at Sertum die illo
Aut Pinus aut Lentiſcus erit.

Locus pro me facit, inquit DULODORUS, licet fabulam ex Strabone & Diodoro evertere nitatur Meurſius. Apertè dicitur Dictynnam à Cydoniatis cultam fuiſſe; At Dictynnam cum Luna eandem tradit Virgilius in Ciri, ubi eandem fabulam habet:

Nunquam tam obnixè fugiens Minois amores
Præceps aerei ſpeculâ de montis abiiſſes,
Unde alii fugiſſe ferunt, & nomen Aphææ
Virginis aſſignant: alii quò notior eſſes,
DICTYNNAM dixére Tuo de nomine LUNAM.

De Diana loquitur Poëta, inquit ARCHÆOPHILUS, hanc enim Lunæ præſidem nemo ignorat, & in Creta cultam ex Ovidio monſtrâſti:

Minoia Creta DIANAM
Vulcanum tellus Hipſypylæa colit.

Diana, reſpondit DULODORUS, Britomartis & Dictynna Cretenſibus idem Numen fuére. Ita Heſychius: Βριτόμαρτις ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις. *Britomartis, in Creta Diana.* Et alibi Ἀφαία καὶ Δίκτυννα ἡ Ἄρτεμις; *Aphæa & Dictynna, Diana.* Si idem Numen fuére, excepit ARCHÆOPHILUS, cur non in Diana, utpote notiore ſubſiſtis? Ideo, reſpondit DULODORUS, quia fabula de Britomarti Cydoniam, cujus Numiſma contemplamur, vel maxime tangit, id quod ex Callimacho planum eſt. Sed

POLYRHENII,
CUM
TAURO JOVIS VICTIMA,



SE ſiſtunt, ad quorum Numiſma omninò monendum, fruſtrà Lucam Holſtenium apud Stephanum non ΠΟΛΥΡΗΝ, ſed ΠΟΛΥΡΡΗΝ ſcribendum aſſererе, cùm Numiſmata non poſterius, ſed prius conſtanter præferant. Monendum à Capite Tauri non Tridentes, ſed Vittas dependere, id quòd Jacobus de Wilde benè obſervavit. Jacobus de Wilde, excepit ARCHÆOPHILUS, Taurum hunc non Jovi, ſed Neptuno immolatum tradit, agnoſcitque, ſub Capite, ſacrum Cultrum. Prius, reſpondit DULODORUS, prætermittere poſſum; Conſtat enim non tantùm Neptuno Taurum immolari ſolitum, id quod laudatus Author ex Virgilio, Statio, Arriano, Servio & Macrobio probat, ſed etiam, quod propius ad Numinum ſpectaret, Minoem Cretæ Regem id facere ſolitum, authore Diodoro. En verba! Μυθολογοῦσι, inquit, Μίνωα κατ' ἐνιαυτὸν συνήθως καθιεροῦν τὸν κάλλιστον τῶν γινομένων Ταύρων τῷ Ποσειδῶνι, καὶ θύειν τοῦτον τῷ θεῷ. *Narrant ſolenne fuiſſe antea Minoi, pulcherrimum ex omni armento TAURUM NEPTUNO conſecratum offerre:* Adeò, ut de Tauro, Neptuno à Cretenſibus oblato dubium non ſit; An autem in hoc Nummo ad eundem pertineat, fateor me nondum perſpicere. Caput Jovis, quod in adverſa viſitur, potius ad Deorum Principem rem videtur deducere. Cretam Jovis incunabula jactaſſe, neminem latet, & Bovem etiam à pueris Jovi immolatum, ex Strabone diſcimus, cujus verba ex verſione Xylandri adjicere placet, ut ſimul mos amantium pateſcat.

teſcat. *Peculiarem* (Cretenſes) *habent amoris morem; Non enim perſuadendo, ſed raptione amaſios comparant. Prædicit amator amico, tribus aut pluribus ante diebus, ſe rapturum eſſe; illi verò turpiſſimum habetur, occultare puerum, aut non ſinere uſitatâ ambulare viâ: quippe ſic confeſſuris puerum indignum eſſe, qui tali amatore potiretur: Ergo, factò agmine, ſiquidem raptor aut æqualis, aut etiam dignior puero ſit, inſequentes eum leviter duntaxat reluctantur, ut legi ſatisfaciant, porrò autem læti eum ſinunt abduci: Si indignus ſit, eum eripiunt: eousque autem oſtentant ſe repugnare, donec ad raptoris Andreium perveniatur. Amabilem exiſtimant, non qui formâ, ſed qui fortitudine & modeſtiâ præſtat. Raptum amator donis affectum ducit quocunque vult locorum: Raptionem comitantur, qui interveuerunt: Conviviô autem & VENATIONE uſi per bimeſtre (diutius enim puerum detinere non licet) in Urbem redeunt. Dimittitur puer donis acceptis, amiculô bellicô, BOVE & poculô: ea enim ſunt legitima munera. Sed accedunt alia ſumtuoſa, ita ut ob ſumtuum magnitudinem etiam amici ſtipem conferant. Puer BOVEM JOVI immolat*, &c. Intelligis ARCHÆOPHILE, Bovem Jovi immolare, Cretenſibus novi nihil fuiſſe: Intelligis novi nihil fuiſſe Venationes, cujus Sagitta teſtis eſſe poteſt.

An Sagitta hæc eſt? inquit ARCHÆOPHILUS. Atqui Jacobus de Wilde ſacrum cultrum ſtatuit; Sacrum cultrum, reſpondit DULODORUS, nec arundo & longiuſcula & tenuis, nec etiam pinnata cuſpis admittunt. Sagittam autem non forma tantùm, ſed etiam ipſa jaculandi peritia evincit, quâ Cretenſes vulgò innotuére, non minus ac Venationibus. Videri poteſt laudatus Meurſius in Creta L. III. c. 11. ubi plura Authorum teſtimonia congeſſit, ex quibus Apollonidæ apponimus, ex Anthol. L. I. c. 22.

Μηκέτ' ἐφ' ὑμετέροις ἀλεύδεσι, Κρῆτες, ὀιστοῖς
Αὐχεῖθ', ὑμνείσθω καὶ Διὸς εὐστοχίη.

Non amplius veſtris certù, Cretenſes, ſagittis
Inſoleſcite. Laudetur verò & Jovis jaculandi peritia.

De Jove loquitur Epigramma, inquit ARCHÆOPHILUS, & fortaſſis non abs ratione, cum Jovis Caput in Nummo ſit, quanquam in Nummo Wildiano non hoc, ſed Bacchi cornuti occurrat. Id nihil mirum, excepit DULODORUS, Polyrhenii enim non Jovem tantùm, ſed & alios Deos coluére. De templo Dictynnæ, Venationum præſidis, teſtatur Strabo. Imò in genere Diis ibi ſacra Cretenſes feciſſe, Suidas author eſt. Utriusque verba ſubjicere placet. Ita ille: Πρὸς ἑσπέραν δ' ὅμοροι τοῖς Κυδωνιάταις Πολυρρήνιοι, παρ' οἷς ἐστι τὸ τῆς Δικτύννης Ἱερὸν. *Ad Occidentem confines Cydoniatis ſunt Polyrrhenii, apud quos eſt Dictynnæ fanum.* Et hic: Πολυρρήνιον τόπος Κρήτης ἔνθα τοῖς θεοῖς ἔθυον, *Polyrrhenium locus Cretæ, ubi DIIS ſacra faciebant.* An huc etiam Caduceum referam? inquit ARCHÆOPHILUS, quem ſupra Jovis caput Numiſmati impreſſum video. Caduceus, reſpondit DULODORUS, Mercurii inſigne eſt; & Mercurium cum Acacallide Minois filia coiiſſe, Alexander in Creticis, teſte Scholiaſte Apoll. narrat, imò & Gortiniis Εὐὰν dictum, quaſi *Bonorum datorem*, Author Etymologici tradit; cùm autem Caduceus non cum Numiſmate ſignatus ſit, ſed ſignato ſuperacceſſerit, omninò ſignum aliquod monetale arbitrarer, quô proba moneta à ſubdola diſcerneretur. Ejusmodi ſigna plura in Numiſmatibus æreis Imperatorum proſtant, de quibus cùm hîc non agamus, meritò ad alia deſcendimus. Succedit

GORTY-

NUMISMATA GORTYNE

Cum EUROPÆ RAPTU et MINERVA.



GOrtynen à Tauro Cretæ Rege conditam, Matrisque ejus nomine appellatam, ex Cedreno constat. Numismata Jovem & Minervam exhibent, quorum Natales sibi Cretenses vindicarunt. De Jove constat: De Minerva ad Numismata Hyrinorum ex Diodoro docui. Vulgata hæc sunt, inquit ARCHÆOPHILUS, uti & Europæ raptus, hanc enim Tauri dorso ad amnem Lethæum Gortynam præterfluentem, vectitatam, Gortynios tulisse, Solinus author est: & ex Plinio adducitur Platanus, sub qua cum Europa Jupiter concubuerit. An autem secundo in Numismate Jupiter exhibeatur, & si exhibeatur, quid ejus Capiti subscripta Litera A. significet, hoc adhuc est dilucidandum. Diadema certè Regem aliquem, fortè Minoem, indicare videtur, & Litera A. quâ ratione Jovi conveniat? Sciendum, inquit DULODORUS, Jovem antiquissimum Cœli fratrem, cujus & sepulcrum in Creta ostendebatur, primum Insulæ Regem fuisse; ita enim Diodorus, Γεγονέναι (μυθολογοῦσι) καὶ ἕτερον Δία, τὸν Ἀδελφὸν μὲν Οὐρανοῦ τῆς δὲ Κρήτης βασιλεύσαντα. *Fuisse fabulantur & Jovem alterum, Cœli fratrem ac Cretæ REGEM.* Hunc Jovem secutus est Cres, Cretem Ammon, Ammonem Jupiter junior, totius Orbis Dominus, uti ex eodem Diodoro constat. Hæc cum ita sint, utique de Diademate nihil dubii remanet, nam & alibi id Jovi datum fuisse, ex antiquis nostris Deliciis, cognomentoque βασιλέως discimus. Quod Literam A. concernit, eam ritè retuleris ad Jovis cognomina, quibus apud Cretenses distinguebatur. Vel enim *Arbium*, vel *Alysium*, vel *Asium* sub ea intellexeris. De Jove Arbio & Asio Stephanus docet: Ἔστι ἐν Κρήτῃ Ἄρβιος ὄρος. ἔνθα τιμᾶται Ἄρβιος Ζεύς. *Est*, inquit, *in Creta Arbius mons, ubi colitur ARBIUS JUPITER.* Et alibi Ἄσος πολίχνιον Κρήτης, ὁ πολίτης Ἄσιος, οὕτω γὰρ ὁ Ζεὺς ἐκεῖ τιμᾶται; καὶ Ἀσίου Διὸς Ἱερὸν ἀρχαιότατον. *Asos Urbs parva Cretæ, Civis ASIUS. Sic enim illic JUPITER colitur. Est & inibi ASII JOVIS templum antiquissimum.* De Jove Alysio sunt verba Theonis in Aratum: Ἔστιν Ἀλυσίου Διὸς τέμενος παρὰ τὸ παρακείμενον ἐκεῖ ὄρος Ἄλυσις. *Est ALYSII JOVIS fanum à monte Alysi adjacente.*

Hæc quidem ad rem, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi tamen etiam ad *Ammonem* respicere placet, quem & ipsum hujus Insulæ Regem fuisse, modò docuisti. Sed de Serpente, quem Minerva præfert, audire adhuc placet, licet enim huic Deæ sacrum fuerit hoc insectum, uti supra ad Numismata Philippi dictum est, tamen, quòd in Creta Serpens nulla, uti Solinus loquitur: imò, quòd secundum Ælianum, Ἡ Κρήτη τοῖς ἑρπετοῖς ὑπαίοις ἐχθίστη ἐστὶ. *Creta Serpentibus inimicissima est*, non videtur congrua in Numismatibus serpentum mentio. Idem, respondit DULODORUS, etiam de Noctua tradunt, & tamen in Numismati-

miſmatibus Gortyniæ & Polyrheniæ apud Harduinum Noctua apparet, non minus ac in propoſito Minerva & Serpens. Sed notandum ex Diodoro, quòd Hercules Inſulam purgaverit, cùmque Herculis adjutrix fuerit Pallas, fortaſſis & ipſa hujus beneficii particeps his monumentis jactabitur, niſi ad Æſculapium reſpicias, quem Serpentis figurâ præfigurari ſolitum, nemo neſcit: Æſculapius certè, *Gortynius* cognomento, Pauſaniæ memoratur in Corinthiacis. Poteris etiam ad Bacchi & Herculis honores reſpicere, quò pertinent Serpentes in Numiſmatibus Cretenſium apud Goltzium. Succedit

GNOSSUS
CUM
MINOE ET LABYRINTHO.

ITa ſentis, inquit ARCHÆOPHILUS, an indubiè? de eo videbimus. Tune hunc Minoëm arbitraris, cùm tamen capita diademata modo ad Jovem retuleris? Tune Labyrinthum in Gnoſſo ponis, cùm tamen Cedreno teſte, Gortinè is fuerit? Unde & Claudiano in VI. Conſ. Honorii *Gortinia tecta* vocantur. At idem Claudianus, ſubjecit DULODORUS, in Epigrammate, *Gnoſon Tauri conſciam* vocat, adeòque non obſcurè innuit duplicem de ejus ſitu opinionem. Ut Cedrenus de Gortyne, ita Nummus de Gnoſſo teſtatur, non absque idoneo Authorum fulcro. Pauſanias in Atticis, ἐν Κνόσῳ Λαβύρινθον, *in Gnoſſo Labyrinthum* ponit. Philoſtratus de Apollonio, τὸν Λαβύρινθον ἐν Κνόσῳ, *Labyrinthum in Gnoſo* oſtendi tradit; Et Plutarchus Theſeum *Gnoſſum contendiſſe*, conſertâque in porta *Labyrinthi* manu, Deucalionem memorat interfeciſſe. Ex quibus utique Labyrinthum Gnoſſi fuiſſe, abundè docemur. Quod caput diademâtum attinet, id Minoi addico, non tam Diademate motus, quàm ipſis faciei lineamentis. Jupiter neſcio quam venerabilem modeſtiam præferre ſolet; at in propoſito, neſcio quid Regii faſtûs elucet. Adde quòd Minos hiſtoriæ convenientior ſit, utpote cujus auſpiciis Labyrinthus fuit exſtructus, ita enim Diodorus Siculus. Φασὶ δέ τινες καὶ τὸν Δαίδαλον, εἰς Αἴγυπτον παραβαλόντα, καὶ θαυμάσαντα τὴν ἐν τοῖς ἔργοις τέχνην, κατασκευάσαι τῷ βασιλεύοντι τῆς Κρήτης Μίνωϊ Λαβύρινθον, ὅμοιον τῷ κατ' Αἴγυπτον. *Sunt qui etiam Dædalum ferunt in Ægyptum delatum, & Operum illic ſolertiam miratum, Regi Cretæ MINOI LABYRINTHUM feciſſe, ſimilem ei qui in Ægypto erat.* Idem etiam apud Plinium legas, qui Labyrinthi Ægyptiaci tantùm centeſimam portionem Dædalum imitatum, tradit.

Si Centeſimam tantùm partem, inquit ARCHÆOPHILUS, imitatus eſt Dædalus, dubium omninò videbitur, an figuram ex deſcriptione Ægyptiaci depromere tutum ſit, id quod Te feciſſe memini. Deſcriptio, inquit DULODORUS, eſt apud Melam: *Pſammetichi*, inquit, *Opus Labyrinthus, domos ter mille, Regias duodecim, perpetuô parietis ambitu, amplexus, marmore exſtructus, ac*

rectus, unum in se descensum habet, intus ferè innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, sed continuô anfractu, & sæpè revocatis porticibus ancipites: Quibus subinde alium super alios orbem agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno & explicabili tamen errore perplexus est. Descriptio hæc Labyrintho in Numismate expresso in eo convenit, quod perpetuô parietis ambitu etiam hic inclusus, non nisi unum in se descensum, intus verò innumerabiles vias, multis ambagibus, huc & illuc remeantibus, habet. Diversitas magnitudinis in contrarium nihil facit, cùm magna etiam in exiguis adumbrari possint. Si Plinio fides est, facilè credas, Labyrinthum Ægyptiacum Civitatis ad instar domos continuisse, Creticum autem domum unam fuisse. Domum? subjecit ARCHÆOPHILUS; At Eustathius σπήλαιον ὑπόγειον, *antrum subterraneum* appellat: Et Author Etymologici antrum illud in monte fuisse asserit. Λαβύρινθος ἐν τῇ Κρήτῃ νήσῳ ἐστὶν ὄρος, ἐν ᾧ ἐστι σπήλαιον. *Labyrinthus mons est in Creta Insula, spelunca habens.* Quid respondes DULODORE? Id quod Authores suggerunt, inquit ille. Pro Domo Apollodorus se sistit, Ἦν δὲ ὁ Λαβύρινθος, ὃν Δαίδαλος κατεσκεύασεν, οἴκημα, καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν τὴν ἔξοδον. *Erat Labyrinthus, quem Dædalus ædificavit, DOMUS multiplicibus viarum flexibus exitum fallens.* Ita & Seneca Tragicus in Hippolyto:

Monstrique cæcam Gnossii vidit DOMUM.

Quæ loca, non minus ac superiora, cum pluribus aliis Celeberrimus Meursius suppeditat. Id scio, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm autem non omnia ad Labyrinthum in Numismate expressum conveniant, non licebit tantùm, sed & necesse est, ea denuò proponere. Figura sanè propositi *quadrata* est, sed minus ad Authorum calculum; Hi enim *rotundum* fuisse, haud obscurè innuunt. Ita Suidas & Hesychius, Λαβύρινθος κοχλιοειδὴς τόπος, *Labyrinthus locus Cochleæ similis*, & Tzetzes:

Ὁ Ἀθηναῖος Δαίδαλος τῷ Μίνωϊ ἐν Κρήτῃ
Φρούριον πολυέλικτον Κοχλιοειδὴς τὴν θέαν
Δυσέκβατον ἐργάσατο Λαβύρινθον τῇ κλήσει.
Atheniensis Dædalus, Minoi in Creta,
Custodiam flexuosam, & aspectu COCHLEÆ SIMILEM,
Exitu difficilem fecit, LABYRINTHUM nomine.

Aperta sunt testimonia, & Numismati apertè contradicunt. Imo, respondit DULODORUS, Authorum ignorantiam apertè arguunt; Cùm enim Labyrinthum Creticum Ægyptio similem à Dædalo factum in Diodoro legerent, Ægyptius autem rotundus fuerit, uti ex Numismatibus Augusti & M. Aurelii apud Illust. Patinum videre est, continuò conclusére etiam Creticum eâdem figurâ fuisse conspicuum.

Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, eumdem errorem etiam ipsi Diodoro tribuere ausim, qui quòd Labyrinthum Ægyptium suâ ætate adhuc superstitem sciret, Dædalum ad ejus exemplar Cretensem exstruxisse, asserere non dubitavit; At contrarium elucet ex Nummo non nostro tantùm, sed & Chiorum apud Goltzium, qui & ipsi, quòd Cretensium Coloni essent, Labyrinthum non rotundum, sed quadratum expressére, uti in Fasciculis tuis docuisti. Si unus tantùm in Ægypto, excepit DULODORUS, & unus tantùm in Creta Labyrinthus fuisset, rationi Tuæ assurgerem; At duos Ægyptios fuisse, vel inde constat, quòd eum, cujus Mela meminit, Psametichus, eum autem, qui Diodoro memoratur, Mendes exstruxerit. Ita & in Creta alius Gnossi, alius Gortyne fuisse memoratur. Quid igitur si alterius figura quadrata, alterius rotunda fuerit? & is, qui in Nummo exhibetur & Gnossi fuit, ad exemplar Ægyptii qua-

quadrati, is autem, qui Gortyne fuit, ad exemplar Ægyptii rotundi fuerit efformatus? Differentiam ſanè Ægyptiorum etiam ex magnitudine colligas. Cùm Labyrinthus Pſametichi, qui Melæ memoratur, ter mille domos & duodecim Regias continuerit, Mendis autem, qui Diodoro οὐχ' ὕτω κατὰ τὸ μέγεθος τῶν ἔργων ἐκπληκτὸς ὡς πρὸς τὴν φιλοτεχνίαν ἀνεπίμικτος, *non tam mole admirandus, quàm artificio inimitabilis fuerit.* Diſtinctio, reſpondit ARCHÆOPHILUS, quamvis rationi contraria non ſit, baſin tamen ex Antiquitatum penu anhelat. Si Labyrinthum rotundum in Gortyniorum, & quadratum in Ægyptiorum Numiſmatibus oſtenderis, accedam placito, quanquam allati Authores, utpote qui diſtinctionem eam ignorârunt, ne ſic quidem Cenſoris notam effugiant. Ut ex Labyrintho nos expediamus, perrexit DULODORUS, Gnoſſum relinquimus, ſed incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin. Incertæ ſedis ſe nobis offert

ELYROS
Cum
APE et CAPRA CRETENSI.



SImile ferè Elyriorum Numiſma, niſi quòd locô Capræ arborem depaſcentis, Capræ tantùm caput exhibeat, apud Harduinum legas. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & niſi fallor ſufficienter Nummum explicavit, & Pauſaniam adducendo & Plinium, quorum ille *Elyrios Apollini Capellam æneam dono miſiſſe*, hic autem Lib. XXI. Sect. 46. *Mel Creticum in Carina monte muſcis non attingi* memorat, *ſingulare omninò medicamentis:* Quibus ex locis utique clarum eſt, ſufficientem fuiſſe Elyriis cauſam, ſignandi & Capram & Apem, idque eò magis, ſi verum ſit, quod Harduinus conjicit, Elyrum in monte Carina ſitum fuiſſe. Conjectura ſane futilis non eſt; Elyrum enim in Cretæ montibus ſitam Pauſanias expreſsè ait, & Elyrii Numiſmate ſuô Apem expreſsêre, matrem mellis, quod in Monte Carina Plinio celebratur. Id video, inquit DULODORUS, ſed dabis veniam, ſi ad Apem Harduinum minus congruè mel citaſſe arbitrer, cùm tamen Apum ipſarum teſtimonia adducere potuiſſet. Quid enim? annon Plutarchus de Solertia Animalium earum meminit? Ὅμοια δὲ καὶ τὰ τῶν Κρητικῶν μελισσῶν. ἐκεῖναι μὲν γὰρ, ἀνεμώδες τὶ μέλλουσαι κάμπτειν ἀκρωτήριον ἐρματίζουσιν ἑαυτὰς, ὑπὲρ τοῦ μὴ παραλέρεσθαι, μικροῖς λιθιδίοις. *Similia*, inquit, *ſunt, quæ APES CRETICÆ faciunt; Eæ enim ventoſum aliquod Promontorium prætervolaturæ, ne transverſæ abripiantur, lapillis exiguis ſe ſaburrant.* Diodorus ait, Apes, quod in Ida monte Jovem educaſſent, Dei beneficio aureo colore donatas eſſe. Apum in Ida monte Cretenſi meminit Ælianus L. XVII. c. 25. & Callimachus, Hymno I. Apum in promontorio Samonio Author Geoponicorum Lib. XV. cap. 7. quæ loca congeſſit Meurſius in Antiquitatibus Græcis verſatiſſimus, qui & in Plinio non *Carina*, ſed *Carma* legit, cui monti an Elyron impoſitam rectè conjecerit Harduinus, ex hactenus dictis facile apparebit. Quid enim? annon etiam in

monte Ida, aut alio quodam potuit jacere, cùm Apes non minus in his, quàm in Carma fuerint? Hæc ad Apem monenda habui. Quod de Capella ait, nihilo magis videtur quadrare.

Quidni? regessit ARCHÆOPHILUS; Nonne Pausaniæ verba satis clara sunt? Sunt, inquit DULODORUS; Sed nimis arcte Capella Numismatum ad eam videtur restringi, quæ Apollini missa est, cùm illa eòdem Authore lac præbere visa sit infantibus, Apollinis & Nymphæ Acacallidis filiis, Phylacidi & Philandro, in Numismatibus autem nullum omninò ejus facti appareat vestigium. Potius ad Caprarum in Creta frequentiam respexero, de quâ Solinus *Ager*, inquit *Cretensis sylvestrium CAPRARUM copiosus est.* Aristoteles & Ælianus aliique testantur, eas, si quando sagittis percussæ fuerint, Dictamum comedere solere, eôque factò sagittas excidere. An ergo Arbor, perrexit ARCHÆOPHILUS, quæ in Nummo visitur, Dictamus est? Id non dixero, respondit DULODORUS; Dictamus enim non Arbor, sed herba Dioscoridi vocatur. Potius ad communem Caprarum naturam respicias; Arboribus enim infestum est animal, id quod jam suprà inter Gemmas ex Plinio vidimus. Recenti adhuc memoria rem teneo, inquit ARCHÆOPHILUS; quod autem ad cornua attinet, video quosdam quasi globulos iis impositos. Benè mones, respondit DULODORUS, neque enim omninò otiosi sunt, sed omninò ætatem Capræ indicant. Persuadet locus Plinii Lib. VIII. c. 50. *Non omnibus cornua*, inquit, de Capris locutus, *sed quibus sunt, in his & indicia annorum per incrementa NODORUM.* Hæc apprimè quadrant, inquit ARCHÆOPHILUS, nec aliud superest, amicissime DULODORE, quam ut doceas, quid sibi velint Literæ MI. quæ ab altero Numismatis latere visuntur. Minoam interpretari poteris, Urbem Cretæ, respondit DULODORUS, licet ab altero latere jam Tyros legatur. Duarum enim Urbium nomina in eodem Nummo legi, Concordiamque indicari, Harduinus asserit. Si tamen res minus placeat, poteris Minoëm Cretensium Regem in memoriam revocare, sive primum sive secundum. Ille sanè memorari meretur ob Regnum constitutum, & divinam originem: Hic ob Potentiam, etiam in Insulas extensam. Quid si & Miletus locum sibi vindicet? Non quidem Urbs, sed Urbis Conditor. De eo videri possunt Pausanias in Achaicis: Apollodorus L. III. Antonius Liberalis Metamorph. 30. & ex nostris Ovidius Met. IX. ubi Minos:

Robore MILETUM Phœboque Parente superbum
Pertimuit, credensque suis insurgere Regnis,
Haud tamen est Patriis arcere Penatibus ausus.

Cretâ relictâ, Ortum versus navigantibus, ipso Phœnicum sub litore, occurrunt

ARADII.



ARadiorum hoc Numisma esse, ex Inscriptione patet. Imò, respondit ARCHÆOPHILUS, sed Aradi nomine tres Insulas fuisse, nec descendentia indè

ἔθνικὰ diversitatem inducere, ex Stephano docemur. ΑΡΑΔΟΣ νῆσος Φοινίκης. Ἔστι δὲ ἑτέρα τῆς ἐρυθρᾶς. Τὸ ἐθνικὸν Ἀραδίος. Τρίτη Κρήτης. Τὸ ἐθνικὸν Ἀράδιος, Ἀραδία. *Arados*, inquit, *Insula Phœniciæ. Est etiam alia Maris rubri. Gentile Aradius. Tertia Cretæ. Gentile Aradius, Aradia.* Hæc cùm ita sint, quis dijudicet, ad quam harum Nummus hic pertineat? Addere posses & eam, respondit DULODORUS, quam cum Tyro in Sinu Persico memorat Strabo. Sed de Phœnicica facile demonstrabitur. Apud Goltzium est Nummus, ejusdem planè cum proposito fabricæ, nisi quod locò literarum B N P Θ q c. in eo legatur ΕΥΡ. Δ. ΑΣ. ubi me judice litera Υ. pro q. posita est, adeò ut numerus incidat cum eo, qui Vaillantio, de Syris Regibus, pag. 344. teste, in Thesauro Regio Gallorum visitur, inscriptus ΑΡΑΔΙΩΝ ΑΣ Ϙρ. id est Aradiorum Asyli anno 195. qui cum Seleucidarum 265. V.C. 706. incidit. Quicquid sit, ex appositio Asyli jure abundè constat, non aliam in his Nummis intelligendam, quam Aradum Phœnicum, nisi & doceas eôdem jure etiam vel Cretensem, vel Maris rubri, Sinusve Persici, Aradum fuisse honoratam.

Id difficulter potero, subjecit ARCHÆOPHILUS, cum nihil tale apud Authores legam; Sed esto! pertineat ad Aradum Phœniciæ hic Nummus, quid sibi volunt adjectæ literæ B N P. Θ q c. Numerales esse, respondit DULODORUS, credibile est, sed aperte fateor, mihi nondum omninò rationem undique constare. Si dividas, uti in Nummo divisæ sunt, poteris duas Æras putare: Ita literas B N P. secure annum 152. interpretaberis, Literas autem Θ q c. annum 299. Sed hoc non sufficit, indicandæ etiam sunt Æræ, quibus anni hi respondeant. Duæ quidem in Nummis Aradiorum occurrunt: Seleucidarum, & Asyli. Illa incepit anno V.C. 441. Hæc anno V. C. 511. De illa videri potest Per-Illust. SPANHEMIUS Dissert. IX. de hac Cl. Vaillant de Reg. Syriæ, Nummis suprà citatis. Hæc cùm ita sint, utique vides, si utramque in Nummo agnoscere velis, priorem B N P. sive 152. de Æra Asyli; posteriorem autem de Æra Seleucidarum sumi debere, quod illa junior fuerit. Sed nihil ages; hæc enim viâ non coincidunt, sed differunt, idque annis 77. Annus Æræ Asyli incepit anno Æræ Seleucidarum 70. cui si Æram Asyli in Nummo ex hypothesi expressam 152. addas, prodibunt anni Seleucidarum 222. & non 299. qualiter in Nummo legitur.

Mihi excepit ARCHÆOPHILUS, videtur litera q. non connumeranda; neque enim in ordine legitur, sed inter utrumque ordinem interjicitur. Mihi contra videtur, respondit DULODORUS; Quod enim supra inferiorem ordinem posita sit, angustia spacii effecit, quæ tres literas uno ordine non recipiebat, unde una necessariò superponenda fuit, & quæ commodius posset, quam litera q? quòd ea vel caudâ suâ locum suum videretur demonstratura; sed esto! Excludamus hanc Literam, tamen adhuc 13. anni intercedunt, cùm literæ Θ c. non 222. sed 209. efficiant. Video rem non procedere, infit ARCHÆOPHILUS, nec tamen aliundè succurrit, quô dubium solvere possim. Neque mihi, respondit DULODORUS, nisi sub Literis prioribus Æram Seleucidarum, sub posterioribus autem vetustiorem aliquam nobis incognitam arbitromur latitare. Id sanè credere juvabit, donec certius quid appareat. Quod brevi futurum spero; Ut enim officio meo etiam aliunde satisfacerem, Per-Illust. SPANHEMIUM consului, nec dubium est, quin pro summa, quâ studia nostra prosequitur, & humanitate & benevolentiâ, quædam notaturus sit, unde plenior lux affulgere possit. Si interim ad mea respicias, Annus Seleucidarum B N P. sive 152. in Nummo expressus, incidit in principia Demetrii Soteris, quem Româ profugum, cùm Regnum repeteret, Tripo-

lim venisse, Zonaras memorat. Tripolim autem, præter Tyrum & Sidonem, etiam Aradum complexam, ex Stephano patet. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & jam mihi videor etiam reliqua didicisse; hác enim viâ haud aspernenda Numismati lux exsurgit. Quid Victoria, aplustre prætendens, sinistrâque palmam præferens in Laurea, videatur aliud, si non Victorias advenienti Regi, non votis tantum gratulatura, sed & viribus suis conciliatura? Sceptrum, quod à tergo Capitis Muliebris & turriti visitur, conjecturam sublevat; quid enim sub eo intelligas, si non potestatem Regiam, quam Urbis suæ genium Aradii credere potuére? Nosti DULODORE sub ejusmodi capitibus turritis, interdum & Regias uxores latere. Quid si etiam huc respiciendum sit? Ego, respondit DULODORUS, hæc nec dixero, nec negavero; quanquam quòd nulla omninò Demetrii hoc in Numismate mentio sit, libentius Urbis ipsius hîc non dominium tantùm, sed & vires & Victoriarum gloriam agnoscerem. Caput turritum Urbis munitiones indicat, quas per totam Insulam extendit: *Quantum patebat*, inquit Mela, *tota Oppidum fuit, frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licebat.* Quid hoc est, subjecit ARCHÆOPHILUS, *super aliena tecta sedem ponere?* Si Goltzium audis, respondit DULODORUS, idem est, quod *in alieno solo.* Basin interpretationis suæ ex Strabone sumit, quô authore Aradii, licet partes Callinici sequerentur, tamen cum Antiocho convenére, ut ad se ex Regno ejus confugientibus, tutus esset locus, nec quicquam tradere cogerentur, nec etiam injussu Regis permitterent aliquem enavigare. Qua de causa illorum Urbs mirum in modum & hominum frequentiâ aucta fuit, & amplissimæ illis opes contigerunt. Confugiebant enim ad Aradios, tanquam ad tutissimum Asylum, non plebei modò, sed etiam, qui magnis sibi de rebus timebant, qui compositis mox negotiis, & Patriæ restituti, beneficii accepti memores, gratiam illis, ut par est, referebant. Hæc Goltzius opinionis suæ basin citat, sed vereor ut solidam. Aliud certè est, *super aliena tecta*, aliud *in alieno solo, sedes ponere.* Ego nihil dubitem locum accipere, prout sonat: Ut scilicet, si ædes altioris structuræ capaces essent, Dominus autem id facere nollet, tunc alii id facere, sedemque suam super aliena tecta ponere possent. Ut hanc interpretationem præferam, facit, quod Strabo expressis verbis dicat: *Aradios ædes* πολυορόφους *multis fastigiis aptas, incoluisse*, id quod nec Goltzium fugit. Sed hæc ad Caput turritum sufficiant. Sceptrum quod à tergo imminet, admonere nos potest Regiæ dignitatis, quæ hac in Urbe antiquitùs floruit. Idem Strabo: *Olim Aradii*, inquit, *per se se Reges habebant, ut cæteræ Phœnicum Civitates.* Exemplum est apud Arrianum, ubi Gerostratus Aradiorum Rex classem suam cum Autophradate junxisse, filius autem ejus Straton Alexandro M. coronam auream imposuisse, omniumque deditionem memoratur fecisse; adeò ut nec authoritas, nec exempla conjecturæ desint. In aversa videmus Victoriam in Laurea, sinistrâ Palmam, dextrâ Acrostirium tenentem. Palma notissimum Victoriæ symbolum est. Laurea Victoriæ gloriam indicat, quæ Victoriæ circumfusa est, quocunque progrediatur. Acrostirium, sive aplustre, ad Victoriam Navalem rem deducit, sive obtentam sive obtinendam. Apposite! *Aradus* enim, Strabone teste, *ante jugum quoddam, & importuosum litus, inter suum Navale & Marathum, jacebat, distans à terra Stadiis XX. eratque saxum à Mari circumfusum, septem ferè Stadiorum ambitu, Navale* Caranus *vocabatur.* De studio navali, successibusque, non operose disquirere necesse est. Unicum Strabonis testimonium rem ad oculum demonstrat. Προσέθεσαν inquit de Aradiis, τῇ εὐτυχίᾳ ταύτῃ καὶ πρόνοιαν καὶ φιλοπονίαν πρὸς τὴν θαλαττουργίαν. *Huic felicitati* (qua scil. bonam adversæ continentis par-

tis partem adepti erant) *& Providentiam addiderunt & STUDIUM REI NAVALIS.* Dum adhuc loquitur DULODORUS, Per-Illuſt. SPANHEMII Epiſtola advolavit. Ea reſignata SUMMI VIRI de duplici Æra, in Aradiorum Nummo expreſſa, ſententiam exhibuit, his verbis:

Singularis eſt ille Aradiorum Nummus, ob ſignatam in eo, ut vere obſervat, duplicem Æram, cujusmodi non occurrit in aliis, quos vidi aut vulgarunt eruditi Antiquarii, ac præ aliis Cl. Noriſius, illius Urbis Nummis. Haud una equidem Syriæ ac Phœniciæ Urbium, in antiquis earum Nummis Epocha, neque ab uno capite arceſſenda: quod poſt tradita ſubinde ea de re ab Euſebio in Chronico, aut Chronici Alexandrini Auctore, ac inde à Scaligero ad Euſebium, & in Canonibus Iſagogicis, primus ex antiquis, nec obviis vulgo Nummis, olim idque tum ſpeciminis tantum loco, pluribus adjerui ac illuſtravi. Adde, quod non duplex ſolum, ſed triplex etiam Æra, quanquam non in iisdem, ut hoc loco, ſed diverſis unius Urbis Nummis, ſubinde occurrat: prout de duplici Antiochenſium *in eorum Nummis Æra viderunt jam alii; triplicem vero in* Gazæorum *ac* Tyriorum *Nummis ſe obſervaſſe, & qua de re alibi ſit acturus, monuit haud ita pridem in edita de ætate Commodi in ejus Nummis Epiſtola eruditiſſimus Toinardus. Idem in Notis ad Lactantium de Morte Perſecut. duplicem* Amiſenorum *in Ponto Æram; triplicem autem in addendis ad Criticam Baronianam p. 305. eruditiſſimus Pagi, ex eorundem Nummis eruunt; & quibus multa poſſem à nobis pridem ex eadem penu, eamque in rem ſtudioſe congeſta ſuperaddere, ſi id nunc ageretur. Factum hoc autem, ſeu petita hujus vel illius Urbis Æra, vel ab eadem condita aut reſtaurata; vel ab Autonomia aut Libertate & cum jure Aſyli frequenter parta; vel à regnante tum Imperatore, in eumque ſtudio quodam ſingulari. Idem* Arado *proinde contigiſſe, docet inſignis ille hujus Electoralis Gazæ, quem cum aliis enarrandum ſuſcepimus, Nummus, & quidem cum duplici Æra in eodem ſignata. Prior autem & recentior, quæ ibi occurrit,* BNP. *h. e. CLII. cum eadem illius Urbis Æra convenit, quæ non in adducto ſolum à te Cl. Vaillantii Nummo exſtat, ſed in alio etiam, & qui propius adhuc ad eam accedit, quemque Romæ olim vidi in Cimeliarchio Principis Auguſtini Chigii, inſcripto* ΘΞP, *ſeu CLXIX. Caput autem illius Æræ, non ad Æram quidem Seleucidarum, ſed ad aliam, LIII. circiter annis recentiorem, ac proinde temporibus Antiochi Dei, tertii inter Seleucidas Regis, ceu ad annum V. C. non 442. ſed 494. aut 495. debet referri. Id enim liquet hodie ex aliis ejusdem Urbis Nummis, ſub Domitiano, Trajano, aut M. Aurelio percuſſis, in quibus exſtat itidem hujus Æræ mentio, nempe cum numeralibus notis* BMΓ. *CCCXLII, aut* ΔOΓ. *CCCLXXIV, aut* AKΓ. *CCCCXXI. quos in Gallorum Theſauris vidi olim ac adnotavi, nuper autem eam in rem protulit ac illuſtravit Cl. Noriſius. Unde Autonomiam ac Libertatem ſub illo Antiocho II. aut Ptolemæo Philadelpho, quod vere etiam idem Vir præſtantiſſimus ſtatuit, nacta videtur eadem* Aradus; *indeque, more iis Urbibus conſueto, Æram ſuam auſpicata. Quo referri etiam debet Nummus è Ligorianis Collectionibus à Cl. Holſtenio ad Stephanum adductus, non ut ibi, cum nomine ſcilicet* HΛEHΘEP, *ſed obvia appellatione* EΛEYΘEP. *ſeu* liberæ; *& ſimiliter Goltzii Nummus à te adlatus, in quo* APAΔIΩN AΣ. Aradiorum Aſyli *ſeu* Inviolabilis *ſit mentio. Niſi ideo quod ad* Eleutheri *fluminis os, ut vel ex Strabone liquet lib. XVI. p. 752. eſſet ſita eadem* Aradus, *inde ejusdem fluvii in priori illo Nummo, mentionem fieri quis putet, & quidem ad diſcrimen alterius cognominis in ſinu Perſico* Aradi. *De altera autem, eaque vetuſtiori Epocha, ſignata in hoc Electorali* Aradiorum *Nummo* ΘϘC. *CCXCIX. res magis anceps videri poteſt: quum ea, juxta prioris Æræ ibi adſcriptæ numeros, XCIV. annis, Seleucidarum Æram antecedat, ac in annum incidat Urbis Conditæ CCCXLVIII,*

ac

ac ita in tempora Darii Nothi Perſarum Regis. Ut proinde quæ ratio aut origo fuerit illius Aradiorum *Epochæ, haud liceat hodie ſtatuere; quum nec alia in antiquis earum Phœniciæ Syriæreæ Urbium Nummis, quos magno numero verſare mihi in præclaris Cimeliarchiis licuit, aut vulgavit in præclaro opere Noriſius, hactenus occurrat, quæ eam vetuſtatem præferat.* Aradum *quidem Inſulam obtinuiſſe, ab eoque proinde denominatam,* Aradium, *unum è Chananis filiis, tradit Joſephus Origin. l. 1. c. 7. apud quem* Αρουδαῖος *in editis juxta ac ſcriptis veteribus libris dicitur, cujusque Urbis, juxta Sidonem ac Tyrum, nobiliſſimas Phœniciæ Urbes, ac ut præpollentes mentio ſit apud Ezechielem. XXVII. 8. & 11. Eam autem etiam Alexandri M. temporibus, proprios adhuc habuiſſe Reges, ex Arriano bene jam monuiſti. Unde fieri potuit, ut ob inſigne aliquod, quo adfecti jam ante fuerant* Aradii *à Perſarum Regibus, quibus obnoxii erant reliqui eorum tractuum Reguli, & ſub quorum etiam Perſarum imperio, fuiſſe olim* Aradios *tradit Strabo pag. 753. hanc inde Æram, in duraturam ejus rei memoriam, iidem uſurparint; eamque etiam poſt alteram ab eorum Autonomia, Antiochi II. ac Philadelphi temporibus parta, deſumptam, haud antiquatam plane voluerint. Magnam utique adhuc fuiſſe ſub ſequentibus Seleucidis* Aradiorum *celebritatem, cum alia arguunt, tum quod Antiochus Cyziceni filius, idemque Euſebes dictus,* Aradi *diadema ſumpſiſſe dicatur à Joſepho Origin. lib. XIII. cap. 20. Sed hæc obiter, BEGERE Præſtantiſſime, dum aliis, quæ me nunc urgent, neque id ignoras, curis premor, quoque meâm, quam flagitaſti, de inſigni hoc Nummo, ſententiam paucis ſignificarem.* Hactenus Per-Illuſt. SPANHEMIUS. Quibus lectis & ARCHÆOPHILUS & DULODORUS non mediocriter delectati, Nummum ſepoſuerunt; Et hic, poſt affuſam inquit, à tam Illuſtri Calamo, Aradiis lucem, noſtris ſcintillis opus non eſt. In Cyprum navigamus.

CYPRII
PROCONSULI EPRIO MARCELLO STATUAM POSUERE.



NUmiſma hoc inter Selecta vulgavit Seguinus, vigore Nummi alterius, cum Capite Titi, eôdem in reliquis typô, eâdemque prorſus Inſcriptione in averſa: Eum demonſtrans, qui Neronis & Veſpaſiani temporibus Eloquentiâ Thraſeam Petum evertit, & ſe contra Helvidium Priſcum defendit, id quod ex Tacito conſtat. De hoc dubium non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam Seguinus inſcriptionem Nummi non fuerit aſſecutus. Id Harduinus aſſerit, reſpondit DULODORUS, cujus ſi placito aſſurgas, non tantùm Eprium Marcellum, Cyprum Proconſule rexiſſe agnoſces, quod Seguinus ait, ſed & Cyprios Eprio Marcello Proconſuli Statuam poſuiſſe; Ita enim legit: ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ ΚΥΠΡΙΟΙ ſubintellige ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Proconſuli Eprio Marcello tertium Cyprii poſuêre.* Cæterùm nec de Senatûs effigie

effigie Seguinus ritè sentit, Caput juvenile pronuncians, cùm tamen haud obscura sint provectioris ætatis indicia: nec de aversæ Statua, cui Hastam tribuit, cùm tamen in nostro Numismate Tridens ad oculum pateat.

Quid Tridens ad Venerem? inquit ARCHÆOPHILUS; Venerem enim hanc esse, ex pomo agnoscimus, nec obstat Figura Virilis, cum Venerem in Cypro specie Viri cultam, ex Hesychio & Macrobio constet. Si Venerem hanc statuas, respondit DULODORUS, poteris sub Tridente ad ejus ortum respicere, poteris ad ejus Dominium, tam in terra quam etiam in mari efficax, uti supra inter Gemmas demonstratum est; Sed mihi, ut verum fatear, Venus hoc in Nummo expressa non videtur. Obstat habitus. Statua hæc imberbis est, Venerem autem in Cypro specie Viri, sed Viri barbati cultam, Hesychius tradit. Statua habitu virili induta est, at Venerem in Cypro, barbatam quidem corpore, sed veste muliebri, & cum sceptro fuisse, Macrobius testatur. Et quid? an Veneris Statuam Eprio posuerint Cyprii? Annon vel ipsius Eprii, vel certè Senatûs, quem adversa prodit? & quid si ex utroque mixtam? ita ut Senatûs Statua Epriu Proconsulis effigiem prætulerit, Eprii autem effigies Senatûs Romani insignibus fuerit adornata? Nonne eleganter hôc invento & invidiam Cyprii amoverint, & Eprii simul meritis assurrexerint? Eprii sanè Eloquentia Senatûs Romani suò tempore quasi anima & dignitas fuit, id quod inde colligas, quòd ejus ad orationem, & virtus opprimi, & scelus defendi potuit.

De capite adversæ, subjecit ARCHÆOPHILUS, res forsitan processerit, de Statua autem aversæ, quî idem sentiri possit, non video. Senatus togatus esse solet, at Statua thorace induta fulget, qualiter Imperatores solent. Si hoc arbitreris, respondit DULODORUS, poteris, ut in capite Deum Senatum, ita in Statua hâc aliquem Imperatorum, sub quibus Eprius vixit, intelligere; Quanquam, quòd in Nummis Romanis eôdem ferè modò, vel Virtus, vel ipsa Roma vestiri soleverit, haud abs re fortassis etiam ad has respexeris. Quicquid sit, utique sub globo imperium Terræ, sub Tridente autem imperium Maris contemplaberis, quod vel Imperator, vel Senatus, vel Roma ipsa, vel denique Romana Virtus obtinuerit. Ex Cypro properantes paulisper adhuc moratur Cypri Urbs

MARIUM,



Cui enim præter hanc, rarissimum hoc Numisma tribuam? cùm non literæ initiales tantùm, sed etiam ipsa Veneris effigies, Myrti ramulis hinc inde ornata, & Myrto coronata, suffragentur? Veneri Cyprum sacram fuisse, nemo nescit, & Marium Cypri Urbem fuisse, testatur Stephanus. MAPION Πόλις Κύπρου, inquit. Meminit & Plinius Lib. V. c. 31. Ex ejus ruderibus crevisse Arsinoen, ex Stephano colligit Rev. Harduinus. Stephano ἡ μετονομασθεῖσα Ἀρσινόη dicitur; quod sine Authore dictum arbitratur Pinedo, argumentô Plinii, cui Arsinoë & Marium diversæ sunt Urbes. Bochardus Lib. I. c. 3. Geogr. sacr. Etymon ex Lingua Phœni-

ſuggerit, his verbis: τινὲς δέ φασι κληθῆναι οὕτω (τὴν πόλιν Ῥόδον) διὰ τὸ σπουδαῖα ἔχειν Ῥόδα. De Urbe Rhodo loquitur Author, at ego potius de Inſula id dixerim. Rhodum Inſulam enim hoc nomine jam Homerus memorat Il. Il. ϕ. 667. at Rhodum Urbem exſtructam demum fuiſſe poſt Piræeum Athenienſium portum, id eſt, ætate Themiſtoclis, Euſtathius ſcribit ad dictum Homeri locum, id quod procul dubio ex Strabone hauſit, qui Lib. XIV. iisdem ferè verbis Urbem circa tempora rerum Peloponneſiacarum ab eodem Architecto conditam aſſerit, à quo & Piræeus factus fuerat. His ſuppoſitis utique conſtat, non Urbem, ſed Inſulam à Roſis etymon habere: indeque facilis conjectura eſt, Rhodum Urbem deinceps non aliundè, quàm ab Inſula nomen petiiſſe.

ARCHÆOPHILUS, quanquam ſuperiora non omninò improbaret, attamen Inſulam, inquit, à Rhodo, Amphitrites & Solis filia, ut Aſclepiadi: vel Neptuni & Veneris, ut Herophilo: vel Neptuni & Haliæ, Sororis Telchinum, ut Diodoro Siculo placet, cum Nonnio hactenus appellatam credidi, videbaturq; opinionem ſtabilire Solis in Numiſmatibus effigies, ſive Rhodus illius filia fuerit, ſive amaſia. Rhodus Nympha, reſpondit DULODORUS, mihi merum figmentum videtur, nec aliud ſub ea latere arbitrer, quam ipſam Inſulam. Eam Sol ideò vel produxiſſe vel imprægnâſſe fingitur, quia præcipuâ eam benevolentiâ amplecti videtur. Si Solino fides, *nulla ibi tam nubila dies eſt, in qua Sol non oriatur:* Et non abs re Horatio Lib. I. Od. 7. & Martiali Lib. IV. 55. *Clara:* & Lucano Lib. VIII. & V. *clara Sole*, & *Phœbeia* vocatur. Lucianus in Amoribus de Rhodo loquens: Ἐστὶ γὰρ ὄντως ἡ πόλις ἡλίου πρέπον ἔχουσα τῷ θεῷ τὸ κάλλος. *Eſt re ipſa Civitas hæc Solis, convenientem huic Deo pulchritudinem præ ſe ferens.* Et Euſtathius Odyſſ. ζ. memorat templum Solis Rhodi, quod ἡλίειον dicebatur. Mirum in tantâ Solis luce, tam denſas regnaſſe fabularum tenebras, ut & ipſi Rhodii non tantùm Solis Coloſſum, qui inter mundi miracula locum meruit, ædificaverint, ſed & Solis ſe progeniem ambitiosè jactaverint!

DULODORUS, ad alia tranſiturus erat, ſed ARCHÆOPHILUS, quid quæſo nomen ANTAIΩN, quod priore in Numiſmate legitur, neque enim ex hiſtoria quicquam lucis affulget. De Antæone, reſpondit DULODORVS, nec mihi innotuit. Marionis, ut ſupra vidimus mentio eſt apud Pauſaniam, ſed cùm is Alexandrinus fuerit, quid huc faciat, non video. Tantisne Marium ſpatiis, inquit ARCHÆOPHILUS, Rhodus ab Alexandria diſtabat, ut Alexandrinus quidam apud Rhodios non potuerit in honore fuiſſe? Id non dixero, reſpondit DULODORVS, certum enim eſt, etiam Ægyptiorum Deos Rhodi cultos fuiſſe, id quod ad Ærea videbimus. De Antæone autem & Marione apertô teſtimoniô deſtituimur, ideoque ſufficere arbitror, Magiſtratuum hæc nomina credere, eorumque authoritate Numiſmata percuſſa ſtatuere. Sed latior de his differendi campus ad ſequentia dabitur.

NUMISMATA RHODIORUM

NEPTUNUS, MINERVA, MERCURIUS, APOLLO

Uva Hipponia, ſive Vinum Rhodium,

Ollulæ ſive Pocula Rhodiaca,

Se nobis offerunt: ut taceam nomina Roſis ſuperpoſita, ΑΡΙΣΤΗΔΑΣ, ΣΤΡΑΤΩΝ, ΔΑΜΑΣ, ΑΝΑΞΙΔΟΤΟΣ, ΑΕΤΙΩΝ, ΔΕΞΙΚΡΑΤΗΣ, ΑΡΤΕΜΩΝ, ΜΑΗΣ. quorum pleraque uti mihi incognita ſunt, ita præſtare arbitror de iis ſilentium, quam incertam verboſitatem.

Dexicratem, inquit ARCHÆOPHILVS, Athenienſem Comicum Te ex Athenæo citaſſe memini. Imò, ſubjecit DULODORUS, etiam Artemones attuli, unum Hiſtoricum patriâ Pergamenum: Alium Clazomenium Teſtudinis & Arietis inventorem: Tertium Pictorem, cujus opera Plinius recenſet; Sed quid hi ad Rhodum? Poſſem idem etiam de Stratone aſſerere, quod ſuprà de Marione attuliſti; Etiam hic enim Alexandrinus fuit, Victoriamque, Pauſania teſte, in Olympicis obtinuit: Fuit & Ægienſis Athleta, cujus Victoriam & porticum idem author celebrat: Fuit & Statuarius, eôdem memorante: Fuit & Tyrannus Amiſenorum, Strabone teſte: & filius Regis Aradiorum, qui Alexandro

xandro se tradidit. Sed propius ad propositum accedunt Damas & Aristaidas; Damas enim Eudemi Rhodii viam scripsisse memoratur, eoque honorem Numismatis meruisse quidni credatur? Aristeas Rhodius fuit, authoribus Nicolao Myrepto de Antid. cap. IX. & Erotiano in Lexico Hippocrateo. Verum enim vero credibile est Nomina Rhodiorum Numismatibus inscripta, non illustrium, sed vel Regum, vel certe Prytanum esse. Reges memorantur Ptolemus, Diod. Sic. & Pausaniæ: Memnon, Frontino Strat. Lib. II. c. 5. Sect. 18. Damagetus Rex Jalysi (ubi & Numismata percussa ἰαλύσια dicta Hesychius author est) Pausaniæ in Messen. De Prytanibus est Plutarchi testimonium, ὅιον Στρατηγίας Ἀθήνησι, καὶ Πρυτανείας ἐν Ῥόδῳ, καὶ Βοιοταρχίας παρ' ἡμῖν. Ita Alexandrum Prytanin creatum, apud Appianum de bello Civ. Lib. IV. legimus: Apud Polybium in excerptis Legat, cap. 64. memoratur Hegesilochus Prytanis Vir inter spectatissimos: Et cap. 67. Stratocles Prytanis, quæ omnia cum pluribus aliis congessit Meursius de Antiquitatibus Græciæ optime meritus: Adeò ut vix videatur dubium, quin Prytanes sub his nominibus lateant. Idque eò magis, quò apertius in Numismatibus sub imperatoribus cusis, Prytanis dignitas adjicitur. Morellus & Harduinus ea de re videri possunt, Ille in Specimine, Hic in Geographia sub Rhodo. Ad Deos transeo, quorum insignia his in Nummis visuntur. Delphinus Neptunum concernit. Cassis Minervam designat. Caduceus Mercurium innuit. Uva Bacchum in Memoriam vocat. Lyra Apollinem memorat.

Uvam, inquit ARCHÆOPHILUS, utique in Spicilegio Tuo de Hipponia & vino Rhodio explicasti, quorum illa Athenæo, hoc Plinio, Athenæo, aliisque memoratur, & addi potest etiam *Aulites*, quod & ipsum vini Rhodii genus Athenæus memorat. Vinum, respondit DULODORUS, non obstat, imò potius evincit, etiam Bacchi rationem haberi posse. Bacchus enim βοτρυφόρος *uvas ferens* Orpheo vocatur, & Rhodios constat, non tantùm ubertate & præstantiâ vini excelluisse, sed etiam vini datorem Bacchum coluisse. Hesychius Θυωνίδας, ὁ Διόνυσος παρὰ Ῥοδίοις, *Thyonidas*, inquit, *Bacchus apud Rhodios*: Et Strabo de Rhodo: Πολλοῖς ἀναθήμασιν ἐκοσμήθη, ἃ κεῖται τὰ μὲν πλεῖστα ἐν τῷ Διονυσίῳ καὶ Γυμνασίῳ; *Donariis multis exornata est, quæ pleraque sunt collocata in templo BACCHI & Gymnasio.* Meminit & Lucianus in Amoribus, & Constantinus Porphyrogeneta Lib. I. c. 14. quæ loca studio brevitatis prætereo, non minus ac Dionysia, festum apud Rhodios agitari solitum, cujus meminit Diodorus Siculus Lib. XX. Sed ex ordine incendendum. Rami sub Rosa primi Numismatis Lauri videntur, coinciduntque cum Cithara ejus, quod Αρτέμων inscriptum est. Utrôque scilicet Apollinis honor celebratur, qui duplici cognomine, *Telchinii* scilicet & *Erythibii*, apud Rhodios colebatur: Illius Diodorus meminit, aitque à Telchinibus apud Lindios dedicatum: Hujus Strabo Lib. XIII. Ῥόδιοι Ἐρυθιβίου Ἀπόλλωνος ἔχουσιν ἐν τῇ χώρᾳ ἱερόν. *Rhodii in sua Regione habent Erythibii Apollinis templum.*

De Apolline, inquit ARCHÆOPHILUS, facilè crediderim, cùm is cum Sole vulgò idem credatur, sed de Neptuno an assentiar, nescio; Piscis enim secundi Numismatis potiùs ad amorem Piscium videtur referri debere, de quo Ælianus Lib. I. cap. 28. ἐν Ῥόδῳ Φασὶ, τὸν μὲν εἰς τοὺς ἰχθῦς ὁρῶντα καὶ θαυμάζοντα αὐτοὺς, καὶ ὄντα τῶν ἄλλων ὀψοφαγίστατον, ἀλλὰ τοῦτον γε ὡς ἐλευθέριον ὑπὸ τῶν δημοτῶν ἐπαινεῖσθαι, τὸν γε μὲν ὦ τὰ κρέα ἀποπνέοντα ὡς φορτικὸν καὶ γάστριν διαβάλλουσι Ῥόδιοι. *In Rhodo, ajunt, si quis Pisces intueatur, eorumque admiratione ducatur, sitque supra omnes alios Piscium amans, eum populares quasi liberalem commendant, quibus verò magis arridet carnium ejus, ii agrestes & ventres calumniæ causâ apud Rhodios audiunt.* Quid ad hæc respondes, DULODORE? Id quod

Numiſma ſuppeditat, inquit ille. Non tantùm Piſcis in eo occurrit, ſed in ſpecie Delphinus, qui Neptuno ſacer eſt. Indè certè, licet amorem Piſcium apud Rhodios non excludam, tamen indubiè ſequitur, potiore me jure ad Neptunum reſpicere, niſi ſimul & Inſulæ ſitum, potentiamque navalem recorderis, quorum ille per ſe patet, hæc autem non tantùm ex hiſtoria Romana diſcitur, in bellis contra Philippum Macedonem, & Hannibalem ſub Antiocho; ſed etiam ex Strabone, qui Rhodios Θαλαττοκρατοῦντας *Maris imperium tenentes* appellat, additque, *jam ante Olympiorum inſtitutionem permultis annis procul à Patria eos claſſem eduxiſſe, hominumque ſervandorum causâ usque ad Hiſpaniam navigaſſe.* De Neptuno duplex ratio eſſe poteſt: Vel origo nominis, vel Dei cultus. Rhodum à Rhodo Neptuni filia quibusdam denominari, jam ſuprà ex Herophilo & Diodoro ipſe notaſti. De cultu teſtatur Neptunus Aſphalius, cui Templum Rhodios inter Theram & Therasiam, ubi flamma eruperat, inſulamque XII. ſtadiorum ambitu effecerat, poſuiſſe Strabo memorat: Teſtatur templum à Cadmo in ipſa Rhodo ædificatum, de quo videri poteſt Diodorus Lib. V. pag. 227.

Sed quid Caſſis, quæ in nummo tertio viſitur? inſit ARCHÆOPHILUS. Minervæ indicium eſt, inquit DULODORUS, & commodè ſuccurrit fabula non de Minerva tantùm, ſed & de Jove, cujus infra memoria ſubibit, teſtatura. Pindarus ejus Author eſt. *Jovem*, canit, *cùm Minervam pareret, aureis imbribus Rhodum irrigâſſe: Solem autem, quòd in ſatu eſſet, Deam eorum in civitate ſedem ſigere, qui primi ei ſacrificaſſent, Rhodiis præcepiſſe, ut aram primi conderent. Paruiſſe Rhodios præcepto, ſed in arcem properantes ignem oblitos, & ita ab Athenienſibus quidem victos eſſe, à Minerva autem omnem artem accepiſſe.* Hæc Pindarus Ol. Od. VII. Diodorus Siculus & ipſe rei memor, addit: *Danaum cum Lindum appuliſſet ex Ægypto, exſtructô Minervæ templô, Statuam Deæ ingentem dicaſſe.* Et paulò poſt; *Cadmum Minervam Lindiam muneribus ornâſſe.* Minervæ Lindiæ meminit & Strabo Lib. XIV. Meminit & Herodotus Lib. II. & Plinius Lib. XIX. ubi etiam Amaſin Minervæ, quæ Lindi eſt, ſimulacra duo lapidea, & Thoracem lineum, cujus filia ſingula trecentis ſexaginta quinque filis conſtiterint, donaſſe referunt.

ARCHÆOPHILUS, his attentè conſideratis, de Minerva, inquit, dubium non eſt. Dubium non eſt, Minervam Galeâ exornari ſolere: Pro Minerva autem Galeam poſitam, neſcio an alibi oſtendere poſſis. Quidni? reſpondit DULODORUS. Nonne Tibi in mentem venit mos Romanus, qui cum Diis Sellas poneret, Jovis ſellam Fulmine, ſellam Minervæ Galeâ onerârunt? Numiſmata Domitiani rem in aprico ponunt; Si tamen in Minerva ſubſiſtere Tibi grave eſt, poteris ad Cares reſpicere, quos Rhodum ejectis Phœnicibus incoluiſſe, Conon tradit. Quicquid agas, mihi ratio conſtabit; Cares enim Galeis criſtas addidiſſe, jam ſuprà ad Numiſma Hecatomni monui.

Vaſculum, quod in Numiſmate AETIΩN inſcripto viſitur, jam in Faſciculis meis dixi, ollulam ex eorum genere videri, quas *Rhodiacas* dictas, & ex Myrrha, odorati junci flore, croco, balſamo, cinnamomo ſimul coctis fieri, ebrietatemq; & Venerem arcere & exſtinguere, ex Ariſtotele Athenæus docet. Locum illic potuli. Hîc quod de ebrietate dicit, confirmare obſervo Dionis Chryſoſtomi effatum, Oratione altera ad Alexandrinos, ubi Rhodios Εὐωχίαν, οὐ παροινίαν affectâſſe ſcribit: Unde & Athenæus ollulas ejusmodi voluptatis causâ in convivia inferri ait, quòd calefactô vinô, ut bibentes minus inebrientur, faciant. De Ollula Rhodiaca, regeſſit ARCHÆOPHILVS, res ſpecioſa eſt. Dubitari tamen poteſt, annon poculum ſit. Ῥοδιακὸν enim ποτηρίου καὶ ἐκπώματος εἶδος apud Heſychium legitur. Addere potes & *Bombylium*, ait DULODORUS, apud Caſau-

Casaubonum in fragmento Athenæi, apud quem etiam Ῥόδιας habetur. Ego quodvis facile credidero, modo de forma certi quid adferre possis. Id donec fiat, uterque nostrûm suâ opinione fruatur. Ad alia pergendum arbitror. Utique adhuc de Caduceo dicendum, reposuit ARCHÆOPHILUS. Id scio, respondit DULODORUS, sed exstat is etiam in sequentibus, in quibus præter hactenus dicta, se considerandos objiciunt

RHODIORUM
JUPITER ATABYRIUS, MERCURIUS ΕΠΙΠΟΛΑΙΟΣ
ET
TERRA SERPENTIFERA.



MErcurium, cujus insigne caduceus est, cognomento Επιπολιαῖον in Rhodo cultum, Hesychii testimoniô constat. Επιπολιαῖος, inquit, Ερμῆς ἐν Ῥόδῳ ὡς Γόργων ἱστορεῖ, *Epipolæus Mercurius Rhodi, ut refert Gorgon.* De Serpentibus est Diodori locus. Τῆς Ῥοδίας γῆς ἀνείσης ὄφεις ὑπερμεγέθεις, συνέβη πολλοὺς τῶν ἐγχωρίων ὑπὸ τῶν ὄφεων διαφθαρῆναι. *Cum terra Rhodiorum,* inquit, *ingentes SERPENTES produceret, accidit, ut incolarum plurimi ab iis interficerentur.* Ita & Hyginus Poët. Astr. de Ophiucho: *Polyzetus Rhodius,* inquit, *hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximè fuisse demonstratur. Nam cum eorum Insulam SERPENTIUM multitudo occupatam Cives OPHIUSAM appellâssent, & in ea multitudine ferarum, Draco fuisset ingenti magnitudine, qui plurimos eorum interfecisset, dicitur Phorbas Triopæ filius eò tempestate delatus, omnes feras & eum Draconem interfecisse.* Ex hoc loco non tantùm de Serpentibus discimus, sed etiam Rhodum ab iisdem nomen *Ophiusam* habuisse. Nomen hoc non obtinuisse, adjecit ARCHÆOPHILUS, nihil mirum, cùm ex eodem constet, Phœnicium Phorbanta Insulam à Serpentibus purgasse. At non desiisse Dracones, respondit DULODORUS, documento esse potest is, quem hac ipsa in Insula Anno 1345. Deodatus de Gozon mirâ dexteritate interfecit. Monstrum horrendum, ingens, & formidabile visu, cujus Cel. Kirchero teste, qui in mundo subterraneo Lib. VIII. Sect. IV. integram historiam exhibet, Corpus magni equi aut bovis crassitiem habebat: Collum longum & asperum in serpentis caput desinebat: Auribus constabat ad similitudinem muli sat prælongis: Os horrendo rictu, acutissimis dentibus instruebatur: Oculos prægrandes habebat, præfulgidos & veluti ignem spirantes: Quaternis pedibus acutissimis in morem Ursi ungvibus instructis incedebat: Quoad caudam & reliqua membra crocodilo prorsus simile: Totum corpus durissima squamarum intricatim dispositarum incrustaturâ armatum muniebatur: Duabus alis cartilagineis lateribus protensis instruebatur. Sic fuit etiam post Phorbanta Draconum in Rhodo proventus! Fuisse & Phorbanti similem qui tolleret, id & Insulæ fuit saluti, & Nobilissimo Militum Rhodiensium Ordini Gloriæ!

De

De Jove dicendum, inquit ARCHÆOPHILUS. Ejus Aquilam video, cùm tamen Aquilas in Rhodo non fuiſſe, ſuprà docueris. Non fuere, niſi à Jove miſſi, reſpondit DULODORUS. Talis certè Tiberio, in Rhodo agenti, Imperii omen fuit, uti ex Suetonio c. 14. & Anthol. L. I. c. 60. docemur. Jovem ſcil. cujus armiger Aquila fuit, in Rhodo cultum, ex Heſychio conſtat; Ἔνδενδρος, inquit, παρὰ Ῥοδίοις ζεύς. Et alibi: Ἐριδήμιος ζεὺς ἐν Ῥόδῳ; & tandem Παιὰν. ζεὺς τιμᾶται ἐν Ῥόδῳ. Quibus ex verbis triplex in Rhodo Jovis Epitheton eluceſcit, *Endendri*, *Eridemii*, & *Pæanis*. Non hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed *Atabyrii* Te memorâſſe memini. Id celeberrimum fuit, reſpondit DULODORUS, ab Atabyro Rhodi monte deductum, ubi Jovis fanum fuit. Audiatur Strabo Lib. XIV. ubi de Rhodo agit. Ἔιθ' ὁ Ατάβυρις τῶν ἐνταῦθα ὑψηλότατον, ἐν ᾧ Ἱερὸν Διὸς Ατα βυρίου. *Inde Atabyris*, inquit, *mons iſtorum ſanè locorum altiſſimus, & in eo templum JOVIS ATABYRII.* Diodorus Siculus L. V. ἐπὶ δ' ὄρους Ατα βύρου, Διὸς Ἱερὸν Ἱδρύσατο τοῦ προσαγορευμένου Ατα βυρίου. *In monte Atabyrio JOVIS templum exſtructum eſt, cognomine ATABYRII.* Et Stephanus Ατάβυρος ὄρος Ῥόδου ἐξ οὗ καὶ Ατα βύριος ζεύς. *Atabyron mons Rhodi, à quo & ATABYRIUS JUPITER.* Ut taceam Pindarum, qui in Oda VII. Olymp. Diagoræ Rhodio ſacra, ita Jovem alloquitur:

Ὦ Ζεῦ πάτερ νῶ-
τοισιν Ατα βυρίου
μεδέων.

*O Jupiter pater, dor-
ſis Atabyrii dominans.*

Illud hîc præteriri non debet, quod Pindari Scholiaſtes nos docet, & totidem verbis Demetrius Triclinius ad eundem locum, & Tzetzes Chil. IV. c. 138. fuiſſe ſcil. in hoc Jovis templo æreas Vaccas, quæ, imminente aliquo malo, credebantur mugire. Fabula id fuerit nec ne, ſimiliter unde opinio orta ſit, nunc non attinet dicere. De Jove conſtat, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, at ſequentibus ex Numiſmatibus etiam

SERAPIS
RHODIIS CULTUS

Videtur. De Serapide, reſpondit DULODORUS, Iſis teſtari poterit, cujus fanum Rhodi fuiſſe, apud Appianum legimus: Teſtari poterit Sol ipſe, cum Sole enim eundem fuiſſe creditum, inter Gemmas dictum eſt. Taceo Rhodiorum potentiam, quâ Pharum Inſulam ante ipſam Alexandriam, usque ad Cleopatræ tempora vectigalem habuit, uti Ammianus Marcellinus author eſt: Taceo Rhodiorum humanitatem, quæ Ariſtide in Rhodiaca memorante, inter alios portus, etiam habuerunt, quibus ex Ægypto, Cypro & Phœnice advenas exciperent; Ex quibus utique conſtat, Serapidem, cujus cultus alioquin per totam Græciam diſperſus fuit, in Numiſmatibus Rhodiorum adeò mirandum non eſſe. In Mare Ægæum aſcendimus, juxta Cariam occurrunt

COI

AESCULAPIUM, DIANAM ET HERCULEM ADORANTES.

DE Æſculapio res nota eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Tantâ veneratione hunc Deum Coos proſecutos eſſe, ut & delubrum ejus antiquitùs Aſylum conſtituerint, ex Tacito demonſtrat Nonnius, & clariſſimè id video in Numiſmate primo, in quo hinc Æſculapius, illinc Æſculapii inſigne Serpens, bacillo circumvolutus, ΚΩΙΩΝ ΚΛΕΟΣ *Coorum Gloria* inſcribitur. Ita olim arbitrabar, excepit DULODORUS; Nunc autem, Nummum penitius contemplatus, non ΚΛΕΟΣ, ſed ΚΛΕΩΝ legendum deprehendo, id quod nomen alicujus Ἄρχοντος credideris, non minus ac in Numiſmate tertio ΑΡΙΣΤΑΙΣ, & in quarto ΣΥΚΙΠΠΟΥ, pluribusque aliis apud Goltzium alia. ΚΛΕΩΝ nomen Græcum eſſe, ex Nummis Sardianorum conſtat, & Archontes hanc Inſulam habuiſſe, ex ſequenti Inſcriptione apud Sponium patet:



Α ΒΟΥΛΑ ΚΑΙ ΔΑΜΟΣ
ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ
ΚΩΙΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΤΕΙ-
ΜΑΣΕΝ ΚΑΤΑ ΤΩ ΠΟ-
ΛΕΙ ΕΙΩΘΕΝΤΑ ΑΡΧΟΝ-
ΤΟΣ ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΡ. ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ.

&c.

Ad Æſculapium, perrexit ARCHÆOPHILUS, Hippocrates Cous in memoriam venit, quem ab Æſculapio genus memoraſti traxiſſe. Sed quis rei Author? aut unde aſſertum firmaveris? Ex Stephano, inquit DULODORUS: Ἦν δὲ Ἱπποκράτης τῶν καλουμένων Νεβριδῶν. Νεβρὸς γὰρ ἐγένετο ὁ διασημότατος τῶν Ασκληπιαδῶν, ᾧ καὶ ἡ Πυθία ἐμαρτύρησεν; οὗ Γνωσίδικος. Γνωσιδίκου Ἱπποκράτης καὶ Αἰνειος καὶ Ποδαλύριος. Ἱπποκράτης, Ἡρακλείδης. Ὁ δ' Ἱπποκράτης ὁ ἐπιφανέστατος, ὁ καὶ θαυμασίας συντάξεις καταλελοιπώς. *Erat Hippocrates ex eorum genere, qui Nebridæ vocabantur; Nebris enim fuit Aſclepiadum celeberrimus, cui etiam Pythia teſtata eſt. Cujus filius Gnoſidicus, Gnoſidici Hippocrates, & Æneus, & Podalirius. Hippocratis filius fuit Heraclides, Heraclidis filius fuit Illuſtriſſimus Hippocrates, qui*

 admi-

admirabiles reliquit compositiones. Sed hæc ad Æsculapium. In Numismate tertio & quarto memoria Herculis prostat. Herculem Eurypilo interfecto Coum occupâsse, ex Apollodoro docemur. Ab Hercule Coos se oriundos jactâsse, ex Oratione Thessali, Hippii filii, ad Athenienses probat Nonnius. Coos Herculem Alexin coluisse, ex Aristide liquet. Κῶοι καὶ Ἄλεξιν τὸν Ἡρακλέα νομίζουσι, καὶ αὐτοῖς ἔστηκεν Ἡρακλῆς ἐκ θεοπροπίου ἐπηρμένους τῷ Νώτῳ τὸ ῥόπαλον ὡς Κύριος ὤν, καὶ τὸν οὐρανὸν ὡς συμμετρίας ἄγειν. *Coi Herculem Alexin vocant, & iisdem etiam Herculis statua ex oracvlo stat erecta, Clavam super humeros ut Domini, & Cœlum ut Symmetriæ præfecti, ferentis.* Clava, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in his Nummis visitur, non humeris imposita, sed infra Cancrum, idque, Te quidem authore ideò, quòd Hercules, cùm contra Hydram Lernæam depugnaret, Cancrum ex palude pedem ejus mordicùs arripientem, Hygino teste, interfecerit; Quid autem, si Harduini sententiam præferam, qui Cancrum in Insularum Nummis frequentem arbitratur? Id si præferas, respondit DULODORUS, poterit ut sub Cancro maritimus situs, ita sub Clava dominium latere, idque ad mentem Coorum, in allegato ex Aristide Herculis simulacro

Sed an Coos, inquit ARCHÆOPHILUS, Insula tam exigua, maris imperium obtinuerit? Si non Coi ipsi, respondit DULODORUS, tamen Macedones, ut reliquarum Insularum, ita & Coorum Domini id obtinuere. Certè ut ad Macedones hæc Numismata respicere arbitreris, non caput imberbe tantùm, quod vel Alexandri vel Cassandri esse Nonnius arbitratur, sed & parallelogrammum indicare potest, quod ut diximus ad Numisma Archelai, Macedoniæ symbolum fuit: Adeò ut eleganter Coorum Insulam Dominio Macedonum subjectam sub Cancro parallelogrammo incluso hîc agnoscas. Sed hæc utcunque placuerint, mihi perinde erit. Secundum Numisma obscuritate non exiguâ laborat; neque enim de Dianæ cultu, neque de Aprorum in hac Insula venatione testimonia prostant, eaque causa est, cur Nonnius similia, quæ Goltzius exhibet, sponte præterierit. At non Cervos tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, sed & Apros Dianæ prædas esse, ex Callimacho constat, quo canente Juno ridere dicitur,

Ταῦρος ὅτ' ἐκ δίφροιο (Ἀρτεμίδος) μάλα μέγαν, ἢ ὅτε χλούνην
Κάπρον ὀπισθιδίοιο φέροι (Ἡρακλῆς) ποδὸς ἀσπειρόντα.
Taurum si quando è curru (Dianæ) *prægrandem, aut quando Aprum Sylvestrem proferat,* (Hercules) *posteriore pede palpitantem.*

De Diana Apros venante dubium non est, respondit DULODORUS, at de Diana apud Coos culta, nescio quis testetur. Demoxenus apud Athenæum, inquit ARCHÆOPHILUS, Coon Insulam Deorum patriam facit.

Νεανίας τὶς ἐσφαίριζεν ὢν ἐτῶν
Ἴσως ἑπταλάνδεκα
Κῶος; Θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ Νῆσος φέρειν.
Juvenis quispiam ludebat pila annorum
Fortè septendecim
Cous: Videtur ferre Deos hæc Insula.

Si Deos tulit hæc Insula, quidni & Dianam? Subrisit DULODORUS, & non de Cœlestibus, inquit, sed de terrestribus Diis, Viris fortibus scil. Poëtam intelligendum, jam dudum Casaubonus monuit. Ad Dianam tutius Venationes adduxerim, quas in Coo Insula frequentes fuisse, si non ex Authoribus, tamen ex altera Inscriptione adstruxerim, quam & ipsam in Coo exstantem Cel. Spònius ex J. Gallandii schedis protulit:

ΦΑΜΙ-

ΦΑΜΙΛΙΑ ΜΟΝΟ- ΜΑΧΩΝ ΚΑΙ ΥΠΟ- ΜΝΗΜΑ ΚΥΝΗΓΕ- ΣΙΩΝ. &c.	*Familia Mono-* *machorum & monu-* *mentum Cynege-* *siorum.* &c.

Quid hoc ad Venationes? inquit ARCHÆOPHILUS. Multum, inquit DULODORUS. ΚΥΝΗΓΗΣΙΟΙ, enim ἀπὸ τοῦ Κυνηγεῖν à *Venando* videntur dicti, nec alii fuisse, quàm *Venatores*, uti Μονόμαχοι *pugiles*. Succedit

CHIUS
HOMERI DOMICILIO SUPERBA.



Homerus hoc in Numismate sedet. Columnæ insistentem Delphis fuisse, memorat Pausanias in Phocicis. Sedet & Iliada relegit, planè contra se ipsum, quando in Hymno Apollinis canit:

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.
Cæcus Vir, habitat autem Chium saxosam.

De Cœcitate, excepit ARCHÆOPHILUS, constat vel Paterculo judice, cœcum non esse genitum, sed vel oculorum morbo debilitatum, à quo, operâ Mentoris Ithacensis, restitutus fuerit, vel fabulam ex nomine ortam. Ita & illud cesserim, Homerum in Chio habitâsse; Chio autem oriundum, nescio an firma ratione evincere possis. Homeridas diu post Homerum in Chio floruisse, debilis ratio est, cùm ne ipsum quidem Patriæ suæ certum fuisse, ex responso Oraculi pateat, quod de ea quærenti datum, apud Pausaniam legimus. Septem Urbes, inquit DULODORUS,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

De Homeri Nativitate certârunt. Inter eas tamen, in vindicanda ea gloriâ, non exigua fuit Chiorum ambitio. Id non tantùm ex allatis patet, sed etiam ex Theocrito, cui Idyll. XXII. circa fin. Χῖος ἀοιδὸς, *Chius Vates* audit. Id fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, nam juxta in mentem venit Cœlius Rhodiginus, qui non tantùm Chios Homerum signâsse, sed & ipso Homeri nomine Numisma insigniviſse, ex Strabone observat. Ex Strabone? subjecit DULODORUS; atqui Strabo id de Smyrnæis, non de Chiis memorat. De Chiis testatur Julius Pollux L. IX. c. 6. Χῖοι Ὅμηρον τῷ νομίσματι ἐγχάραττον; Ita & Χῖον pro Nummi specie apud Thucydidem legas. Sed hæc utique clara sunt. Ad effigiem Homeri monendum, propositam, licet exiguo ex monumento, omninò tamen congruere cum ea, quam edidit, & ex antiquis monumentis adstruxit Nobil. Perret ad Tabulam Iliacam, proindeque de ea, quam Ursinus protulit, meritò dubitari. Aversa Numismatis nostri Sphingem exhibet cum Lyra, non aliâ ratione, quàm quòd symbolum hæc esset ægnimaticæ scientiæ, cujus Homerum Patrem fuisse, nemo est, qui non fateatur.

Scio id Jacobi de Wilde placitum esse, inquit ARCHÆOPHILUS. Scio

Per-Illuſt. SPANHEMIUM etiam ad fortitudinem & Induſtriam, imò & Oraculis allegoriisque involutam Sapientiam Sphingem referre, idque non tantùm ob Homerum, ſed etiam, quòd Chii in univerſum iis celebres olim fuerint; Sed & ſcio Triſtani aſſertum, qui Sphingem peculiarem Chiorum notam, doliis aut vaſibus impreſſam ſtatuit, quibus vina Maræotica ab Ægypto delata continebantur. Nonne hæc ratio priore potior fuerit? Nullô modô, reſpondit DULODORUS; Sphinx enim hic non Ægyptiaca eſt, ſed Thebana. Quid igitur, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſi Chios Thebanorum Colonos arbitreris? Id mera conjectura foret, reſpondit DULODORUS; At talis, perrexit ARCHÆOPHILUS, eſt & opinio de Scientiâ ænigmaticâ. Id non dixerim, retorſit DULODORUS, Sphinx enim & apud Thebanos & apud Ægyptios, imò ubique, ænigmatum ſymbolum fuit. De Thebanis teſtatur notiſſima de Sphingis ænigmate fabula: De Ægyptiis eſt Cœlii Rhodigini teſtimonium, Sphingem ante Ægyptiorum templa ænigmaticum Symbolum aſſerentis: Et Hortenſio Oratori Sphingem Verri oblatam cùm haberet, neganti ſe ænigmata intelligere, acutè, reſpondit Tullius, *debere, quia SPHINGEM domi haberet.* Sphingem Thebanam ab Ægyptiaca diſtinguis, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ autem utriusque differentia? Alæ ſunt, reſpondit DULODORUS. De Thebana enim valet illud Auſonii:

Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Alata videlicet erat; at de Ægyptica teſtatur, præter Antiquitatis monumenta, Kircherus, eam alis caruiſſe, & capite ſtolâ velato pingi ſolitam. Reliqua in utraque eadem erant, & obſervari merentur Mammæ & *geminæ* in pectore, qualiter Plinio, & *prominulæ*, qualiter Solino vocantur. Id quidem patet, inquit ARCHÆOPHILUS, at nondum de Lyrâ. Lyra, excepit DULODORUS, Poëticum inſtrumentum eſt, non Orpheo tantùm, ſed & Muſis, imò & ipſi Apollini familiare; Quid igitur mirum, ſi Poëtarum Parenti Homero tribuatur? Mihi ſanè vel hoc unicum evincere videtur, Sphingem hôc locô, non aliâ ratione exprimi, quàm ut Homeri Virtus ſub Sphingis ſimulacro cò notior fieret, Chiorumque Gloria indubio ſimul ænigmate illuſtraretur. Sequenti Numiſmate

CHIORUM
FICTILIA, VINA, ET VINEÆ.

Adumbrantur. In Adverſa præter Sphingem & Amphoram diotam, vides & Uvam. Illa vel figulinorum indicium eſt, quæ, obſervante Nonnio, in Chio fiebant optima: vel moris, quô Chii vina ſua diffudiſſe, & in ſimilibus amphoris ſervâſſe memorantur. Horatius eam in rem:

Quô CHIUM pretiô CADUM mercemur?

Et Athenæus, qui Jonem Chium in legenda Tragœdia Victorem, Athenienſibus viritim κεράμιον Χῖον, *ſictile Chium* memorat donaſſe. De his utique conſtat, regeſſe

gesit ARCHÆOPHILVS. De Vino, quod *Arvisii* cognomine in Chio præstantissimum erat, docet Virgilius Ecl. V. v. 71.

VINA novum fundam Calathis ARVISIA Nectar.

Ita & Plinius L. XII. c. 7. *In summa*, inquit *Gloria, post Homerica illa, de quibus supra diximus, fuêre Thasium & CHIUM. Ex CHIO, quod ARVISIUM vocant.* Et Libro eod. c. 15. *Quid? non & Cæsar Dictator*, inquit, *Triumphi sui cœnâ, Vini Falerni amphoras, CHII CADOS, in convivia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho CHIUM & Falernum dedit. Epulo verò in tertio Consulatu suo Falernum, CHIUM, Lesbium, Mamertinum.* Plura, inquit DULODORUS, eam in rem coacervare posses; commode enim succurrit Horatius, qui Epod. 9.

Capaciores affer huc Puer Scyphos,
Et CHIA VINA, aut Lesbia.

Et Sermon. L. I. sat. 10.

— — Sermo Linguâ concinnus utrâque
Suavior, ut CHIO nota si commista Falerni est.

Ubi ad priorem locum incidit, quod Critias de Republica Laconum meminit, *CHIOS ad dextram MAGNIS CALICIBUS bibere solitos.* Athenæus, cùm plura Vinorum genera attulisset, *ante reliqua*, subjicit, *CHIO gratia est, & præsertim ei, quod vocant ARVISIUM, differentia triplici; quoddam enim austerum est, alterum subdulce, tertium inter illa sapore medium, αὐτόκρατον vocant. Austerum Palato arridet, multum alimenti præbet, cum urina magis expellitur. Quod subdulce est, largius nutrit, plenitudinem corporis efficit, alvum mollit, Autocratou usu facultateque medium est. At in communi CHIUM ad concoctionem valet, copiosè nutrit, sanguinem optimum generat, blandissimum est, ob insignemque vim suam, pleniorís corporis molem auget.*

Luculenta hæc est Vini Chii panegyris, inquit ARCHÆOPHILUS, nec mirum, si Bacchum coluerint, qui donis ejus per orbem terrarum tam celebres fuêre. Bacchum Omadium, inquit DULODORUS, in Chio cultum, inter Gemmas dictum est, & hic omninò addenda Theopompi relatio apud Athenæum, qui *Chios ab Oenopione, Dionysii filio, omnium primos vitem sevisse*, author est, additque, id *nigrum fuisse, Chiosque eam vitis culturam ac jationem cum reliquis hominibus communicâsse.* Hæc utique appositè ad Numismatis aversam, inquit ARCHÆOPHILUS, modò verum sit, quod Te conficere memini, Vineas nempe eâ præfigurari. Vineas, inquit DULODORUS, nihil dubitem asserere, idque ideò, quòd in Numismatibus Lesbiorum, qui & ipsi vini culturâ inclaruêre, apud Goltzium, similes ferè figuræ occurrant, & paralleli utrinque linearum ductus, vitium Ordines, Lineæ autem extrinsecæ, sepimenta & limites ritè adumbrent, eôdem modô, quô & in Numismatibus Dyrrachiorum & Apolloniatarum hortos Alcinoi adstruimus.

Sed quid Vocabulum ΗΡΙΔΑΝΟΣ? subjecit ARCHÆOPHILUS. Nomen proprium esse, respondit DULODORUS, Magistratûs fortasse alicujus, pronus sum ut credam; Quis autem ille fuerit, mihi nondum constat. Herodotus L. III. c. 115. vocabulum ΗΡΙΔΑΝΟΣ nomen græcum arbitratur, à Poëta aliquo fictum, non Barbarum. Et præter ΗΡΙΔΑΝΟΝ, fluvium Galliæ, memoratur ΗΡΙΔΑΝΟΣ fluvius Atticæ apud Pausaniam. Ulterius progredimur,

TENEDUS
VINDICTAM ADULTERII JACTAVIT, APOLLINEM SMYNTHEUM Et BACCHUM OMADIUM COLUIT.

CAput bifrons, quod cernis, Viri scil. & Mulieris, unô collô impositum, Conjugii & Fidei maritalis simulacrum arbitrabar, idque ideò, quòd & Cecropem, qui primus marem & fœminam matrimoniô conjunxisse legitur; ob hoc factum & ipsum biformem Justino memorari viderim. Nunc sententiam muto, Per-Illustris SPAMHEMII judicio motus, qui non Conjuges, sed omninò Adulteros in Nummo arbitratur expressos.

Si in omnibus Tenediorum Nummis, inquit ARCHÆOPHILUS, caput hoc ex muliebri & virili compositum esset, admitterem placitum; Cùm autem apud Goltzium utrinque fœmineum occurrat, non minus ac Numismatibus Lemniorum, vereor ut ratio subsistat. Apud Goltzium, respondit DULODORUS, caput hoc utrinque quidem imberbe est, fœmineum autem non est; quid enim obstat, ut ibi imberbis adulter, & in proposito barbatus, cum adultera credatur expressus? Aversa sanè de adulteris sumendum clamat; Quid enim securis significet, si non supplicium, quòd Rex aliquis Conjugii violatoribus memoratur tam rigidâ lege irrogâsse, ut ne filio quidem pepercerit. Inde sanè facilè collegeris, caput utrinque imberbe, ad Regium cum adultera juvenem pertinere. Quis rei Author est? regessit ARCHÆOPHILUS. Aristoteles, respondit DULODORUS, idque in Tenediorum Republica, quod opus licet interciderit, verba tamen & apud Stephanum, & apud Suidam prostant, additô: utrique, & adultero & adulteræ, supplicium irrogatum, & eam causam fuisse, ut in Tenediorum Numismate ex una parte securis, ex altera duo capita signarentur ex uno collo prodeuntia.

At nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, adhuc aliæ de Securi opiniones prostant; Tres enim memini ex Bocharto Te protulisse. Bochartus, respondit DULODORVS, ex Suida, Stephano, & Pausania eas hausisse videtur, apud hôs enim non tantùm Lex de adulterorum supplicio legitur, sed & de feriundis, qui in Judicio mendacii convincerentur, quem in finem homo securim tenens à tergo Judicis steterit. Imò & illa ratio adfertur, quòd Tenes, fraude Novercæ Patriâ pulsus, Tenedique imperiô potitus, retinacula navis, quam adveniens, & veniam petiturus Parens ad saxum religârat, irâ commotus securi abscinderit. Hanc rationem si admittas, poteris forte sub capite biformi Tenem ejusque Sororem agnoscere: Pausanias enim non solum Tenem patriâ pulsum, sed cum Sorore in arcam inclusum, & in mare memorat abjectum. De his suum cuique placeat, inquit ARCHÆOPHILUS. Mihi alia adhuc expresse in Tenediorum Numismatibus securis se pandit ratio, non Suida tantùm suggerente, sed & Plutarcho: Cancros scil. in hac Insula securigeros fuisse. Hanc ratio-

rationem, inquit DULODORUS, ad Numiſma nihil pertinere, Per-Illuſt. SPANHEMII judicio conſtat; Hanc enim ſi reſpexiſſent Tenedii, utique non ſecurim, ſed Cancrum ſecurigerum expreſſiſſent. Si hanc rejicias, inquit ARCHÆOPHILUS, forſitan etiam rejeceris ex prioribus aliquas. Priores, reſpondit DULODORUS, neſcio annon omnes concurrere poſſint; Quid enim prohibet, ut Tenes in vindictam injuriarum, à Noverca ſibi illatarum, occaſione ex recilſis paternæ navis retinaculis ſumtâ, ſecurim ſimili modò & contra adulteros & contra injuſtos ſtringendam, credi poſſit fanxiſſe? Quicquid ſit, tanta ſecuris Tenediæ celebritas fuit, ut, Pauſania memorante, & Periclytus Euthymachi filius eam Delphis dedicaverit: Tanta, ut, Suida teſte, ipſi Tenedii duas tanquam ſacra donaria coluerint.

Satis de Securi, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Etiam de Lyra dicendum, quam non minus ac Uvam juxta Securim cernimus. Lyra Apollinis eſt, inquit DULODORUS, indeque non ad hanc tantùm, ſed & ad Numiſma Goltzianum, in quo ipſe præter Securim Apollo viſitur, meritò citaverim Stephanum, quò memorante, Ariſtides, & alii Tenedii dixerunt, Απόλλωνα πέλεκυν κρατεῖν *Apollinem ſecurim habere.* Accedit teſtimonium Homeri, apud quem Il. L. I. ν. 38. Chryſes Sacerdos Apollinem allocutus Τενέδοιο, inquit ἴφι ἀνάσσεις, *Tenedo fortiter imperas*, & Strabonis L. XIII. Τένεδος ἔχει λιμένας δύο καὶ ἱερὸν τοῦ Σμυνθέως Απόλλωνος. *Tenedus habet portus duos & Templum APOLLINIS SMYNTHEI.* Smynthei, excepit ARCHÆOPHILUS; at unde cognomen? A muribus, inquit DULODORUS. Mures enim Cretenſibus, imò & Æolibus, & Trojanis *Smynthos* dictos, Ælianus de Animalibus, & Æſchylus in Siſypho tradunt: Mures autem, cum ob piaculum Crinis Sacerdotis agros vaſtarent, Apollo ſagittis confecit, indeque cognomen obtinuit. Videri ea de re poteſt Lil. Gyraldus, qui plura congeſſit.

Uva adhuc reſtat, perrexit ARCHÆOPHILUS. Quid hæc ad Tenedios? Idem, reſpondit DULODORUS, quod ad reliquas maris mediterranei Inſulas, licet enim apertum ejus rei teſtimonium hactenus non proſtet, Ευβότρυν tamen ſeu πολυβότρυν Tenedum eâ indigitari, non minus ac Peparetum apud Sophoclem, vel Boupraſum, aut Amurum apud Theocritum & Heſiodum, quas ſimilibus elogiis ornant, Per-Illuſtris SPANHEMII ſententia eſt. Addere potes & Bacchum Omadium, quem etiam in Tenedo cultum Euſebius de Præpar. Evang. ex Prophyrio tradit. En verba: ἔθυον καὶ ἐν χίῳ τῷ ὠμαδίῳ Διονύσῳ ἄνθρωπον διασπῶντες καὶ ἐν Τενέδῳ, ὡς φησιν Ευελπις ὁ Καρύστιος. *Sacrificabant in Chio OMADIO BACCHO, hominem diſcerpentes, ut & in TENEDO, uti narrat Evelpis Caryſtius.* Succedit

THASUS
ET BACCHO ET HERCULE NOBILITATA.



HOc eſt Numiſma illud, excepit ARCHÆOPHILUS, quod in Rhapſodâ votivâ explicandum ſumſit Celeberrimus *KIRCHMAJERUS*, Academiæ

demiæ Wittebergenſis Senior, & Profeſſor Publicus? Et quidem, quod Herculem attinet, Tecum ſentit, allegato Herodotò, qui & Tyri templum Herculis, cognomentò Thaſii, & aliud Thaſi ſe vidiſſe memorat, à Phœnicibus conditum, qui ad inveſtigandam Europam navigantes Thaſum condiderint. Quod ad caput adverſæ attinet, in eo Vir à Te Πολυμαθέστατος diſſentit, Alexandro M. caput vindicans, quod Tu Baccho. Scio, reſpondit DULODORUS; Non enim, quæ laudatiſſima Ejus ſinceritas eſt, me clam id fecit, ſed impreſſum exemplar, ut diſſenſum perſpicerem, mihi transmiſit; Imò, cùm aliis occupatus id ſilentio involverem, publicè vulgatâ Epiſtolâ ſummè Reverendo & Excellentiſſimo Præſuli Theologo, Domino *GERHARDO MOLANO*, Lib. Imperial. Cœnob. Lucenſ. Abbati, litis arbitrium detulit, & denuò, ne rei neſcius eſſem, per internuncium mihi copiam tradendam curavit. Sed, quòd hanc loquendi anſam venarer, ne tum quidem reſpondi. Adeonè famæ Tuæ prodigus es? repoſuit ARCHÆOPHILUS. Annon metuis, ne cauſa deſerta videatur, adeòque ſententia Te feriat? Subridens DULODORUS, nondum, inquit, eò calamitatis recidêre Studia noſtra, quo, proh dolor! Juſtitiæ. Hujus ſcitis cauſa vel juſtiſſima poteſt negligi; at nobis nulla præſcriptio, nullum arbitrium defenſionis ſpem adimit. Veritas ſcopus eſt, quam in lucem educere, & a tenebris vindicare, quocunque tempore licet.

Id quidem verum eſt, excepit ARCHÆOPHILUS; contra *KIRCHMAJERUM* autem, Bacchum in Numiſmate aſſerere vereor ut poſſis. Rationibus nititur evidentiſſimis. Teſtimoniis fulcitur omni exceptione majoribus. Diligenter Rapſodiam inſpexi, inquit DULODORUS, ſed nec rationes vidi, nec teſtes. Quid? excepit ARCHÆOPHILUS. Annon Per-Illuſtrem SPANHEMIUM allegat? annon inde veniam diſſensûs à Te ſperat, quòd Spanhemiana placita ſequatur? Illuſtriſſimum Scientiarum hoc ſidus eſt, reſpondit DULODORUS, & ſi arbitriô res decidenda foret, nihil dubitarem in tanti Herois ſententiam concedere; Sed pace *KIRCHMAJERI* dixero, nullibi & nunquam Per-Illuſt. SPANHEMIUS in propoſito Thaſiorum Numiſmate Alexandrum agnovit, imò potius & ipſum pro Baccho ſentire, certius eſt, quàm quod certum. Fuerit Alexander Bacchi æmulus! revinxerit hederâ verticem! inde tamen non ſequitur, eum hoc in Thaſiorum Numiſmate exhiberi; Quid enim hic Alexandrum arguat? *Cornu*, inquit ARCHÆOPHILUS, quod hic *arietinum* eſt, quale Alexander geſtavit, non autem *bubulum* aut *taurinum*, quale Baccho aſſignatur. An hic opinionis cardo eſt? excepit DULODORUS; Hunc ego facilè fregero. An neſcis, etiam Bacchum Ammonis filium creditum, indeque cornu arietino & ipſum fuiſſe inſignitum? audi Diodorum Siculum L. III. Παραδεδόσθαι δὲ τὸν Ἄμμωνα σχεῖν κριοῦ κεφαλὴν τετυπωμένην — διὰ τοῦτο τὸν Διόνυσον, υἱὸν αὐτοῦ γεγονότα, τὴν ὁμοίαν ἔχειν πρόσοψιν, καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις τῶν ἀνθρώπων παραδεδόσθαι τὸν θεὸν τοῦτον γεγονότα κερατίαν. *Ammon ille arietis caput effigiatum habebat — Et hinc factum, ut filius quoque ejus Dionyſius ſimili facie oſtentetur, & poſteri cornutum fuiſſe hunc Deum, pro certo tradant.* Quanquam quid his immoror? Quod cum *KIRCHMAJERO* in Numiſmate cornu arbitraris, propriè cornu non eſt, ſed Cinnus ex capillis in modum cornu contortus. Id non tantùm indè clarum eſt, quòd non ad tempora, qualiter, ut ſupra vidimus, in Alexandro M. ſolet, ſed ad ſinciput viſitur; ſed etiam indè, quòd æquali craſſitudine ad finem usque excurrit. Cornua arietina, quæcunque illa ſint, in apicem, & tantùm non in cuſpidem, paulatim extenuantur; At id, quod in Numiſmate eſt, obtuſum eſt, proboſcidis Elephanti inſtar. Vides ARCHÆOPHILE, quæ *KIRCHMAJERUS* de Cornubus Bacchi attulit,

ad

ad rem nihil facere, multò minus quod de Alexandro Herculem imitante; non enim hoc probandum, sed in propoſito Θασιων Numiſmate Alexandrum M. expreſſum eſſe, quod ut fieri poſſit, valde dubito, cum nec nomen Alexandri, nec vel minimum ejus inſigne appareat, imò potius ſint, quæ Alexandrum hunc apertè negent. Non Coronam Hederaceam in ſubſidium adducam. In ſola Coma eſt, quod Alexandrum excludit; Ecquis enim unquam tam longis capillorum cincinnis Alexandrum conſpicuum dedit, ut etiam religati, tamen ad humerum usque propenderint? Bacchi hoc inſigne eſt, quem & Hedera demonſtrat: Bacchi, quem Nonnus Dionyſ. Ταναπλόκαμον, *longis comarum cincinnis conſpicuum* vocat, quemque eôdem plane modò religatum etiam in aliis Antiquitatum reliquiis cernimus. Conferantur Leonhardi Auguſtini Gemmæ, pag. 92. ſeqq. Conferantur Numiſmata Familiarum Vibiæ n. 6. & 12. Voltejæ n. 3. Petroniæ T. 1. n. 6. & T. 2. n. 3. Calliæ n. 6. Addantur Admiranda Statuariæ p. 56. & ex Goltzio Nummi ΓΥΘΕΑΤΩΝ & ΠΑΓΑΣΑΙΩΝ. Ubique Coma Bacchi eôdem modo religata cernitur. Ubique & Diadema, quod etiam hic apparet.

An Diadema adeſt? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Miror *KIRCHMAJERUM* id non animadverſiſſe, cùm indubitatum hoc pro Alexandro ſuppeditare potuiſſet argumentum. Non arbitror, reſpondit DULODORUS; Quid enim Diadema Alexandrum magis, quàm alium Regem? & quid Regem magis, quam Bacchum demonſtrat? Nonne Bacchus Diadematis inventor? Audi Diodorum L. IV. de Baccho diſſerentem: Πρὸς δὲ τὰς ἐκ τοῦ πλεονάζοντος οἴνου κεφαλαλγίας τοῖς πίνουσι γινομένας διαφερεσθαι λέγουσιν αὐτὸν μίτρᾳ τὴν κεφαλὴν, ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ μιτροφόρον ὀνομάζεσθαι. Ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς μίτρας ὕστερον παρὰ τοῖς βασιλεῦσι καταδειχθῆναι τὸ διάδημα Φασι. *Ad retundendos capitis ex nimio vini potu dolores, mitrâ caput obvelavit, MITRIFERI hinc cognomen adeptus. Quæ & DIADEMATIS poſtea gerendi exemplum Regibus ſubminiſtravit.* Mitra Bachum redimitum ex his agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS, & non Diademate. De nomine his eſt, reſpondit DULODORUS; quod enim in Regibus Diadema fuit, id in Baccho Mitra dicitur. Mitra enim aliud nihil fuit, quàm cingulum, aut Baltheus, id quod vel ex voce μιτροχίτων intelligas, quo is denotatur, qui Mitrâ ſive cingulo tunicam cingit.

Quicquid ſit, perrexit ARCHÆOPHILUS, Cornu tamen, aut quem Tu cinnum vocas, in aliis Bacchi capitibus non occurrit. Id non diceres, reſpondit DULODORUS, ſi Numiſma ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ Tibi in mentem veniret; In eo enim, uti infra videbimus, & etiam apud Goltzium videri poteſt, idem cinnus occurrit, licet paulò aliter tortus. Addi poteſt etiam ex eodem Goltzio Nummus Perinthiorum, ubi hinc Bacchus, inde Hercules viſitur, non minus ac etiam in hoc Thaſiorum. Scilicet ut Perinthus Thraciæ Urbs, ita & Thaſus Thraciæ contermina, id quod ex Stephano liquet, aut Thraciæ Urbs & ipſa, ut Apollodoro placet, Numen Thracicum quid ſi coluerit? An Bacchus Numen Thracicum fuit? excepit ARCHÆOPHILUS. Fuit, inquit DULODORUS? An neſcis Θρήικα *Thracem* dictum in Anthologia à Thracibus? *Edonium* apud Ovidium à populis Thraciæ Edonis, qui ab Edono fratre Mygdonis appellantur, teſte Stephano? Imò & ſecundum quorundam opinionem *Sabazium* à Sabis, & ipſis olim Thraciæ populis? Hæc ut ut ſe habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, Thaſi tamen Bacchum cultum non legimus. Quid inde? reſpondit DULODORUS, an nec cultum eſſe? Minime verò. Multa non leguntur, & tamen facta ſunt. Et quid? Nonne etiam Numiſmata teſtes ſunt, & quidem exceptione omni majores? His addicentibus Thaſios ſolos inter Inſulares Bacchum ſpreviſſe credas, cùm tamen ejus muneribus adeo inclaruerint,

ut & vites inde *Thaſiæ* Virgilio fuerint appellatæ, & *vinum ipſum & generoſum & ſuave fuiſſe*, apud Athenæum legamus? Ut taceam quod Plinius de *duobus vini Thaſii generibus*, & *vite*, *ibi Theriacâ dictâ*, meminit: *Illorum ſcil. alterum ſomnum fugâſſe, alterum conciliâſſe, hanc autem contra Serpentum ictus valuiſſe.* Non hi tantum rem aſſerunt. De duobus vini Thaſii generibus cum Athenæo etiam Ælianus teſtatur, & Thaſium vinum etiam Ariſtophani innotuiſſe, Caſaubonus probat. Et an Thaſii ſoli Bacchum ſpreverint? qui tamen tantum non ſoli Bacchum cognatione contigerunt? Thaſus enim à Thaſo & appellata eſt & condita: Thaſus autem Agenoris, qui Bacchi atavus memoratur, ſecundum Apollodorum frater, ſecundum Pauſaniam autem filius fuit. An ſoli Bacchum ſpreverint, ſobolem Thebanam, qui licet Herculem Tyrium colerent, tamen ex quo ſe Græcis adjunxerunt, Pauſania teſte, etiam Amphytruonis filio honores habuére? Sed piget plura adducere; Neque enim ſolus ego Bacchum hoc in Nummo agnoſco. Id fecit jam ante me Ludovicus Nonnius, & nuper adhuc Rev. Harduinus, qui & Bacchum ipſum Vinum Thaſium laudantem ex Athenæo adducit; En verba!

Καὶ Θάσιον τῷ δὴ μήλων ἐπιδέδρομεν ὀδμή.
Τοῦτον ἐγὼ κρίνω πολὺ πάντων εἶναι ἄριστον
Τῶν ἄλλων οἴνων.
Tum Thaſium, mali quod ſpirat odorem
Arbitror hoc equidem cunctis præcellere vinis.

Thraciâ relictâ in Græciam deſcendentibus occurrit

EUBOEA
A BOVE DENOMINATA.



EUbœam à Bove denominatam, Heſiodus teſte Stephano author eſt, idque in Libro de Jûs raptu, quem licet deperditum, *Æginium* dictum, ex Athenæo obſervant. Verba hæc ſunt:

— — Νήσῳ ἐκ Αβαντίδι δίῃ
Τὴν πρὶν Αβαντίδα Κίκλησκον θεοῖ αἰὲν ἐόντες,
Τὴν τότ' ἐπώνυμον Εὐβοιαν Βοὸς ὠνόμασεν Ζεὺς.
— — *Inſula in Abantide divina,*
Quam prius Abantidem vocabant Dii ſemper exiſtentes,
Hanc nunc Eubœam, à nomine Bovis, vocavit Jupiter.

Si hunc audias, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, procul dubio ad Jô reſpexeris; Strabo autem ab *Eubœa Heroina* nomen deducere mavult. Imo, ſubjecit DULODORUS, Strabo & ipſe: τάχα δ' ὥσπερ Βοὸς αὐλὴ λέγεταί τι ἄντρον ἐν τῇ πρὸς Αἰγαῖον τετραμμένῃ παραλίᾳ, ὅπου τὴν Ἰὼ τεκεῖν Φασὶν Ἔπαφον, καὶ ἡ νῆσος ἀπὸ τῆς αὐτῆς αἰτίας ἔσχε τοῦτο τοὔνομα. *Fortaſſis*, inquit, *ſicut antrum quoddam in ora mari Ægeo obverſa BOVIS AULA dicitur, ubi Jo Epaphum enixa dicitur, ita hinc*

Inſula

Insula quoque Eubœa fuit nuncupata: Quanquam, ut quod sentio fatear, potiùs à Boum bonitate, & frequentia dicta credi debeat, id quod & nominis Etymon arguit, & Numismata firmant. Non in his tantum caput Bovis cernimus, sed & Boves à Carystius & Eretriensibus dedicatos, apud Pausaniam leginus. De Eretriensibus videbimus ad eorum Numismata. De Carystius ejus verba: Καρύστιοι δὲ Εὐβοεῖς βοῦν καὶ οὗτοι Χαλκοῦν παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἔστησαν. *Carystii ex Eubœa BOVEM & ipsi æneum Apollini statuerunt.*

Hæc ritè se habent, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam juxta & ad Bœotiam respicere possis. Bœotia & ipsa à Bobus dicebatur, & Bœotiæ Eubœam olim adhæsisse, ex Plinio discimus. Hanc rationem, respondit DULODORUS, nec evertam, nec firmabo; Licet enim Bœotiam a Bobus dictam probari fortassè possit, tamen Bovis symbolo eam in Nummis usam, non apparet; Potius notandum, Pausaniæ locum ab Harduino non satis ex vero de Apolline Marmorino intelligi; Licet enim hic non minus ac Selinuntius Eubœæ cultus fuerit, Pausanias tamen non de his, sed de Delphico loquitur. Quicquid sit, Marmarini tamen & Selinuntii mentio ad Numismata incongrua non est, cum in iis caput Apollinis adeò obscenum non sit. Straboms verba se sistunt: Κάρυστος δὲ ἐστιν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ. Πλησίον δὲ τὰ Στύρα καὶ τὸ Μαρμάριον ἐν ᾧ τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων λίθων, ἱερὸν ἔχον Ἀπόλλωνος Μαρμαρίνου. *Carystus sub monte Ocha sita est. In propinquo Styra & Marmarium, ubi Carystiæ excinduntur columnæ, & templum ibi MARMORINI APOLLINIS.* Et paulò ante: Μαντεῖον ἦν ψευδέστατον. ἦν δὲ Μαντεῖον καὶ τοῦ Σελινουντίου Ἀπόλλωνος. *Oraculum erat veracissimum. Erat & Oraculum APOLLINIS SELINONTII.* Non Apollinis tantùm caput video, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & muliebre est, an Arethusæ, cujus fontem in Eubœa fuisse, Te ex eodem Strabone observare memini? Capitis hujus ornatus, respondit DULODORUS, in quibusdam cum eo incidens, quod in Syracusanorum Nummis piscibus circumdatum visitur, tale quid suadere poterit: Si autem conjectura minus placet, me non invito ad Eubœam Heroinam caput hoc retuleris, à qua Insulæ nomen quosdam deducere, suprà monuisti. Sed ad Urbes descendimus,

ISTIÆA
ΠΟΛΥΣΤΑΦΥΛΟΣ, ET A NAVALI POTENTIA DENOMINATA,



Eleganti Numismate adumbratur. Caput muliebre vides Pampinis coronatum: Vides Fœminam cum velo navi insidentem. Utrique lucem ex Homero affudi, qui, Istiæam inter eas Urbes memorans, quarum naves ad expeditionem Trojanam convenére, πολυστάφυλον vocat:

Οἱ δ' Εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες Ἄβαντες,
Χαλκίδα τ', Ἐρέτριάν τε, πολυστάφυλον θ' Ἱστίαιαν.
Qui autem Eubœam habitabant robora ſpirantes Abantes
Chalcidaque, Eretriamque, ABUNDANTEMQUE UVIS ISTIÆAM.

Hæc Te notare memini, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & ſecundam Iſtiæenſium fortunam ſub muliere cum Nonnio intelligere, quòd Potentia ſine fortuna fragilis, ne dicam nulla ſit. Ita tunc, reſpondit DULODORUS. Nunc & Harduini ſententiam adducere placet, qui Iſtiæam à *velo* appellatam, adeoque appellationis etymon in velo Numiſmatis expreſſam obſervat. Ἱστεὸν *velum Navis* ſignificare, obſcurum non eſt. Succedunt

CHALCIDENSES
BELLICOSISSIMA GENS.



NUmiſma hoc elegantiſſimum ſanè & rariſſimum, caput muliebre in adverſa, in averſa autem, præter Aquilam cum Serpente pugnantem, Tropæum exhibet. Aquilam cum ſerpente pugnantem etiam in Nummis Amyntæ Regis Macedonum à Pydnenſibus percuſſum, apud Jac. de Wilde videas. Urbis id, Regisve ſymbolum & inſigne, vel etiam prodigium quoddam Regi oblatum is arbitratur, eò quòd in Theſſalia Serpentum copia fuerit, tradentibus Solino & Luciano, & Arius Lacedæmoniorum Rex apud Joſephum Aquilæ Anguem retinentis ſymbolo, literas memoretur ſignaſſe. De prodigio Ciceronem citat de Divin. prodigium Marii decantantem:

Hic Jovis Altiſoni ſubitò pennata ſatelles,
Arboris è trunco ſerpentis ſaucia morſu
Subigit, ipſa feris transfigens unguibus Anguem
Semianimum, & variâ graviter cervice micantem,
Quem ſe intorquentem lanians roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animos, jam duros ulta dolores
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda.

Imò & Claudianum de Bello Gildonico v. 476. de prodigio Honorii:

Omina conveniunt dicto, fulvusque Tonantis
Armiger ad liquidam cunctis ſpectantibus æthram
Correptum pedibus curvis innexus hydrum.
Dumque reluctantem morſu partitur, adunco
Hæſit in ungue caput; truncatus decidit Anguis.

Sed longiorem ſe fore ipſe Jacobus de Wilde veretur, ideoque quod ad figuras attinet, ad Auguſt. part. II. imag. 197. Jacobi Boiſſardi Topogr. Rom. & Parutæ Siciliam: quod Aquilæ & Serpentis inimicitias concernit, ad Plinium Lib. II. c. 39. Homerum 12. Il. Horatium L. IV. Od. 4. Virgil. Æn. XI. v. 751. Ovid. IV. Met. 713. Silium L. XII. B. Pun. Nicandrum in Theriacis, imò & B. Ambroſium L. de Salomone c. 4. Lectorem ablegat.

Plura

Plura in hunc ſenſum adduci poſſent, inquit ARCHÆOPHILUS; memini enim & apud Ariſtotelem, & apud Ælianum, & apud Nonnum in Dionyſ. de Aquilarum cum Serpentibus inimicitia me legiſſe, ſed illud doceri cupiam, quid in Chalcidenſium Nummis exhibeantur? An, ut de Wilde ait, quòd Urbis ſymbolum fuerint? an quòd prodigium ei obvenerint? Si authoritas accederet, reſpondit DULODORUS, id lubentiſſimè ſtatuerem; Cùm deſit, in fortitudine Gentis, cujus & Tropæum inſigne eſt, ſubſiſtere tutius arbitror. Si enim in prodigiis Aquila Serpentem ſubigens, & Mario apud Ciceronem, & Honorio apud Claudianum, & Baccho apud Nonnum L. ΛΗ. ℣. 26. & 66. Victoriam contra hoſtem ſignificaverit, quidni ſignificet idem in Numiſmate Chalcidenſium, cùm tamen Tropæum affictum rem indubiè demonſtret? Fortitudo Gentis neminem dubitare ſinit. De Eubœenſibus univerſis Strabonis teſtimonium eſt. Οἱ δ' Εὐβοεῖς ἀγαθοὶ ὑπῆρξαν πρὸς μάχην τὴν σταδίαν ἢ καὶ συστάδην λέγεται καὶ ἐκ χειρὸς, ὅπλοις δὲ χρῶνται τοῖς ὀρεκτοῖς, ὥς φησιν ὁ ποιητής:

Αἰχμηταὶ μεμαῶτες ὀρεκτῇσι μελίῃσι
Θώρηκας ῥῆξειν.

Eubœenſes valebant ſtatariâ pugnâ, quæ conſerto pede & cominus peragitur, haſtis enim utebantur porrectis, ut Homerus ait:

Pugnaces, haſtis intentis qui cupiebant
Rumpere thoraces.

Imò & de Chalcidenſibus idem: Νυνὶ μὲν οὖν ὁμολογουμένως ἡ Χαλκὶς φέρεται τὰ πρωτεῖα, καὶ μητρόπολις αὕτη λέγεται τῶν Εὐβοέων. Δευτερεύει δ' ἡ Ἐρέτρια. Ἀλλὰ καὶ πρότερον ἄνδρα μέγα ἔιχον ἀξιώματα καὶ πρὸς πόλεμον, καὶ πρὸς εἰρήνην. *Noſtra ætate*, inquit, *Chalcis citra controverſiam principem dignitatem obtinet, & primaria Euboicarum Urbs dicitur: Secundo loco Eretria eſt. Sed & pridem magna & Bello & Pace earum fuit exiſtimatio.* Vides ARCHÆOPHILE, utrorumque & Chalcidenſium & Eretrienſium virtutes bellicas. De Chalcidenſibus hactenus. Sequentibus in Nummis

ERETRIENSES
DIANAM AMARYNTHIAM VINUMQVE, ET BOVES EUBOICOS CELEBRANT.

DE Diana Amarynthia docet Inſcriptio, AMARINTHIÆ DIAMÆ, inter ineditas, quas olim in ſchedis Ligorianis adnotavit, & de qua obiter agit

in absolutissimis ad Callimachum notis Ultrajecti sub prælo sudantibus, Per-Ill. SPANHEMIUS: Docet. Strabo verbis sequentibus: Μελαινίς ἐκαλεῖτο πρότερον ἡ Γρέτρια, καὶ Ἀρότρια. Ταύτης δ' ἐστὶ κώμη ἡ Ἀμαρυνθὸς, ἀφ' ἑπτὰ σταδίων τοῦ τείχους. *Eretria*, inquit, *ante Melanеis fuit dicta & Arotria. Hujus pagus est Amarynthus, septem stadia à mœnibus distans.* Et paulo post: Τὴν δύναμιν τὴν Ἐρετριέων ἦν ἔσχον ποτὲ, μαρτυρεῖ ἡ στήλη, ἣν ἀνέθεσαν ποτὲ ἐν τῷ Ἱερῷ τῆς Ἀμαρυνθίας Ἀρτέμιδος. *Potentiæ Eretriensium*, inquit, *quâ fuerunt olim præditi, testimonium perhibet columna, quam in fano AMARYNTHIÆ DIANÆ dedicârunt.* Hæc Strabonis de Diana abunde instruunt.

Instruerent, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi Dianam hanc Amarysiam dictam, & ab Atheniensibus cultam alii docerent; Quid autem Eretria ad Athenas? Dubium hoc, respondit DULODORUS, Pausanias diluit: Ἔστιν Ἀμαρυνθὸς ἐν Εὐβοίᾳ, inquit, καὶ γὰρ οἱ ταύτῃ τιμῶσιν Ἀμαρουσίαν Ἄρτεμιν· Ἑορτὴν δὲ καὶ Ἀθηναίοις τῆς Ἀμαρουσίας ἄγουσιν, οὐδεν τι Εὐβοέων ἀφανέστερον. Ἀπὸ ταύτης μὲν γενέσθαι τὸ ὄνομα ἐπὶ τοῦτο παρὰ Ἀθηναίων ἡγοῦμαι. *Amarynthus Eubœæ Oppidum est, ibi AMARYSIA DIANA colitur. Et ipsi etiam Athenienses AMARYSIÆ DIANÆ festum diem agitant, nihilo quàm Eubœenses minore celebritate. Inde igitur ad Athenienses nomen manasse crediderim.* Quibus ex verbis Amarusiæ Dianæ cultum utrinque & Athenis & in Eubœa celebrem discimus, sed & discimus ortum alterius ab altera.

Ortus, subjecit ARCHÆOPHILUS, mihi non placet. Ex Pausania enim discimus, Eretrienses Coloniam Athenienſium fuisse, non Athenienses Eretriensium. Quid si inde colligam, ut Eretria Eubœæ descendit ab Eretria Atheniensium, quæ postea, Strabone teste, forum fuit, ita & Amarynthum Eubœæ, à cognomine quodam Atticæ loco denominatam esse? Id verisimile non videtur, respondit DULODORUS, primò enim idoneò Authoris testimoniò id asserens destituitur: Deinde constat ex Stephano, Amarynthum Eubœæ non à cognomine alia, sed ab Amarynthio Dianæ Venatore dictam esse. Ἀμάρυνθος, inquit, πόλις νήσου Εὐβοίας, ἀπὸ τινὸς Κυνηγοῦ τῆς Ἀρτέμιδος Ἀμαρύνθου, ex quo loco, & cultûs rationem ducimus. Venator Amarynthio nomen dedit, quid igitur mirum, si Athenienses inde cultum mutuati fuerint, cùm idem fecerint & Eretrienses? id quod non ex nostris tantum Numismatibus, sed etiam ex Livio discimus. *Sacrum anniversarium*, inquit L. XXXV. c. 38. *eò fortè tempore ERETRIÆ AMARYNTHIDIS DIANÆ erat, quod non popularium modò, sed Caryſtiorum etiam cœtu celebratur.*

Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Dianam Tauropolon & Tauropolia non amplius respexero, licet Taurus aversæ vittis insignis hoc suadere videatur. Dianam quidem a Tauris id nominis tulisse, respondit DULODORUS, facile cesserim; Cum autem in aversa Numismatis, non Taurum tantum, sed etiam Lauream videam, quæ proprie non Dianæ, sed Apollini debetur, omninò, ut in adversa Dianæ, ita in aversa Apollinis honores agnoverim, præsertim cum Apollini Boves immolari solitos constet, & in Eretrica Ditione eidem Deo etiam ab Admeto fanum conditum, ex Strabone pateat. En verba! Ἐν δὲ τῇ Ἐρετριακῇ πόλις ἐστὶ Ταμύναι Ἱερὰ τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἀδμήτου δὲ ἵδρυμα λέγεται τὸ ἱερὸν, παρ' ᾧ ὑπεῦσαι λέγουσι τὸν θεὸν αὐτὸν πλησίον τοῦ πορθμοῦ. *In Eretria ditione Urbs fuit Tamynæ nomine, & fanum Apollinis, conditum, ut perhibetur, ab Admeto, cui Deus ille servivisse dicitur, freto vicinum.*

Jovem, inquit ARCHÆOPHILUS, in hac Urbe cultum, imò & ab ea Tamynæum dictum, Stephanus ex Pausania docet; De Apolline autem, præterquam ex Strabone hactenus non inaudit. Non videris igitur Nummum Severi, respon-

respondit DULODORUS, quem, Luca Holstenio teste, Pyrrhus Ligorius produxit, is enim circum caput Apollinis Laureatum radiatumque TAMINAIΩN inscriptus, rem ad oculum demonstrat. Sed nec Jovi suos honores negavit Eretria, Boves etiam huic, si non Taminæo, tamen Olympico dedicavit. Ita enim Pausanias in fin. El. prior. Βοῶν δὲ τῶν χαλκῶν ὁ μὲν Κορκυραίων, ὁ δὲ ἀνάθημα Ἐρετριέων. Τέχνη δὲ Ἐρετριέως ἐστι Φιλησίου. *Duæ*, inquit, *ex ære Boves ibidem sunt. Alterum Corcyræi, Eretrienses alterum dedicârunt: Utraque Eretriensis Philesii opus.* Sed de his jam non agimus. Qui secundo in Numismate humi decumbit, ad Pascua Boum in Eubœa felicissima pertinere, vel gestu suo demonstrat; Saturos enim Boves humi decumbere solitos nemo nescit, & ex Eustathio constat, inter alias Ταυροπόλου rationes, etiam eam fuisse, quòd Regio, cui Diana præest, armentis abundare soleat.

Harduinus mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS; Is in primo Numismate Juvencum agnoscit, arbitraturque Damasiam, cujus nomen adjectum cernimus, ad Etymon ejus allusisse, eò quòd Δάμαλις *juvencum* significet. Id eandem crisin sapit, respondit DULODORUS, quâ & ego ex voce ΕΠΙΤΕΛΗΣ, Eretrienses votorum suorum complementum in ubertate vini posuisse, arbitrabar. Qui ejusmodi delectantur, rem utcunque credant. Simplicius autem nomina Magistratuum hæc credideris, cùm non apud Eretrienses tantùm, sed etiam alibi ea nomina prostent. Damasias Penthili filius, unus ex Achæorum Ducibus, Pausaniæ memoratur: Alium inter Athenienssium Magistratus annuos, apud Dionysium Halicarn. legas; Ita & Phanias Eresius, Aristotelis, qui in Eubœa mortuus est, discipulus, Athenæo non uno in loco allegatur, & Epiteles Æschynis filius, Argivorum Dux, apud Pausaniam in Messenicis prostat. Attamen Uvam, excepit ARCHÆOPHILUS, Eretrienses non sine causa expresserint? Id non dixero, respondit DULODORUS; Vini enim Euboici sub iis elogium latet, de quo Alexis apud Athenæum:

Πολὺν πιὼν Εὐβοικὸν ὄινον.
EUBOICUM VINUM largius cùm bibisset.

Eadem scil. in his ratio est, quæ & in minoribus Insulis. Inter has se nobis primam sistit

TENUS,
CULTU
BACCHI ET NEPTUNI
MEMORANDA.



TUne adhuc pro Baccho sentis? infit ARCHÆOPHILUS. At Harduinus non Bacchum hunc, sed Jovem Ammonem interpretatur. Placeat Harduino de Ammone sententia, respondit DULODORUS. Mihi pro Baccho sentire ideo lubet, quòd juvenilis ætas Deo conveniat: quòd aversæ Uva

eum

eum evincat: quòd nec cornu arietinum Ammonis filio, nec Laurea cum Apolline eidem contradicat. De omnibus jam ſuprà ſparſim dictum eſt. De Bacchi quidem cultu apud Authores quòd ſciam, nihil occurrit, ex eo autem, quod Athenæo teſte fons hac in Inſula fuit, cujus aqua vino non permiſcebatur, imò quod & reliquæ Maris Ægæi Inſulæ pleræque vini præſtantiam, Bacchique præſidium jactent, ſuffragante Numiſmate, de Teno non dubitabis. Non dubitabis de Neptuno, cujus Tridens in Nummo viſitur, Præter enim, quòd Neptunum ſub nomine Ἰατροῦ, *Medici*, hac in Inſula honoratum, ex Clemente Triſtanus obſervat, apertum eſt Strabonis teſtimonium. Τῆλος δὲ πόλιν μὲν οὐ μεγάλην ἔχει. Τὸ δὲ Ἱερὸν τοῦ Ποσειδῶνος μέγα ἐν ἄλσει, τῆς πόλεως ἔξω, θέας ἄξιον. ἐν ᾧ καὶ ἑστιατώρια πεποίηται μεγάλα, σημεῖον τοῦ συνέρχεσθαι πλήθος ἱκανὸν τοῦ συνδυόντων αὐτοῖς ἀστυχειτόνων τὰ Ποσειδώνια. *Tenos Urbem habet non magnam. Sed extra Urbem in luco eſt fanum NEPTUNI, dignum quod ſpectetur; in quo & cœnacula magnifica ſunt ædificata: Magnum argumentum, permultos ad illud ſacrificium communicandum confluere de propinquis, ut unà NEPTUNIA celebrent.*

Hæc de Neptuno, inquit ARCHÆOPHILUS, appoſitè. Mihi tamen ſub Tridente adhuc vetuſtum Inſulæ nomen latere videtur, cùm ob aquarum abundantiam olim *Hydruſſam* dictam, Plinius aſſerat. Nec hæc ratio diſplicet, inquit DULODORUS, licet Stephanus ab Hydris nomen deducere malit. Utraque ſcil. opinio poteſt videri latere ſub Tridente, cui Anguis circumvolutus eſt in Nummo Alexandri Severi apud Triſtanum, quem & Harduinus citat. Sequitur

NAXUS
BACCHO SACRA.

His in Numiſmatibus Bacchum & barbatum & imberbem vides. Hic Laureâ redimitur; Ille Diademate & Hederâ ornatur, imò & juxta Hederam cum Thyrſo & Cratere humi jacet, eôdem ferè modô, quò Pauſaniæ deſcribitur El. priore. Διόνυσος ἐν ἄντρῳ κατακείμενος γένεια ἔχων καὶ ἔκπωμα χρυσοῦν. *Liber Pater jacet barbatus, auream præferens pateram.*

Hæc memini Te obſervare, inquit ARCHÆOPHILUS, ut & de duplici ætate ex Macrobio, & de Diademate ex Diodoro. De Diademate, excepit DULODORUS, etiam Plinius L. VII. c. 26. tradit. *Emere ac vendere*, inquit, *inſtituit Liber Pater. Idem DIADEMA, Regum inſigne, & Triumphum invenit.* Bene hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, at non item, qui Bacchus barbatus in Naxiorum Numiſmate ponatur? Bacchus barbatus, Bacchus Indicus: Naxus autem Inſula Græciæ fuit. Dubium hoc reſpondit DULODORUS, Servius diluit ad illud Virgilii L. III. ℣. 125.

— — *Bacchatamque jugis Naxon.*

Bacchatam, inquit, *aut vitibus conſitam, aut celebratam Bacchis, aut ubi BACCHUS EX INDIS, velut quidam volunt, poſt devictos Gigantes, egit Triumphum*

phum. Nam, ut supra diximus, ipsi consecrata est, quæ & Dia dicitur. An Dia & Naxus Insula eadem? subjecit ARCHÆOPHILUS. Id non ex hoc tantùm loco, respondit DULODORUS, sed etiam ex Plinio discas, qui & alia ejus nomina memorat, L. IV. c. 12. *Naxus*, inquit, *Strongilen, dein DIAN, mox Dionysiada à Vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem, aut Callipolin appellârunt.* Hæc si ita sint, perrexit ARCHÆOPHILUS, Naxus eadem fuerit, in qua Ariadnem à Thesco relictam, & à Baccho inventam ad Gemmas docuisti. Eadem, inquit DULODORUS, adeòque mirum non est, in Numismatibus Bacchum cerni, tantæ enim venerationis hîc fuit, ut Bacchi Dionysi faciem ex ligno vitis, Meilichii autem ex ficu adornarint. Athenæus rem edocet. Νάξιοι, ὡς Ἀνδρίσκος, ἔτι δ' Ἀγασθένης ἱστοροῦσι, Μειλίχιον καλεῖσθαι τὸν Διόνυσον, διὰ τὴν τοῦ συκίνου καρποῦ παράδοσιν. διὸ καὶ τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ παρὰ τοῖς Ναξίοις, τὸ μὲν τοῦ Βακχέος Διονύσου καλουμένου, ἔυναι ἀμπέλινον· τὸ δὲ τοῦ Μειλιχίου σύκινον. Τὰ γὰρ σῦκα μείλιχα καλεῖσθαι. *Ut Andriscus & Agasthenes referunt, Naxius Bacchus Meilichius appellatur, quod mortalibus, Ficum dederit: ob eamque rationem apud Naxios Dei Bacchi, quem Dionysum vocant, è ligno vitis facies est, illius verò quem Meilichium nuncupant è Ficu, Ficus enim μειλιχα Naxii vocant.* Idem Author etiam de Naxio vino: Ἀρχίλοχος τὸν Νάξιον τῷ νέκταρι παραβάλλει. *Archilochus*, inquit, *cum Nectare confert Naxium:* Et Stephano authore: Ἔστιν ἐκεῖ κρήνη, ἐξ ἧς ἦνος ῥεῖ μάλα ἡδύς. *Fons in Naxo est, ex quo vinum valde suave fluit.* Sub Baccho, inquit ARCHÆOPHILUS, video aliquid fontis instar descendere. Non fontem id arbitrarer, respondit DULODORUS, sed Bacchi Tunicam, de qua ad Gemmas diximus. Ad effigiem barbatam potiùs & imberbem notandum, quod Cornutus ad Juvenalem tradit, *in Græcia duas fuisse Bacchi statuas, unam hirsutam, quæ dicebatur BRISEI, alteram lævem ad vsq; pne pilu, quæ dicebatur LENÆI:* Notandum ad bibentem, quod Alexis in Concursantibus apud Athenæum tradit:

Οἰδε Διόνυσος οἶδε τὸ μεθύσαι μέγα
Εἰ δὲ νέον, ἢ παλαιὸν, οὐ πεφρόντικεν.
Edoctus est tantùm Bacchus ad temulentiam usque potare,
An vetus bibat vinum, an novum, parum sollicitus.

Et quod alibi apud eundem Pollis in Magneticis: Τὸν Θεμιστοκλέα Διονύσῳ Χοοπότῃ θυσιάσαντα καὶ τὴν χοῶν ἑορτὴν αὐτόθι καταδεῖξαι. *Themistoclem BACCHO CHOOPOTÆ immolâsse hostias, eô ritu, quô Athenienses illic CONGIORUM FERIAS celebrâsse.* Notandum ad sedentem, quod apud eundem Athenæum *Bacchi regis*, Ὀρφεῦ Διονύσου, aram in Horarum delubro posuerint Athenienses. Notandum ad Numismata, authore Aglaosthene apud Jul. Pollucem L. IX. c. 6. *Naxios primum Numisma signasse.*

Benè hæc notantur, infit ARCHÆOPHILUS, non minus ac de Hedera, Thyrso, & Laurea, Laurique folio, & bacca, quanquam de iis jam supra, inter Gemmas præsertim, dictum sit. De Cippo in secundo Numismate adhuc exquirere libet; Quod enim de Sesostre attulisti, quid ad Bacchum faciat, non video. Si non ad Bacchum, respondit DULODORUS, tamen ad Naxios pertinebit, demonstrabitque eorum strenuitatem. Cycladas, ex quorum numero Naxus est, Sesostim subegisse, Diodoro teste constat: Et membrum virile, quod Cippis Gentium strenuarum affinxisse traditur, in Nummo ad oculum patet. Verba rem illustrantia subjungere placet. Ἀσίαν ἅπασαν, inquit de Sesosti, ὑπήκοον ἐποιήσατο καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων τὰς πλείστας. *Asiam omnem, & CYCLADUM PLURIMAS in fidem suam adegit.* Et iterum: Στήλας κατεσκεύασεν ἐν πολλοῖς τόποις τῶν αὐτοῦ κατακτηθέντων. Ἔυται δὲ τὴν ἐπιγραφὴν εἶχον Αἰγυπτίοις γράμμασι, τοῖς ἱεροῖς λεγομένοις, τὴν δὲ τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέλατο τοῖς ἑαυτοῦ Βασιλεῦς Βασιλέων

καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσώσις. Τὴν δὲ στήλην κατεσκεύασεν ἔχουσαν αἰδοῖον ἐν μὲν τοῖς μαχίμοις ἔθνεσιν ἀνδρὸς, ἐν δὲ τοῖς ἀγενέσι καὶ δειλοῖς, γυναικὸς. *Cippos ubique terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Ægyptiorum literis hôc verborum indicio inscriptos: Hanc Provinciam armis suis devicit, Rex Regum & Dominus Dominorum Sesoosis. — In Cippis illis PUDENDUM VIRI, apud Gentes quidem STRENUAS & PUGNACES; apud ignavas autem & timidas, fœminæ expressit.* Hæc utut se habeant, licebit tamen & ad ipsum Bacchum Cippum hunc reducere; Baccho enim Græcos, Priapos erigere solitos ex Luciano discimus de Dea Syria: Et pudenda est fabula de Baccho penem humi fabricante, sibique applicante, apud Arnobium, ut taceam Etymon Liberi, quod Augustinus tradit, rationem facti, quô partem corporis virilem in Liberi templo Gentiles ponerent. Naxo vicina fuit

PARUS



Caput Medusæ quod cernimus, licet nullum ex historia fulcrum appareat, Perseo tamen Parum addicere, clarius est, quàm quod clarum. Seriphios potius id signare debuisse, Nonnius arbitratur, Cùm autem Parii Seriphiorum vicini fuerint: Cum Perseus Seriphiorum non tam amicus quàm hostis, utpote quos Medusæo capite in lapides memoratur convertisse: Cùm denique lapidum Pariorum major celebritas, quàm Seriphiorum, mirum non est, effigiem Medusæ λιθοεργέα, uti Oppiano dicitur, non in Seriphiorum, sed in Pariorum Nummis occurrere. Poterunt videlicet Parii, vel contra Seriphios à Persei partibus stetisse: Poterunt adspectui capitis Medusæi, marmoris sui gloriam acceptam tulisse: Poterunt & ab Argis Persei patria descendisse:

A Cretensibus, inquit ARCHÆOPHILUS, & Arcadibus habitatam, imò & à Paro Arcade denominatam, Stephanus author est. Id nihil obstat, respondit DULODORUS, cùm diversitas temporum & alios admittere potuerit. Præter Minoëm certe, & Hercules Parum appulit, contra Amazones proficiscens, uti ex Apollodoro docemur; Hercules autem Tyrinthe tunc habitabat, Eurystheique, Mycenarum Regis jussu, certamina subibat: Mycenarum inquam, quas Perseus condidit, ita enim Stephanus: Μυκῆναι ἀπὸ μύκητος τοῦ ξίφους, ὁ ἐφόρει Περσεύς, ὃν πεσόντος κατὰ κέλευσιν Ἑρμοῦ τὴν πόλιν ἔκτισεν. *Mycenæ à capulo Gladii, quem Perseus gestabat, quo labente, jussu Mercurii Urbem condidit.* Rem latiùs in Corinthiacis Pausanias, & tangit in Alexipharm. v. 103. Nicander. Hæc si ita sint inquit ARCHÆOPHILUS, fortasse Vaccam aversæ non tam ad Sacrificium Minois in Paro Insula, quàm ad Jo Inachi filiam retulerim, cùm & hæc Mycenas nomen dedisse, eôdem Stephano authore, quibusdam credita sit; Conjecturam sanè fulcit corona, cùm aliam Inachi filiam, uti Pausanias tradit, Homerus Εὐστέφανον *benè coronatam* appellârit:

Τυρώ τ' Ἀλκμήνην τὲ Εὐστέφανον τὲ Μυκήνην.
Tyro atque Alcmene, sertâque ornata Mycenæ.

Cùm

Cùm Corona humi jaceat, respondit DULODORUS, fortassis ad Minois factum tutius erit respicere, præsertim cum inde mos in Paro Gratiis sacrificantibus manserit. En verba Apollodori Lib. III. Μίνως ἐπελθόντος αὐτοῦ θανάτου, θύων ἐν Πάρῳ ταῖς χάρισι, τὸν μὲν στέφανον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἔβριψε, καὶ τὸν αὐλὸν κατέσχε, καὶ τὴν θυσίαν οὐδὲν ἧττον ἐπετέλησαν. Ὅθεν ἔτι καὶ δεῦρο χωρὶς αὐλῶν καὶ στεφάνων ἐν Πάρῳ θύουσι ταῖς Χάρισι. *Minos morte ipsius* (Androgei) *nunciatâ, in Paro Gratiis sacrificanti, detractam quidem capiti Coronam abjecit, ac cohibuit item tibiam, verum Sacra nihilominus perfecit, unde etiamnum hodie Gratiis in Paro sacra faciunt sine Corona & Tibia.* De Corona forsitan ratio procedit, excepit ARCHÆOPHILUS, de Vacca autem non procedit; Quid enim? an Gratiis Vaccam immolaverint Parii? Quid si Taurum hunc arbitreris Cereri sacrum? Ne sic quidem abs ratione, respondit DULODORUS; Recordaberis enim ex Stephano, Insulam hanc inter alia nomina & *Demetriadem* a Cerere & *Cabarnin* à Cabarno dictam, qui Cereri, filiæ raptum prodiderit. Inde certe Hesychius: Κάβαρνοι οἱ τῆς Δήμητρος Ἱερεῖς ὡς Πάριοι. Sequentibus ex Numinis

P A R I I
à
CORINTHIIS ORIUNDI

Videntur. Idque vigore monogrammatum adscriptorum, & Pegasi; Illa enim quid interpretaberis, si non ΠΑΡΙΟΙ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ? & hunc ad Corinthios pertinere, clarius est, quàm ut demonstratione egeat. Nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, ejusmodi Nummos Paruta non Pariis, sed Panormitanis tribuit. Si ad Siciliam abeundum foret, respondit DULODORUS, potius ad Paropinos respicerem, quorum Numisma apud eundem Parutam in Corona Hederacea ΠΑΡ. inscribitur. Corona sanè Hederacea cum Baccho Hederâ coronato, qui in nostris visitur, mirè convenit. Sed non video, cur magis Paropinis, quam Pariis ejusmodi Numismata tribuenda sint, cùm tamen de Pariis planior lectio sit? Si de Baccho quæras, utique & hujus ratio in Pariis esse potest, cùm

Νήσων αἰπυτάτη ἱερῶν.
Insularum sublimissima sanctarum.

Ut eam Dioscorides appellat. Anthol. III. c. 12. procul dubio & ipsa Bacchum coluerit, non minus ac reliquæ ejusdem tractûs. Non à Thaso argumentum desumam, quam à Pariis conditam Strabo memorat; sed à Corinthiis, ad quos Pariorum origines Numismata deducunt. Etiam hos Bacchum coluisse, Pausanias author est, *duo ejus signa lignea inaurata* memorans, *quorum alterum LYSIUM alterum BACCHEUM nominaverint, Oraculi monitu ex arbore formatos, ex qua Pentheus Bacchi sacra fuerat speculatus.* Sed hæc Lectoris judicio libera sunto!

NUMISMATA SERIPHII CORINTHIORUM COLONI



Non minus ac Parii, elegantiſſimo hoc in Numiſmate noſcuntur, licet Authorum hactenus authoritas & hîc defuerit. Seriphios, excepit ARCHÆOPHILUS, Athenienſium Colonos fuiſſe, Herodotus teſtatur; Scio, inquit DULODORUS, ſed Per-Illuſt. SPANHEMIUS id nihil obſtare ait, ut alio tempore à Corinthiis credantur inſtaurati. Ratio ſanè ex communi, inſignia μητροπόλεων exprimendi more deſumta eſt, & ſi rem probè inſpicias, nec fulcro caret, ſive ad Athenienſes reſpicias, ſive ad Argivos. Non intelligo quid velis, inquit ARCHÆOPHILUS. De Corinthiis utique probandum, non de Athenienſibus, non de Argivis. At ego in utrisque, reſpondit DULODORUS, fontem Seriphiorum a Corinthiis ex Pauſania oſtendam. Ab Athenienſibus Seriphios ortos, Herodoti teſtimoniò conſtare ais. Atqui in Atticam ex Ephyræa, quæ poſtea Corinthus dicta eſt, Coloniam jam ante deduxerat Marathon Corinthi pater. En verba! Ἔυηλος ὁ Ἀμφιλύτου τῶν Βακχιαδῶν καλουμένων, ὃς καὶ τὰ ἔπη λέγεται ποιῆσαι Φησὶν, ἐν τῇ Κορινθίων συγγραφῇ Ἐφύρην Ὠκεανοῦ θυγατέρα οἰκῆσαι πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. Μαραθῶνα δὲ ὕστερον τὸν ἐπωπέως τοῦ Ἀλωέως τοῦ Ἡλίου, Φεύγοντα ἀνομίαν καὶ ὕβριν τοῦ πατρὸς ἐς τὰ παραθαλάσσια μετοικῆσαι τῆς Ἀττικῆς. Ἀποθανόντος δὲ Ἐπωπέως, ἀφικόμενον ἐς Πελοπόννησον, καὶ τὴν ἀρχὴν διανείμαντα τοῖς παισὶν, αὐτὸν δὲ ἐς τὴν Ἀττικὴν ἄυθις ἀναχωρῆσαι. Καὶ ἀπὸ Σικυῶνος τὴν Ἀσωπίαν, ἀπὸ δὲ Κορίνθου τὴν Ἐφυραίαν μετονομασθῆναι. *Eumelus Amphilyti filius è Gente Bacchiadarum, qui carmina dicitur feciſſe, in Corinthiaca hiſtoria ſcriptum reliquit, Ephyren Oceani filiam primam in iis ſimbus conſediſſe. MARATHONEM deinde Epopei filium Aloëi Solis filii nepotem, Patris iniquitatem & contumeliam fugientem, in maritimam Atticæ partem Coloniam deduxiſſe: Auditâ verò Epopei patris morte, in Peloponneſum reverſum, ac mox inter filios Regno diſtributo in Atticam reduſſe, ab ejus quidem filio Sicyone Aſopiam, à Corintho autem Ephyræam nomen accepiſſe.* Vides ARCHÆOPHILE, ortum ab Athenienſibus non obſtare, ut Seriphios etiam à Corinthiis ſecundum Numiſma credamus ortos, cùm ſub illis propior, ſub his autem remotior origo lateat, quam quid mirum Seriphios expreſſiſſe, cùm nobilitatem etiam hodiè ex antiquitate metiri ſoleamus?

Si omnes Athenienſes, excepit ARCHÆOPHILUS, à Corinthiis deſcenderent, aſſurgerem placito, cùm autem, vel ipſo Pauſania dicente, maritimam tantùm Atticæ partem Maranthon occupaverint, neſcio an ratio procedat; Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm utique credibilius ſit maritimos Atticæ populos in Inſulas migraſſe, quàm mediterraneos; Si tamen ratio minus placet, en aliam ab Argis! Argivum fuiſſe Perſeum, nemo dubitat. Perſeum in Seriphum appulſum, incolasque ſecundum fabulas, in lapides convertiſſe, nec ipſum ignotum eſt. Quid inde? excepit ARCHÆOPHILUS. Quid? reſpondit Ille, ſi non, uti Herodotus ab Athenienſibus, ita alios ab Argivis Seriphios

dedu-

deducere. Quid hoc ad Corinthios? iteravit ARCHÆOPHILVS. Multum, inquit DULODORUS, ſive ipſos Corinthios reſpicias, ſive etiam Bellerophontem Chimeræ victorem, Bellerophon enim non Corinthi imperium obtinuit, ſed in Proeti Argivorum Regis poteſtate fuit: Et Corinthii, tenente jam Lycios Bellerophonte, non ſuis viribus cenſebantur, ſed perpetuò iis paruerunt, qui aut Argis aut Mycenis rerum ſummæ præerant. Utrumque audi ex eodem Pauſania: Βελλεροφόντην ουκ αὐτοκράτορα ὄντα βασιλεύειν, εἶναι δὲ ἐπὶ Πρόιτῳ καὶ Αργείοις ἐγὼ δὲ πείθομαι, καὶ ὅστις τὰ Ὁμήρου μὴ πάρεργον ἐξελέξατο. Φαίνονται δὲ καὶ Βελλεροφόντου μετοικήσαντος ἐς Λυκίαν, οὐδὲν ἧσσον οἱ Κορίνθιοι τῶν ἐν Ἄργει δυνατῶν, ἢ Μυκήναις ὑπακούοντες. Ἰδίᾳ τε οὐδένα παρέσχοντο ἄρχοντα τῆς ἐπὶ Τροίαν στρατιᾶς, συντεταγμένοι δὲ Μυκηναίοις καὶ ὅσων ἄλλων Αγαμέμνων ἡγεῖτο, μετέσχον τοῦ στόλου. *Bellerophontem*, inquit, *Regnum Corinthiorum non poſſedisſe, ſed in Proeti Argivorum Regis poteſtate fuiſſe, & ipſe ut credam facilè adduci poſſum, ac nihilominus, qui Homeri carmina non indiligenter legerit; Satis etiam conſtat, tenente jam Lyciam Bellerophonte, Corinthios perpetuò iis, qui aut Argis aut Mycenis rerum ſummæ præeſſent, paruiſſe, quando privatim ipſi nullum ad Trojam Ducem miſerunt, ſed Agamemnonis ſigna & auſpicia ſecuti, ejus expeditionis participes fuêre.*

Quorſum hæc? inquit ARCHÆOPHILUS. Ut demonſtrem, inquit DULODORUS, licet ab Argivis Seriphii deſcenderint, poſſe tamen etiam à Corinthiis deſcendiſſe: Η Κορινθία γὰρ χώρα eidem Pauſaniæ μοῖρα τῆς Αργείας, *Corinthiaca Regio pars Argiæ* erat. Sed age! tertiam rationem contemplemur! Perſeum & Meduſæ caput Seriphios concernere non dubitas; at ex ſanguine Meduſæ Pegaſus ortus eſt. Quid ergo mirum, ſi in ſignum Victoriæ, ſuæque originis non tam caput Meduſæ: Non tam Pegaſum, quam Chimæram expreſſerint Seriphii? Cùm caput Meduſæ & Pegaſus ſolius infelicitatis ſibi teſtes ſuiſſent, Chimera autem tanquam devictus hoſtis, aut tropæum, glorioſæ originis jubare infelicitatem abſcondat, utique ratio fuit, cur hunc potius exprimerent. Peloponneſum ingredimur. Hic

ARGIVI
HERCULEM ARGIVUM, NEPTUNUM PROSCLYSTIUM ET APOLLINEM LYCIUM COLUERE.



HErculem ſub Clava, Neptunum ſub Delphino, Apollinem ſub Lupo contemplor. De Neptuno & Apolline ex Pauſania docui. Verba licet prolixitate tædioſa, tamen, quòd rem explicent, digna ſunt, quæ denuò adſcribantur. *Extat*, inquit in Corinthiacis, interprete Amaſæo, *eodem in loco NEPTUNI cognomento PROSCLYSTII, ſive inundatoris, templum. Diluiſſe enim maximam partem agri eô tempore Neptunum memorant, quô Inachus, quique ei in conſilio adfuerunt, terram eam Junonis, non Neptuni eſſe debere pronunciarunt. At*

deinde cum Juno eum exoraſſet, ut mare deduceret, per quem locum unda dẽfluxit, in eo Proſelyſtio Neptuno templum Argivos erexiſſe. Hæc de Neptuno. Sequentia teſtantur de Apolline. *Apud Argivos*, inquit idem, *longè omnium templorum eſt nobiliſſimum APOLLINIS LYCII, in quo, quod ætate noſtra exſtat, Dei ſignum, Attali ſtit Athenienſis opus, antiquiſſimum è ligno Danaus dedicavit, cum ipſa æde. — Ac Lycium quidem Apollinem hujusmodi de cauſa dedicavit Danaus. Cùm Argos veniſſet, de Regno cum Gelanore Sthenelæ filio contendit: ac cùm eorum uterque ad populum multa, & ea maximè probabilia, & juri maximè conſentanea dixiſſet, neque omninò, quæ Gelanor aſſerebat minus æqua videretur, cauſa ampliata eſt in craſtinum. Poſtero die primâ luce in Boum gregem, in pomerio paſcentium, LUPUS impetum fecit: Atque is Taurum ipſum gregis ducem adortus eſt. Viſum eſt Argivis Gelanori cùm Tauro, cum Lupo eſſe Danao aptiſſimam convenientiæ rationem: Quòd ſcilicet, uti Lupus animal eſt homini minime familiare, ſic propemodum ad id temporis nullâ ſiuſſet Danaus Argivorum uſus conſvetudine. Quare cum Taurum Lupus confeciſſet è re nata Argivi Danao Imperium adjudicârunt. Tunc Danaus LUPUM ab Apolline immiſſum interpretatus, LYCII APOLLINIS ædem dicavit.*

Hæc de Apolline abunde inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam quod prætereundum non eſt, alii ἀπὸ τοῦ λευκαινεσθαι πάντα φωτιζοντος ἡλίου, quod omnia albeſcant illuceſcente Sole: Alii quòd ut Lupi omnia, ita & Sol radius humorem rapiat: Alii quòd Lupos tanquam præludium peſtis Apollo immittat: Alii aliunde cognomen derivent, uti latius videre eſt apud Lil. Gyraldum in Syntagmat. Pleraque, excepit DULODORUS, ingenii luſus ſunt, nec ad Numiſma & Argivos tàm faciunt, quàm faciunt allata Pauſaniæ; Notandum enim omnino, quod Per-Illuſt. SPANHEMIUS ſuggeſſit, fuiſſe Lupum ſolitum Argivorum in eorum Nummis inſigne, prout id obſervant Græci Sophoclis Enarratores ad Electr. v. 6. Τοῦ λυκοκτόνου Θεοῦ. *Luporum interfectoris Dei*, h. e. Apollinis: Nempe ſacrum eidem fuiſſe hoc animal, ὡς καὶ τῇ Αρτέμιδι τὰς ἐλάφους. Ὅθεν καὶ τῷ νομίσματι τῶν Αργείων ἐγχαράττεσθαι φάσι λύκους. Ὡς καὶ τὰς γλαῦκας Αθήνησι. Unde factum etiam, ut apud Æſchylum, quod fugit Interpretes, uti pridem ad eum idem Vir Per-Illuſtris notavit, Argivi, per Λύκους ſeu *Lupos* deſignentur, & ſimul apud Lycophronem; Sed qua de re alibi ſe acturum pollicetur, plura interim indicans de hoc argumento, ſeu unde Αγορὰ Λυκείος, Argis dicta, & de pugna ibi Lupi cum Tauro, & Apolline Λυκείῳ, ſuppeditare Plutarchum in Pericle. Nos ad Clavam convertimur.

Clavam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ad Heraclitarum ad Peloponneſum reditum retuliſti, quòd Apollodoro teſte, prima ſortitio Argos fuerit. Non Heraclitarum tantùm Argis dominatio, reſpondit DULODORUS, ſed & ipſius Herculis cultus in cenſum venit. Herculem Tirynthe conſediſſe, indeque Tirynthium dictum, procul dubio recordaberis; at Tiryns Argiæ Urbs fuit. Recordaberis Euryſtheo Herculem ſerviiſſe; at Euryſtheus Argivorum Rex fuit Et quid multa? Vel unicum Herculis *Argivi* Epitheton rem confecerit. Apud Arrianum id non ſemel proſtat, quò memorante, & Alexander Mallis tributa remiſit, quòd Argivorum Coloni eſſent, ipſeque ab *Heraclidis Argivis* ſe oriundum perhiberet. Succedit

MALEA

MALEA
PROMONTORIUM LACONIÆ.



NUmiſma hoc inſcribitur ΜΑΛΕΩΝ, numero plurali, qualiter Straboni Laconiæ promontorium ſolet appellari. Ita Lib. VIII. Μετὰ δὲ Ταίναρον Πλέοντι, ἐπὶ τὴν Ὄνου γνάθον, καὶ Μαλέας ἁμαθοῦς ἐστὶ πόλις. Et paulò poſt: Εἶτα βοῖα πόλις, εἶτα Μαλεαὶ &c. Aliis numerus ſingularis placet, & duplici quidem differentiâ. Suidas Μαλέας, inquit, ἡ αἰτιατικὴ τὸν Μαλεᾶν ἀκρωτήριον καὶ ὄρος, ad quem locum interpres, Μαλέας οὐ ὁ, & accuſativus τὸν Μαλέων; At alii genere fœminino dicunt Μαλέα ας ἡ promontorium & mons agri Peloponneſiaci. Aliis Μαλέια ſcribitur, aliis aliter. Similis differentia eſt etiam in metro. Ovidius penultimam producit:

Quo lateant Syrtes, quove Maleâ ſinu.

Virgilius corripit V. Æneidos:

— — *Nunc illum promite vires,*
Nunc animos, quibus in Getulâ ſyrtibus uſi,
Joniogue Mari, Maleæque ſequacibus undis.

Virgilium ſequitur Valerius Flaccus.

Maleæ velut arce fragoſa
Turbo rapax.

Ovidium Statius:

Raucæ circumſonat ira Maleæ.

Et Propertius Lib. III.

Præbeat hoſpitio ſæva Malea ſuo.

Rationem vocis, inquit ARCHÆOPHILUS, ſatis curiosè luſtraſti. At non præter rationem, reſpondit DULODORUS; Vides enim alteram Numiſmatis noſtri faciem nomine, tantum non ſolo, occupari: Mihi ſanè in tantùm hæc non otioſa videntur, ut adhuc ad Etymologiam deſcendere audeam. Celeberrimus Bochardus Maleam arbitratur a מחלה *Mathlaa* vel *Mathlea* dictam, quæ vox *Malum* ſignificet, ſive *Maxillum cum molaribus*, idque ideò, quòd hoc ipſum promontorium Lycophron in Caſſandra ℣. 94. γαμφηλὰς ὄνου id eſt τὰς σιγόνας τοῦ ὄνου, *Maxillam Aſini* appellet, idque διὰ τὸ ἐοικέναι σιαγόσιν ὄνου, *quia Maxillæ Aſini ſimile ſit*, ut habet ſcholiaſtes; Vel quod vero propiùs putat Bochardus, ab undarum rauco ſtrepitu, quaſi Aſini ruditum imitetur, id quod verſu Statii firmat lib. I. Achill.

Undiſonæ quos circuit unda Maleæ.

Et Sidonii:

Atque recurrentem tuſtata ad ranca Maleam.

Eleganter hæc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & eruditè à Bochardo videntur excogitata. Mihi non videntur admittenda, reſpondit DULODORUS, idque ideò, quòd Strabo & Ptolemæus ὄνου γνάθον, ſive *Maxillam Aſini* à *Malea* diverſam faciant, præferéndamque Caroli Stephani ratio-

nem-

nem cenſerem, à Maleo Rege Argivorum appellationem deducentis, à quo & templum Maleaticum conſtructum memorat, ſi idonei Authoris teſtimonio id aſſeruiſſet. Certe, uti in hoc Maleæ Nummo, prima appellationis litera majuscula eſt, ita & eſt in Numiſmatibus Argivorum: Ut taceam, Herodotò teſte, Argivorum fuiſſe, quicquid Maleam tenus ad occaſum vergebat. Sed Maleus, ut ignorantiam meam aperte fatear, inter Argivorum Reges mihi apud indoneos Scriptores nondum apparuit. Suidas quidem Malei meminit, qui lapidem à ſe confectum Neptuno conſecravit, ne fluctus ad Phæſtum Urbem Cretæ accedere poſſet, quà de re Homerus, Homerique interpres III. Odyſſ.; Quid autem hic ad propoſitum?

Promontorium celebras, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed pace Tuâ dixerim, vereor ne ad Nummum propoſitum fruſtra. Quis enim credat, Nummum in promontorio ſignatum fuiſſe? Facile reſponderim, inquit, DULODORVS. Promontorium hoc non ſine habitatoribus fuit; Ὄνου γνάθον à Malea tantùm 150. ſtadia diſſitam, Strabo aſſerit. Inter ὄνου γνάθον & Maleam eodem authore ſita erat Urbs Bœa. A Bœis ad ea quæ ſupra Maleum promontorium ſunt, navigantibus λιμνὴν ſive *ſtagnum* eſſe, quod *Nymbæum* nominant, frequenti undiquaque incolentium hominum multitudine, Pauſanias ſcribit in Laconicis. Et quid? annon idem de ipſa Malea, ubi Silenum Μαλέωρον *Maleæ civem* ex Pindaro appellat? ſubjicitque: Λέγουσι οἱ περὶ τὴν Μαλέαν οἰκοῦντες; *ita dicunt, qui circa Maleam habitant.* Thucydides Lib. III. p. 175. de Athenienſibus locutus, ναύσταθμον δὲ μᾶλλον ἦν αὐτοῖς πλοίων καὶ Ἀγορᾶς ἡ Μαλέα; *Malea*, inquit, *iis potius navium ſtatio & mercatus erat.* Quo ex loco intelligitur Polybii locus pag. 438. ubi Φίλιππος ἀκούων τοὺς Σκερδιλαΐδου λέμβους περὶ Μαλέαν λῃζεσθαι, καὶ πᾶσι τοῖς ἐμπόροις ὡς πολεμίοις χρῆσθαι. *Philippus audiens Scerdilaidæ Lembos circa* Μαλέαν *exercere Piraticam & mercatores omnes loco hoſtium ducere* &c. Agnoſcis ARCHÆOPHILE, Maleam incolis habitatam fuiſſe, adeòque Numiſma ibi percuti potuiſſe: Agnoſcis & rationem Palmæ, quâ procul dubiò victoriam aliquam jactârunt; Qui enim hoſtiliter fuêre lacceſſiti, quidni credantur & reſtitiſſe aliquando, & viciſſe? Res probabiliter adſtruitur, inquit ARCHÆOPHILUS, & ſi deficiente clariore teſtimoniò tantum lucis etiam adverſæ affundas, acquieſcam. Adverſa, reſpondit DULODORUS, Aquilam volantem exhibet, plane qualiter etiam in Seriphiorum Numiſmatibus, qualiter & in ſequeti incerto.



Quod an Scripho tribuendum ſit, an autem Maleæ, aliorum Judicium eſto! Ad Aquilam Maleæ nobis aſſiſtit Ζεὺς Μαλειαῖος, *Jupiter Maleæus*, cujus Stephanus meminit: ἀπὸ τοῦ Μάλεια, inquit Μαλειαῖος Ζεὺς *à Malea eſt Jupiter Maleæus*; An hujus Jovis fuerit templum, quod hic à Maleo conditum ſupra dictum eſt, an etiam Aquila volans peculiarem aliquam ejus ſolertiam adumbret, apum Creticarum inſtar, de eo, ſilentibus tot Authoribus, qui de Malea ſcripsêre, nec ipſe pronunciavero. Ne ad monitum proverbii Maleam navigans, quæ domi ſunt, obliviſci videar, ad reliqua tranſeo. In ſequenti adumbratur

ATTÆA

ATTÆA
MINERVÆ CULTRIX SENATUIQVE DEVOTA.



TUne hunc Nummum, solitô sibi more interlocutus est ARCHÆOPHILUS, Urbi Laconiæ adhuc addicis? At Reverendus Harduinus alios feliciore conjecturâ ad Attæam Phrygiæ reduxit, Urbem Lacui, cujus Stephanus in Botieo meminit, cognominem: Idque eam potissimùm ob rationem, quòd à Lacu sibi cognomine, nomen id hausisse videatur, cùm aliter & *Botieum* fuerit vocatum. Scio, respondit DULODORUS, sed vereor ut conjecturam probare possit. Quidni? subjecit ARCHÆOPHILUS; Nonne ab Attaia, *Attaites* rite descendit, ut ab ΕΛΑΙΑ ΕΛΑΙΤΗΣ? Omninò, respondit DULODORUS; sed id rem non conficit. Stephanus ΑΤΤΑΙΑΝ expresse λιμνὴν *Lacum* vocat, Urbem autem non Ἀτταίαν, sed tantùm Βοτίειον. Quod si idem adhuc nomen cum Lacu habuisset, procul dubio id memorasset Stephanus. Hæc ratio, inquit ARCHÆOPHILUS, Harduinum quidem arguere potest, proposito non satisfeciisse, an autem assertum ideò corruat, jam videbimus. Strabo in subsidium venit: memorat ille Atteam, Mitylenæorum in ora Troadis maritima Pagum, inter Adramyttenum & Elaicum sinum, indeque suspicatur Luc. Holstenius, eandem esse cum Attæa Stephani, idque propter Salinas potissimùm, Stephano memoratas, quæ ad Mare esse solent. Vides DULODORE, Harduini conjecturam sulcrò non carere, & cùm Pallas apud Trojanos, totumque inde tractum summa fuerit in veneratione, non video quid obstet, ut assentiamur. Fluvius, qui ejusdem in Numismatibus sub Trajano & Geta percussis visitur, utique ritò Caycus videri potest, ad quem Pergamus jacebat, Urbs Æsculapii cultu nobilis: indeque & patet, cur Æsculapius in Nummo eorundem apud Patinum habeatur. Quid ais DULODORE?

Quid? respondit ille, si non egregium Te agere causæ, nescio an satis justæ, Patronum. Strabo Atteam vocant, non Attæam. De Salinis omninò tacet. Adde quod Attea non Urbs fuerit, sed pagus expresse vocitetur. An pagus tantæ dignitatis credatur, ut Numismatibus se jactaret, cùm tamen alibi Urbs appareat, & nomine propior? Ipse Holstenius rem agnoscit, ideò sub voce ΑΤΑΙΑ: apud Tristanum, inquit, T. II. p. 272. in Nummo Getæ circum figuram fluvii legitur ΑΤΤΑΙΩΝ per duo ΤΤ. Ipse Tristanus licet & Attam Arabiæ felicis Ptolemæo memoratam adduceret, de ΑΤΑΙΑ tamen nihil dubitavit: probè scilicet intelligens, Literas in Nummis duplicatas insoliti nihil esse. Secutus est placitum Illustris Patinus ad Nummum à Te memoratum in Impp. pag. 7. Quod de fluvio, Æsculapio, & Minerva adducis, non minus etiam de Urbe Laconiæ dici potest; Audi Pausaniam, ubi de Asopo verba facit: Ἐν αὐτῇ δὲ ναὸς τὲ Ῥωμαίων βασιλέων, καὶ ἀνωτέρω τῆς πόλεως ὅσον γε σταδίους δώδεκα, καὶ ἱερὸν ἐστὶν Ἀσκληπιοῦ. Φιλόλαον τὸν θεὸν ὀνομάζουσι — καὶ Ἀθηνᾶς ἱερόν ἐστιν ἐν τῇ ἀκροπόλει Κυπαρισσίας

σίας ἐπίκλησιν. *Inco* (ſcil. oppido Aſopo) *Romanorum Imperatorum templum, & ſupra oppidum ſtadia ſex minus XII. ÆSCULAPII fanum eſt. Deum ipſum Philolaum vocant. — Ly & MINERVÆ ædes in arce, cognomento CYPARISSIÆ.* Poſſem & *Æſculapium Agnitam*, in ipſa Lacedæmoniorum Urbe ad dextram Dromi memorare: Poſſem *Æſculapii Cotyles* templum ultra Eurotam, quod Hercules dedicavit; ſed propius ad Nummum facit Minerva, quæ variis cognominibus in Laconia culta eſt. Pauſaniam adi. Memorat ille *Minervam Aleam* in via ab Urbe Terapnem verſus, ab Eurota non procul diſtantem: Memorat *Minervam* Πολιούχου καὶ Χαλκίοικου, cujus templa in Lacedæmoniorum arce fuerunt: *Minervæ Pareæ* ſignum ſub divo, ubi a Sparta in Arcadiam itur: *Minervæ Ophthalmitidis* ædem, prope ad Alpium, quam Lycurgus dedicavit: *Minervam Hippolaitidem* in Urbe Hippola, Tænari vertici imminente, cultam: Minervam Ἀγοραίαν Spartanis in foro adoratam: Minervæ Ἐφυδάτης Templum & ipſum in Lacedæmoniorum arce: *Minervæ* Ἀξιοπόινου ædem, quam Hercules dedicavit: *Minervæ Ambuliæ* aram; Adeò ut ſufficiens hic ratio ſit, cur Minervam expreſſerint Attaitæ: ſufficiens cauſa, cur expreſſerint *Æſculapium*, & cum cultus horum circa Eurotam præcipuè viguerit, quidni ſecure ſtatuamus, Attalum, ad Eurotæ ripas ſitam, eundem etiam Numiſmatibus ſuis expreſſiſſe?

Unicum mihi adhuc obſtat, excepit ARCHEOPHILUS. Video in Numiſmate ΙΕΡΑΝ ΣΥΓΚΛΗΤΟΝ *Sacrum Senatum.* Hæc autem inſcriptio nunquam in Laconiæ Urbibus exſtat; in Urbibus autem Aſiæ tantùm non unicè. Accedit quod Lacedæmonii Senatum non ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, ſed ΓΕΡΟΥΣΙΑΝ appellaverint. Teſtis locupletiſſimus eſt Pauſanias in Laconicis. Ἡ μὲν δὴ Γερουσία συνέδριον Λακεδαιμονίοις κυριώτατον τῆς πολιτείας. *GERUSIA Lacedæmoniis eſt conſeſſus, penes quem præcipua Reipublicæ authoritas, vel ſummus Reipublicæ conſeſſus.* Vox Γερουσία, inquit DULODORUS, me non ferit. Σύγκλητος enim non Lacedæmoniorum, ſed Romanorum Senatum innuit, ſignificatque idem fere, quod *Patres Conſcripti*, adeo ut hinc colligere poſſis, omnino honori Senatus Romani hoc Numiſma percuſſum eſſe. Cæterum quod de Aſiæ Civitatibus memoras, fateor haud ita facile diluì poſſe. Verum eſt: ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ in his, tantùm non unicè, occurrit; Vix in Nummis ΚΥΔΩΝΙΑΤΩΝ hactenus apparuit, cùm tamen ex Aſiaticis Vigintì eam inſcriptionem memoret Harduinus: adeò ut ſi vocis Etymon apud Strabonem adduceret, nec me difficilem aſſenſu habiturus eſſes. Sed & in Strabone nihil mutare auſim, adeòque tutius arbitror, re in medio relictâ, aliorum arbitria præſtolari, quam immaturò judicio peritioribus obſtrepere. Succedit

THEA
CORINTHIORUM COLONIA.



THeam Corinthiorum Coloniam eſſe, niſi in hoc Nummo, non memini me legiſſe; In Hiſtoricis res obſcura, at in Nummo ſatis clara eſt. Corinthum teſta-

teſtatur non tantùm Pegaſus, ſed & ſubſcriptio. Fuit Thea, ſi Stephanum audimus, Urbs Laconiæ. Incolæ vocabantur Θεεῖς *Thees*, ex Thucydidis teſtimonio. Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, hactenus quod ſciam vulgatum non eſt; Sed quid caput Apollinis? Et ipſum ad originem reſpicit, reſpondit DULODORUS, præter enim quòd AcroCorinthum à Briareo Soli adjudicatam ex fabulis conſtat, Apollinis *Clarii* ſimulacrum ex ære, Apollinis ſignum ad Pirenem, Apollinis templum cum ſigno in via à foro Sicyoniam verſus, Pauſaniæ in Corinthiacis memorantur. In Arcadiam tranſeuntibus occurrit

EVA
MINERVAE DEVOTA.



NUmiſma hoc ad quos pertineat, an ad Arcades? an ad Argivos? an denique ad Lacones? diverſæ Authorum ſententiæ in incerto ponunt. Stephanus Byzantinus Evam Arcadiæ Urbem, ex Theopompo refert; Pauſanias vel Argivorum permagnum vicum, vel etiam Meſſeniæ montem: Polybius Collem non procul à Sellaſia, quæ Laconum fuit. Harduinus, inquit ARCHÆOPHILUS, Stephani ſententiam ſequitur, procul dubio, quòd montis aut Collis ratio eſſe non poſſit, & credibilius ſit, Urbem Numiſma percuſſiſſe, quàm vicum. Idem & Palladem Urbis Tutelarem arbitratur. Non abs ratione, inquit DULODORUS; Minervam enim Aleam apud Mantinenſes, Aleatas & Tegeatas cultam, ex Pauſania conſtat, quô teſte & Minervæ Coriæ templum & ſtatua, haud procul Clitorio: & Machanitidis haud procul Megalopoli fuit, ut ita de Minerva apud Arcades, proindeque ſecundum Numiſma, Evajos culta, dubium non ſit. Nominis Etymon, excepit ARCHÆOPHILUS, adhuc explices velim. Cum prima Mortalium Matre id coincidit, quid autem hæc ad Arcades? Id, inquit DULODORUS, quod Bacchus, ſi Clementi Alexandrino fides; Evam enim, per quam non errori modò, ſed ipſi morti via patefacta eſt, in Orgiis invocatam, ejus verbis apud Euſebium de Præparat. Evangel. patet. Evam Meſſeniæ montem, à Bacchantium voce *Evoë* appellatum, Pauſanias tradit; Quidni igitur & Urbs Arcadiæ, cùm tamen Bacchum & *Politen* & *Axiten*, imò & *Myſtam* & *Acratophorum* Arcades coluerint? In Elidem aſcendimus.

OLYMPIÆ CORONA ATHENIS ALLATA,



Pulcherrimo hoc Numiſmate deſignatur. Scio Te Oleam Minervæ ſacram adducere, excepit ARCHÆOPHILUS. Scio & aram Minervæ Pauſaniæ memoratam: Coronam autem Olympicam Athenis allatam, nondum ſcio. Quin potius ab Hyperboreis allatam hactenus credidi, idque ſecundum eundem Pauſaniam, cujus en Tibi verba, ex interpretatione Amaſæi. *Herculem*, ajunt, *curſus certamen propoſuiſſe fratribus, Victoremque OLEASTRI CORONA donâſſe. Stirpem quidem eam fuiſſe EX HYPERBOREIS ab Hercule primùm ad Græcos deportatam. Eſſe Hyperboreos ipſos, Gentem ſupra Aquilones.* Hæc aſſerto meo, reſpondit DULODORUS, nihil contrariantur; Quid enim eſt, quò minus Hercules Oleam ab Hyperboreis Athenas, & hinc in Elidem tranſtuliſſe credatur? Ut Pauſanias de translatione ab Hyperboreis, ita Ariſtoteles de translatione ex Attica ſe ſiſtit, in Libero περὶ Θαυμ. Ἀκουσμ. En verba: Idiomate Romano! *In Pantheo Athenis*, inquit, eſt Ἐλαία Καλλιστέφανος, *omnia folia reliquis Olivis contraria formâ producens, quippe quæ non pronam, ſed ſupinam partem habeat viridiorem. Ramos mittit ut Myrtus, ad coronas convenientes. Unde & ſumpta plantula HERCULES in Olympia Oleam plantavit, Athletis coronas ſuppeditantem. Diſtat ab Hiſſo fluvio ſtadiis LX. murô circumjectô munita, ac ne quis tangat, gravi pœnâ cavetur. Hinc & Eei decerptum ſurculum in Olympio campo plantârunt, ut Victores inde coronis donarentur.* Quid clarius ad rem dici poteſt? Inde ſane Numiſmati, in quo Minerva Athenarum præſes cum Noctua, non Oleæ tantùm ramum tenente, ſed & Oleaginam coronam comitante, clariſſima lux affulget, nec opus eſt cum Nonnio vel mirari, quid Noctua cum Jove? vel etiam Athenis Numiſma percuſſum ſtatuere, cùm alterum adjectum Urbis nomen elidat, alterum ex hactenus dictis planum ſit. Minervæ certè *Hippiæ*, quæ Athenis colebatur, aram etiam Olympiæ fuiſſe conſtat, quanquam & alibi Elienſes hanc Deam coluerint, *Matrem* cognominantes, quòd voto mulierum reſpondens gravidas feciſſet: cognominantes *Narcæam*, quòd Narcæus ei ædem dedicâſſet. Si ΟΛΥΜΠΙΑΣ in Nummo legeretur, excepit ARCHÆOPHILUS, ut in Goltzianis, quieſcerem; ſed hîc non ΟΛΥΜΠΙΑΣ, ſed ΟΛΥΜΠΙΣ exſtat. Rectè vides, ſubjecit DULODORUS; Sed ſive literam incuriâ Artificis omiſſam ſtatuas, ſive aliâ ratione rem excuſandam arbitreris, id quod Doctioribus dijudicandum relinquo, utrinque tamen Olympiæ Urbis, Coronæque in Olympicis honos concurrit.

ACHÆI

ACHÆI
NEPTUNUM HELICONIUM ET HERCULEM BURAICUM COLUERE.

DE Jove memini Te docuiſſe, inquit ARCHÆOPHILUS, quòd Strabone teſte, *Ænarium* Jovis Lucus, Achæorum Comitiis fuerit deſtinatus. Id ſanè appoſitè, & ad Jovis caput, & ad fulmen. Idem Strabo, reſpondit DULODORUS, etiam de Neptuno docet, cujus memoria, in Numiſmate primo & ſecundo, ſub Tridente proſtat. Neptuni templum, & Ægis & Helice, cognomento *Heliconii* memorat. Ægas autem & Helicen Achæorum Urbes fuiſſe, nemo neſcit. Ipſa Authoris verba rem demonſtrabunt: Τρίτη Αἰγαὶ, inquit, Achæorum Urbes recenſens, Ποσειδῶνος ἱερὸν ἔχουσα; *Tertia Ægæ, quæ templum habet Neptuni:* & paulò ante, ἐξαρθὲν ὑπὸ σεισμοῦ τὸ πέλαγος, κατέκλυσε καὶ αὐτὴν (Ἑλίκην) καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἑλικωνίου Ποσειδῶνος. *Terræ motu elatum mare & Helicen obruit, & templum NEPTUNI HELICONII.* Neptunum Heliconium, excepit ARCHÆOPHILUS, Strabone authore Jones coluére, Panionia ibi celebrantes. Imò, reſpondit DULODORUS, nec Achæis, cùm Jones expuliſſent, cum omninò neglectum, vel inde colligas, quòd, eòdem authore, Jones Neptuni ſimulacrum, & formam templi petentes, repulſam tulére; Si tamen nondum acquieſcas, poteris & Patras mecum abire, nam & Patrenſes inter Achæos cenſebantur. Ita Pauſanias de Patris loquens in Achaicis: πρὸς δὲ τῷ λιμένι Ποσειδῶνος ναὸς καὶ ἄγαλμα ἐστὶν ὀρθὸν λίθου. *Proximè ad portum NEPTUNI ædes eſt, cum ſigno marmoreo, cujus rectus eſt ſtatus.* Et paulò poſt: Ἐν Πάτραις οὐ πολὺ ἀπωτέρω τοῦ Ποσειδῶνος, ἱερά ἐστιν Ἀφροδίτης. *Patris quidem non procul à NEPTUNI, Veneris templa ſunt.*

De Neptuno hæc ſufficiant, inquit ARCHÆOPHILUS. In Numiſmate tertio Clava viſitur, Herculis inſigne. An etiam de hoc Authores ſuffragantur? Eundem, inquit DULODORUS, Pauſaniam ſiſto. Herculem impuberem memorat Ægis, Ageladæ opus: memorat ſigna ænea Neptuno & Herculi, Jovi item & Minervæ dicata ibidem: Et ſi de *Buraico* doceri cupis, audi ipſum! Καταβάντων ἐκ Βούρας ὡς ἐπὶ θάλασσαν, ποταμὸς τὲ Βουραικὸς ὀνομαζόμενος, καὶ Ἡρακλῆς οὐ μέγας ἐστιν ἐν σπηλαίῳ. Γπίκλησις μὲν καὶ τοῦτου Βουραικός. *Quà ex Bura ad mare deſcenditur, amnis eſt, Buraicus nomine. In proxima ſpe-*

lunca non utique magnum Herculis ſignum, Buraico & ipſi cognomen. Lauream adhuc video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, aut ſi mavis Oleam. Ea quò pertineat, non video. Si Oleam cenſeas, reſpondit DULODORUS, vel ad Jovem retuleris, quem Oleâ coronatum conſtat, vel ad Minervam, cujus ea frons eſt; Si arbitreris Lauream, erit inſigne Apollinis. De Jove & Minerva ad Nummum ſequentem Patrenſium dicetur: De Apolline ſunt ſequentia Pauſaniæ, de üsdem Patrenſibus locuti. Ἱερὸν Ἀπόλλωνος πεποίηται καὶ Ἀπόλλων χαλκοῦς γυμνὸς ἑστῶτος &c. *Fanum etiam APOLLINI apud Patrenſes dedicatum eſt, & APOLLO æreus & nudus* &c. Sequuntur

PATRENSES,
CUM
JOVE OLYMPIO ET MINERVA PANACHAEIDE.



DE Minerva Panachæide teſtatur adjectum Monogrammon, & lucem affundit Pauſanias in Achaicis. Τοῦ περιβόλου, inquit, de Patris locutus, ἐστιν ἐντὸς τῆς λαφρίας καὶ Ἀθηνᾶς ναὸς ἐπίκλησιν παναχαιΐδος, ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ. *Intra Laphriæ ambitum, MINERVÆ etiam ædes eſt, cognomento PANACHÆIDIS, cujus ſignum ex Auro & Ebore.* De Minerva, excepit ARCHÆOPHILUS, non quæſierim, ſed omninò de Jove; Licet enim opinionem Nonnii de Patræo, Numiſmate ipſius Patrei eliſeris: Licet etiam quâ ratione Herculem Patrenſes ſignaverint, Te non videre pronunciaveris, mihi tamen pro eo ſenture adhuc lubet. Hercules à Rege Oleni hoſpitaliter exceptus eſt, Olenum autem tantùm XXC. ſtadia à Patris abfuit; Eundem etiam Eurypilo, Dexameni Oleni Regis filio, arcam tradidiſſe, quorundam opinio fuit; Eurypilum autem Patrenſes unum ex antiquitatibus Patriis norunt. Utrinque teſtem ſe ſiſtit Pauſanias. Pauſanias, ſubjecit DULODORUS, etiam pro Jove militat, eòque majore teſtimonii ἐνεργίᾳ, quò apertius Jovem & Minervam apud Patrenſes conjungit. Ἔστι δὲ ἐν τῇ Ἀγορᾷ Διὸς ναὸς Ὀλυμπίου, αὐτὸς δὲ ἐπὶ θρόνου, καὶ ἑστῶσα Ἀθηνᾶ παρὰ τὸν θρόνον. *In foro*, inquit, *JOVIS OLYMPII templum eſt: Sedet ipſe in ſolio, propè aſſiſtente MINERVA.* Quid magis ad Numiſma quadrat? Minerva, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in bellum tendit, an ob Gentis fortitudinem? Fortaſſis, inquit DULODORUS, eôdem enim Pauſaniâ in Phocicis docente, gravi armatura omnium ſcientiſſimè uſi fuerunt. De Metrodoro Menecleos filio, qui in Numiſmate deſcribitur, non habeo quod dicam, Menecles quidem in Inſcriptione Attica apud Sponium in Miſcell. p. 315. proſtat, & Metrodorus Chius Euſebio de Præparat. Evangel. memoratur, ut Abderiten, & Lamſacenum, & Nicomedienſem, de quibus alii, taceam; Sed quid huc faciant? ſi non, ut nomina Græcorum ea fuiſſe intelligas? Subit

ÆGIUM

ÆGIUM
CUM
PELOPONNESI PARTIBUS ET FIGURA.



SImilia ferè Numiſmata, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, nuper protulit Cl. de Wilde, ſed absque omni inſcriptione. Peloponnenſium ait eſſe, idque ob teſtudinem, quòd Peloponnenſes, ob promontoriorum maxime inſigne Chelonatem, Urbem proximam *Chelonen* nominaverint, unde & Prætor Romanus eos teſtudini comparaverit, teſtibus Liviò & Plutarchò. Hactenus recte, ſubjecit DULODORUS, & addere potuiſſet, quòd Cœl. Rhodiginus obſervat, Nummos hos & ipſos, ab incusâ animalis formâ, *Chelones* dictos: Et ſi obolum Eupolis, certe ego non minore Εὐπρεπείᾳ Numiſma noſtrum *Callichelonum* dixerim, addidermque, quòd proverbio dici ſolet, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι, *Virtutem & Sapientiam teſtudines ſuperant*, uti apud Julium Pollucem eſt: adeò videlicet Teſtudinis honos crevit, ut & Veneris in Cnide teſtudinem Plutarchus memoret, & Geſnero in Hiſt. Animal. p. 139. obſervante, Mulieres teſtudineas imagines ſecum geſtaverint.

Jacobus de Wilde, perrexit ARCHÆOPHILUS, expreſſis in teſta globulis, partes Peloponneſi adumbratas agnoſcit, non minus ac averſæ ſegmentis. An tale quid etiam in propoſito? Si arbitreris, inquit DULODORUS, per me licebit, Peloponneſum enim, & in quinque, & in octo partes diviſam fuiſſe, idoneô Authorum ſuffragiò ſtabiliri poteſt, & in Numiſmate noſtro teſtudo quinque in medio teſtæ, ad utrumque autem latus octo particulis inſignis eſt; Sed hæc forſitan nimis curiose. In averſa res clarior eſt, ad quam non tantùm Thucydides: οἱ Λακεδαιμόνιοι Πελοποννήσου τὰ πέντε τὰς δύο μοίρας νεμονται. *Lacedæmonii ex quinque Peloponneſi partibus duas colunt.* Sed & Pauſanias princ. Eliac. priore, ὅσοι δὲ Ἑλλήνων Πελοποννήσου πέντε εἶναι μοίρας καὶ οὐ πλείους φασὶν, ἀναγκη σοφῶς ὁμολογεῖν, ὡς ἐν τῇ Ἀχαΐδι οἰκοῦσι Ἦλεῖοι καὶ Ἀρκάδες, δευτέρα δὲ Ἀχαιῶν, τρίτης δὲ ἐπὶ τούτοις οἱ Δωριέων. *Græcorum quicunque Peloponneſum in quinque duntaxat partes dividunt, ii fateantur neceſſè eſt, in ea parte, quæ eſt Arcadum, Eleos & Arcadas ipſos habitare, ſecundam verò Achæorum, tres deinde reliquas Dorienſium eſſe.* Cœterùm, cur Ægienſes in Nummis eôdem Symbolô uterentur, quò Peloponnenſes univerſi, cauſam alibi ex eodem Pauſania aperui, quòd ſcil. non Achæi tantùm, ſed & reliqui Peloponnenſes, publicè conſulturi, Ægii convenerint. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed non item de Piſce, quem in hoc Nummo expreſſum video, procul dubio vel ad ſitum pertinebit, vel certè ad Neptuni cultum Ad utrumque reſpicere poteris, reſpondit DULODORUS, Ægium enim Urbs maritima fuit, & frequens Neptuni, ut in tota Peloponneſo, ita & Ægii fuit cultus. Pauſanias Neptuni ſignum mox juxta Herculem, mox proximum Veneri, Ægii fuiſſe memorat, ταῦτα ἔστι μὲν Ποσειδῶν καὶ Ἡρακλῆς, &c. & paulò poſt, πρὸς θαλάσσῃ δὲ Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐν Αἰγίῳ. Καὶ μετ' αὐτῶ Ποσειδῶνος. Relicto Peloponneſi nos excipit

LEU-

NUMISMATA

LEUCAS
CORINTHIORUM COLONIA.



NUmiſmata propoſito ſimilia, inſit ARCHÆOPHILVS, niſi fallor, Paruta ad Leucaspin Siciliæ refert. Nullâ ratione id facit, reſpondit DULODORUS, cùm pro Leucade & Nummus & hiſtoria militent. Pegaſum ad Corinthum pertinere, eò quòd Minervæ operâ, in ejus montibus Pegaſum frenarit Bellerophon, notius eſt, quàm ut probari debeat: Et de Leucade Corinthiorum Colonia apertum eſt Thucydidis teſtimonium: Τῆς θαλάσσης ἁπάσης ἐκράτουν τῆς κατ' ἐκεῖνα τὰ χωρία οἱ Κερκυραῖοι, καὶ πλεύσαντες ἐς Λευκάδα τὴν Κορινθίων ἀποικίαν. *Corcyræi imperium totius maris, quod eſt in illis Regionibus, adepti ſunt, & navibus ad Leucadem, Corinthiorum Coloniam profecti*, &c. At ſequentia

Leucadiorum Numiſmata, excepit ARCHÆOPHILUS, aliô planè Artificii genio procuſa ſunt. Id nihil impedit, reſpondit DULODORVS, cùm diverſa tempora artificii diverſitatem inducant. In his Nummis rernavalis uſus conſecratur, id quod ex navi liquet, & ex eodem Thucydide demonſtratur, cui addi poteſt & Herodotus, Homerum memorans à Menti, *Nauclero Leucadio*, Smyrnâ avectum. Non de hoc, inquit ARCHÆOPHILVS, ſed de muliere averſæ ego dubitarem; Licet enim Cervus & Luna Numiſmatis quarti, hanc Dianam perſvadeant, neſcio tamen quid ei acroſtirium conveniat? Nonne recordaris, excepit DULODORVS, quod ſupra ad Numiſmata Bruttiorum docui, Dianam portubus præfuiſſe? Hinc ſanè ad oculum patet, ternum hîc Dianæ officium adumbrari. Et cum averſæ navis de peritia navali teſtetur, quid mirum, ſi & *portuum inſpectricem* Leucadii coluerint? Mihi ſane de Aquila res obſcurior videtur, quanquam dubium non ſit, quin vel ad Jovem, vel ad Romanos

Leuca-

Leucadis Dominos pertineat. Ita & Laurea apertè ad Apollinem respicit, quem *Leucatam* dictum, ex Strabone constat, qui de annuo Apollinis sacrificio plura docebit. Apollinis in Leucade templum memorat etiam Thucydides p. 236. De Apolline res clara est, inquit ARCHÆOPHILUS, uti & de Pavone Numismatis quarti, qui Virginem tàm perditè amasse, Athenæo memoratur, ut illâ e vivis sublatâ, & ipse fuerit mortuus. De Cornucopiæ adhuc quæsierim; Nihil ad id habeo, respondit DULODORUS, si non vinum Leucadium, cujus idem Athenæus meminit: appositè sanè, cùm Uva utrinque ex cornu dependeat. Succedunt.

CORCYRÆI
EX SICILIA ORIUNDI,
BACCHIQVE ET HERCULIS PRAESENTIA,
NAVALIQVE GLORIA CELEBRES.



DE Gloria Navali, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Thucydide docuisti, quo authore non tantum centum & viginti Naves habuere, cùm bellum contra Corinthios inchoarent, sed & Navibus octoginta, pugnâ Navali commissâ, egregie vicerunt. Non recens ea Gloria fuit, excepit DULODORUS, Homerus ubicunque Phæacum meminit, quô nomine Corcyræi antiquitùs vocabantur, meminit etiam peritiæ Navalis. Ita Odyss. VII. ℣. 108.

Τόσσον Φαιήκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν
Νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, &c.
Quantum Phæaces supra omnes periti sunt homines
In celeri Nave per pontum navigando.

Ita L. VI. ℣. 270. Nausicaa Ulyssi patris domum describens:

Οὐ γὰρ Φαιήκεσσι μέλει βιὸς, οὐδὲ φαρέτρη
Ἀλλ' ἱστοὶ καὶ ἐρετμὰ νεῶν καὶ νῆες ἔισαι,
Ἠισιν ἀγαλλόμενοι πολιὴν περόωσι θάλασσαν.
Non enim Phæacibus curæ est arcus, neque pharetra,
Sed mali & remi Navium, & Naves æquatæ,
Quibus freti penetrant spumosum mare.

Ita Ναυσικλυτοὶ, *Navibus inclyti* vocantur eidem Lib. VII. ℣. 39. Φιλήρετμοι *remorum studiosi*, Lib. VIII. ℣. 96. δολιχήρετμοι, *longis remis utentes* ℣. 191. Ita & navibus dicuntur freti ὠκείῃσιν *velocibus*, Lib. VII. ℣. 33. Et L. VIII. ℣. 555. seqq. Νῆες Alcinoo jactantur τετυσκόμεναι φρεσὶ, *Naves observantes mentibus*, quæ sciant propositum, & mentem virorum, & omnium sciant Urbes, & pingues agros hominum, & undas celerrimè maris transmittant.

De Navi in Numismate expressa, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc abundè instruunt, sed de Hercule vellem audire, hunc enim in Corcyra fuisse, nondum legi. Apollonius, inquit DULODORUS, L. IV. Argonauticῶν rem edocet:

Οὐ μὲν ἔτι ζώοντα καταυτόθι τέτμον ἄνακτα
Ὕλλον, ὃν ἐυειδὴς Μελίτη τέκεν Ἡρακλῆι,
Δήμῳ Φαιήκων. Ὁ γὰρ οἶκία Ναυσιθόοιο
Μάκριν τ' ἐισαφίκανε, Διωνύσοιο τεθήνην
Νωλεμέως παιδῶν ὀλοὸν φόνον. Ἔνθ' ὅγε κούρην
Αἰγαίου ἐδάμασσεν ἐρασσάμενος ποταμοῖο
Νηϊάδα Μελίτην, ἡ δὲ σθεναρὸν τέκεν Ὕλλον.

Sed haud jam vivum illic offenderunt Regem
Hyllum: quem formosa Melite peperit HERCULI
APUD PHÆACAS. Hic enim ad domum Nausithoi
In Macrin pervenit, Bacchi cunabula,
Ut lustraret Natorum diram cædem, atque hoc filium
Ægæi amnis domavit amore captus
Najadem Meliten: quæ validum peperit Hyllum.

Ex hoc loco utique apertè docemur, non tantùm Herculem in Phæacia, sive Corcyra fuisse, sed & Bacchum, cujus in Numismate secundo Urna est; Eadem enim & Phæacia, & Corcyra, & Macris, & Scheria dicebatur. Et Macris quidem, & Scheria à Bacchi nutricibus, uti Scholiastes ait: Μάκρις ὠνομάσθη ἀπὸ Μακρίδος τῆς Διονύσου τροφοῦ: Et alibi: Μάκρις τὸ Παλαιὸν ἐλέγετο Σχερία, ὠνομασμένη ἀπὸ τῆς Διονύσου τροφοῦ Dionysii, sive Bacchi, excepit ARCHÆOPHILVS, in Corcyra templum ex Thucydide, & vinum Corcyræum ex Athenæo producit Nonnius: Et ego etiam ad vitam voluptuosissimam respexerim, cujus non Athenæus tantùm, sed & Horatius Ep. II. Lib. I. meminit. Imò & apud Homerum Convivia Phæacibus grata legas. Legas & *pocula*, excepit DULODORUS, quibus Phæacum Proceres libabant: Et *vineam* in descriptione horti Alcinoi, quæ omnia ad Urnam, afflictasque utrinque Uvas, non parum lucis adferunt.

Urnam Tu hanc statuis? inquit ARCHÆOPHILUS, & tamen bibacitatis symbolum arbitraris? Statuo & arbitror, respondit DULODORUS, idque ex Juvenali, Sat. XV.

Tam vacui capitis populum Phæaca putavit
Sic aliquis meritò nondum ebria, & minimum qui
De CORCYRÆA temetum duxerat URNA.

Sed de Stella res hactenus obscura est; licet enim Solem eâ adumbrari haud invitus agnoscam, ideò tamen in Nummo expressam, quòd Sol cum Baccho idem sit, fragile est. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILVS, ratio à poculo desumi debet; Solem enim poculo vehi, figmentum Veterum fuisse, Casaubonus ad Athenæum pag. 789. testatur. Non hoc, respondit DULODORUS, imò Phæacum origo sub Sole latet. Recordaberis, quod ad Nummos Syracusanorum dixi, Siciliam *Solis Insulam* vocatam, Odyss. M. ℣. 261. 269. 274. & ex Sicilia Phæaces oriundos constat, ex Odyss. VI. ℣. 2. seqq.

— — Αὐτὰρ Ἀθήνη
Βῆ ῥ' ἐς Φαιήκων ἀνδρῶν δῆμόν τε πόλιν τε.
Οἱ πρὶν μὲν ποτ' ἔναιον ἐν εὐρυχόρῳ Ὑπερείῃ,
Ἀγχοῦ Κυκλώπων, ὑπερηνορεόντων,
Οἳ σφέας σινέσκοντο, βίηφι δὲ φέρτεροι ἦσαν.
Ἔνθεν ἀναστήσας ἄγε Ναυσίθοος θεοειδὴς,
Ἵζεν δ' ἐν Σχερίῃ.

— — *At Minerva*
Ibat ad Phæacum populum atque Urbem,
Qui

Qui antea habitabant in ſpatioſa Hyperia
Prope Cyclopas, viros ſuperbientes,
Qui eos deprædebantur, quum viribus forent potiores,
Hinc eos deduxit Naujithous Deo ſimilis,
Collocavitque in Scheria.

Nihil hìc de Sicilia, inquit ARCHÆOPHILUS. De Hyperia loquitur Poëta, de qua adhuc dubium eſt, quinam locus intelligatur? Quisnam intelligatur, reſpondit DULODORUS, oſtendere conantur Homeri Commentatores, Didymus, & Euſtathius. Ὑπέρεια, inquit Ille, οἱ μὲν ἐν Σικελίᾳ Καμαριναῖοι; & Hic, τὴν δὲ Ὑπερείαν πόλιν Σικελίας, τινὲς φασι τὴν ὕστερον Καμαρίναν. *Hyperiam quidam Siciliæ Urbem ajunt eſſe, Camarinam poſteris dictam.* Imò non hoc tantum, excepit ARCHÆOPHILUS. Addunt & aliorum opiniones. Οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ὑπὲρ τὴν ἡμῖν γινωσκομένην, ἄλλοι δὲ ὅτι ἦν νῆσος πρότερον πλησίον τῆς τῶν Κυκλώπων χώρας. *Alii*, inquit idem Didymus, *conſictum ſic vocabulum ab eo, quod ultra nobis cognitam terram ſitus ſit locus: Alii Inſulam prius fuiſſe putant, propè Cyclopum terram.* De Inſula, reſpondit DULODORUS, habet & Euſtathius, non autem opinionem approbat, ſed rejicit. Οἱ δὲ νῆσον, inquit, πλησίον τῆς τῶν Κυκλώπων χώρας. Σημειώσαι δὲ, ὅτι οὐ συντρέχειν δοκοῦσι τῷ ποιητῇ οἱ τὴν Ὑπέρειαν νῆσον λέγοντες. Πῶς γὰρ ἂν νησιῶται ὄντες οἱ ἐν αὐτῇ ὑπὸ Κυκλώπων ἐβλάπτοντο, οἷς νῆες οὐκ ἦσαν κατὰ τὴν Ὁμηρικὴν ἱστορίαν. *Alii*, inquit, *Inſulam volunt propè Cyclopum terram. Nota autem, quod minimè cum Poëta conſentire videntur, qui Hyperiam Inſulam eſſe dicunt; quippe ſi Inſulani fuère ejus incolæ, quomodo a Cyclopibus infeſtari potuerunt, ut quibus, ſecundum Homeri traditionem, naves fuere nullæ?*

Hæc Euſtathius, inquit ARCHÆOPHILUS, usque perſuaſus Cluverius & ipſe pro Sicilia ſenſerat; Sed re accuratius perpensâ, ſub Hyperia non Siciliam, ſed Meliten intellexit. En verba in Sicilia antiqua L. II. c. 16. *Apud Camarinam*, inquit, *amnis cum antiquis temporibus appellatus ſit Hipparis, fictam inde eſſe omnem Homero, de Hyperia Phæacum ſede, fabulam ſupra Lib. I. c. 14. ſuſpicatus ſum; at hic autem affirmare, Grammaticos quosdam, Poëtæ interpretes, ex amnis vocabuli ſimilitudine conjecliſſe, circa Camerinam fuiſſe illam Hyperiam, quum ipſe Poëta intellexerit, νῆσον πλησίον τῆς τῶν Κυκλώπων χώρας. Inſulam Cyclopum terræ vicinam, ut alii tradiderunt ejus interpretes, nempe Melitam in conſpectu Siciliæ Cyclopum terræ ſitam.* Scio Cluverii placitum, reſpondit DULODORUS, ſed juxta ſcio, nullò authore eum de Melite ſentire. Ex verbis Apollonii, quæ citat, quæque & ego ſupra ad Herculem recitavi, Meliten quidem Najadem, in Macri ſive Corcyra ab Hercule imprægnatam, Hyllum peperiſſe diſcimus, idque regnante Nauſithoo, quò ductore Phæaces ex Hyperia migrârant; ſed ex Melite, Inſula Africæ, Phæaces migrâſſe, id non diſcimus: imò potius contrarium inde apparet, quòd Melite non ſimul advecta, ſed Ægæi Phæaciæ amnis filia memoretur. Inde utique probabile eſt, ab hac Nympha etiam Μελιτεῖον Ὄρος, *Meliteum* in Corcyra *montem* appellatum eſſe. Imò & Inſulam Maris Adriatici juxta Illyricum ab ea deduxeris; Quid autem hoc ad Inſulam Africæ, ex Hypotheſi Virgine priorem? An quòd nomen idem eſt? at eadem nomina diverſas etymologias recipere, novi nihil eſt. Ira Melite, ſi Græcum ſit, ἀπὸ τοῦ μέλιτος, aut *melle* commode deducetur: ſi Punicum, quod Cel. Bochartus arbitratur, à *refugio*, quod Pœnorum linguâ מליטה *Melita* dicitur. Illud ſane Virgini & monti, hoc autem Inſulæ Africæ perquam convenit. Et quid ſi ex Hyperiæ Epitheto Inſula Africæ excludatur? Εὐρύχορος *ſpatioſa* vocatur; At Melite non ſpatioſa, ſed anguſta eſt, utpote quæ longitudine XX, latitudine XII, circuitu LX, millia paſſuum, haud amplius, vel ipso Cluverio agnoſcente, obtinet.

Video opinionem de Melite non procedere, inquit ARCHÆOPHILVS, cùm autem Camarina, utpote unica Urbs, nec ipſa Εὐσύχορος fuerit, neſcio, an & hanc agnoſcere poſſim. Ego, reſpondit DULODORUS, licet Phæaces olim Regionem Camarinenſium, utpote Gigantum, qui in Leontinis habitârunt, vicinorum, coluiſſe non negem, ſub Hyperia tamen ſolam Camarinenſium Regionem latere, mihi imaginari non poſſum; Imò potiùs totam Siciliam eô vocabulô indigitari mihi firmiter perſvadeo, idque ideò, quòd Sicilia, ut ſupra diximus, eidem Homero Νῆσος Ηελίοιο *Inſula Solis*, Sol autem Υπέριον nominetur, Odyſſ. XII. ℣. 133. 346. 374. &c. Opinio eò firmior eſt, quò clarius non tantùm vocis etymon, & authoritas Poëtæ, ſed & ipſa Numiſmata, procul dubio ad Origines Gentis reſpicientia, eam confirmant.

De Sole dum loquitur DULODORUS, Sol radios ſuos, etiam non ſentientibus ſubtraxit, breviore hâc vice colloquio, quòd Prandium longiuſcule extractum id tardius ordiri ſiviſſet. Tempore igitur excluſi, domum regrediebantur, cùm ecce, PHILOPYRGUS deſcendentibus obvius, Aulam Electoralem Hallam profectam nunciavit, Academiæ, quam eò loci FRIDERICUS III. Glorioſiſſimus Brandenb. Elector fundaverat, auguſta ſolennis inaugurationis daturum auſpicia. Inceſſit ARCHÆOPHILVM, rem inſolitam videndi cupido, ideòque DULODORUM, ut Numiſmatum contemplationem ad reditum ſuum differret, enixè rogavit, eôque, quâ humanitate par eſt, voluntati aſſurgente, præmiſsâ gratiarum actione valedixit, & cum PHILOPYRGO, itineri ſe in craſtinum accincturus, abiit.

I. C. S. ſc.

Ualis, Caſtalias volucer cùm Pegaſus undas,
Inter Pieridum plauſus, Phœbique Triumphos
Solveret, Aonio deſcendit vertice Pallas.

Talis ARCHÆOPHILUS, finitâ Inauguratione Academiæ Hallenſis, ad DULODORUM reverſus, Diis, inquit, hæc digna fuére ſpectacula! Non Romana Majeſtas concinniore pompâ Capitolii culmina ſubivit: Non Perſarum Magnificentia, lautiore apparatu confluentes undique populos excepit: Non Diviniore Eloquio vocaliſſimæ Græcorum Cathedræ perſonuére! Advenit ELECTOR, Jovis inſtar, Olympum reviſentis: In templum progreſſus eſt, inſtar Solis, inter fulgentia Imperii ſui & inſignia & agmina! Heliconem occupavit, tanquam alter Phœbus, Florentiſſimus ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆRES. Svadam ipſam videre mihi viſus ſum, cùm meritis & Eloquiò gratioſiſſimum, Per-Illuſtrem FUCHSIUM, aureo ore perorantem audirem: SemiDeorum conſeſſum, cùm PRINCIPUM & MINISTRORUM ELECTORALIUM Jubar: Græciæ Sapientes, cùm PROFESSORUM ordines: Ipſum etiam Univerſi confluxum, cùm ferventes undique Studioſæ multitudinis myriades. Quid Academiæ inſignia loquar? quid Profeſſorum habitum, Aulæque Electoralis ſplendorem? Auro & purpura fulgebat, quicquid intuebar: Martis Phœbique concentus erat, quicquid audiebam. Non Tubarum Tympanorumque clangor, non Tormentorum tonitrua deerant: Non Muſicæ Vocalis, non Inſtrumentalis dulcedo. Nectar & Ambroſiam hæc comitabantur, Electorali munificentiâ in Myriades ſparſam, tantâ Ubertate, ut menſis etiam remotis, hìc terreſtrium, illic ſubterraneorum, alibi Aquaticorum Geniorum miſcerentur & jubila & plauſus!

* Poëticè rem exaggeras, inquit DULODORUS, & ſi Tui ſimiles etiam alii ſint, dubium non eſt, quin *Fama Novi Fontis* brevi utrumque terræ hemiſphærium impletura ſit. Illud tamen ad ejus Gloriam mihi oblitus videris, quòd dies Inaugurationis, idem & ELECTORIS noſtri natalis fuerit, unde non mi-

nore auſpicio Academia hæc FRIDERICIANA audit: Quòd inter bellorum neceſſitates, quibus alibi Academiæ paſſim everruntur aut languent, fuerit erecta: eaque cum pompâ, quâ vix inter affluentiſſimas pacis divitias potuiſſet: Quod conatu etiam priſcis Electoribus, licet tentato, nimis tamen arduo: Quòd non penuriâ Studiorum, cum Tres Aliæ ſub felicitſſimo Electoris noſtri regimine jam dudum floruerint, & quæ Dei benignitas eſt, adhuc floreant. Generoſa indoles opertet fuerit, excepit ARCHÆOPHILVS, quæ rem, licet glorioſam & utiliſſimam, difficilem tamen, & tot annorum decurſu quaſi obliteratam, tam iniquò tempore Sereniſſimo ſvadere ſuſtinuit. Illuſtriſſimi EBERHARDI à DANCKELMANN ea eſt, reſpondit DULODORVS; Is enim, licet merita ſua ſolitô more fileri malit, quam vulgari, primam tamen rei mentionem fecit: Privilegia Pontificialia, Reverendiſſimo ex Domo Elect. Brandenb. Moguntinenſium Electori, eorumdemque & Magdeburgenſium Archipræſuli, Romanæque Eccl. Cardinali ALBERTO, jam ante 130. annos conceſſa, produxit, communicatisque cum Per-Illuſtri SPANHEMIO, cujus ſtupendæ & Eruditio & Prudentia Aulæ Elect Brandenb. glorioſiſſimæ ſunt, conſilus, eò usque promovit, donec, quem ipſe contemplatus es, ad exitum deducerentur. Agnoſcis hîc Divinam Illuſtriſſimi pectoris fidem! Agnoſcis Virilem & animum & prudentiam! Quod Electori Glorioſum, Reipublicæ ſalutare eſt, id nullis temporum anguſtiis, nullis duficultatibus prohibetur quin perficiat.

Urbis, inquit ARCHÆOPHILUS, & ſitus & amœnitas incremento favent. Si tantis reditibus proſpectum eſt, quantâ magnificentiâ Inauguratio peracta, perennis erit ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ vigor. Subriſit DULODORUS, & Tunc, inquit, de reditibus dubitas, tantâ potentiâ inſtitutum ſufflaminante? Proſpectum eſt, & quidem communi Statuum conſenſu, & de largiſſimis, & ne unquam deficere poſſint, aut ſpes plurium intercluderetur, conſtituti ſunt CURATORES, non mediocris fortunæ, ſed ex Miniſtris Electoralis Gloriæ præcipuis, alter Per-Illuſt. RETIUS, ut Juris Conſultiſſimus, ita Pacis artium, ſi quisquam alius, callentiſſimus: Alter Per-Illuſt. DANIEL LUDOLPHUS à DANCKELMANN, ut ſupremus bellicarum impenſarum Director, ita & ſingularis Literarum Literatorumque & Decus & Mœcenas. Intelligis ARCHÆOPHILE, ſub tanto præſidio ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ reditus nec pace nec bello defuturos. Nos votô perpetuæ felicitatis, quâ nos ſubmiſſione decet, undique nuncupatô, ad inſtatutum revertemur, diu enim nos Græcia exſpectat,

Maxima terra Virîs, & fœcundiſſima doctis
Urbibus. — —

In qua Helicon, & Studiorum Mater Athenæ: adeò ut non ſine DEO & nobis Studiorum hîc inciderit mentio. Sed Principium grave eſt, & grave litus ingredientibus objicit

DYR-

DYRRACHIUM CORCYRÆORUM COLONIA.



DYrrachium, excepit ARCHÆOPHILVS, Corcyræorum Coloniam esse, ex Thucydide constat; quid autem hoc ad Numismata? Multum, inquit DULODORVS; cùm enim similia etiam à Corcyræis procusa apud Goltzium prostent, procul dubio judicabis, & Coloniæ Originem his adumbratam, & interpretationem non apud Dyrrachinos, sed apud Corcyræos quærendam esse. An inveniri possit dubito, repositit ARCHÆOPHILVS; Goltzii enim interpres Nonnius se rem nescire ingenuè fassus est. *Quid adversa Numismatum pars designet,* οὐδὲν, inquit, ἐρίζω. *Peritiores explicabunt.* Peritiæ equidem gloriam, respondit DULODORUS, meritissimo de Deliciis nostris Viro libenter cesserim. Sed recordaberis, alibi me schema in Numismatibus his expressum ad Alcinoi Hortos retulisse, eamque opinionem Nobil. etiam JACOBI de WILDE calculò probari, quanquam me authorem reticeat. Recordor, inquit ARCHÆOPHILVS, sed ego de rationibus quæsierim. Rationes, inquit DULODORUS, in propatulo jacent. Primò extra dubium pono, schema hoc hortum præfigurare posse; Quis enim nescit, non tantùm hodiè, sed etiam vetustis temporibus, variatos & terrarum & plantarum ductus, hortorum planities distinguere solitos? Quis nescit, vel muris, vel virgultis circumcirca solitos

custo-

cuſtodiri? Illud in Numiſmatibus noſtris interiores biſecti quadri lineolæ adumbrare videntur, hoc exterius quadratum lineolis illis circumductum, intra quod & interior via includitur deambulationibus oportuna, præcipuô hortorum poſt fructus delectamentô. Hæc ſi mecum agnoſcas Archæophile, haud difficulter opinor fateberis & de Horto Alcinoi, cum adjectum in Goltzianis Corcyræorum nomen eum apertè determinet; Corcyra enim Alcinoi Regnum erat, hortorumque illius natale ſolum. Nondum perſvades, inquit ARCHÆOPHILVS. Hortus Alcinoi non tam artificioſis plantarum ductibus, quàm arborum feracitate celebratur. Sylvas & Pomaria legis apud Poëtas:

Pomaque & Alcinoi SYLVÆ,

memorantur Virgilio Georg. III. & Pap. Statius Lib. I. Sylv. 3. exclamat,

Quid biſera Alcinoi referam POMARIA? vosque,
Qui nunquam vacui prodiſtis in æthera, rami?

Propertius Lib. III.

Nec mea Phæacas æquant pomaria SYLVAS.

Et Ovidius Amorum L. I. El. 10.

Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Omnia Hæc, reſpondit DULODORUS, ex Homeri immenſo Oceano defluxerunt, meritò igitur & hujus verba producimus, prolixa quidem, ſed uberrima deſcriptione jucundiſſima. Ita habent:

Ἔκτοσθεν δ' αὐλῆς μέγας ὄρχατος ἄγχι θυράων
Τετράγυος. Περὶ δ' ἕρκος ἐλήλαται ἀμφοτέρωθεν.
Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
Ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι αἰγλαόκαρποι
Συκαῖ τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται οὐδ' ἀπολείπει
Χείματος οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος ἀλλά μαλ' αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει ἄλλα δὲ πέσσει.
Ὄγχνη ἐπ' Ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ
Αὐταὶρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.
Ἔνθα δὲ οἱ πολύκαρπος ἀλωὴ ἐρέζωται.
Τῆς ἕτερον μὲν, θειλόπεδον λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
Τέρσεται ἠελίῳ ἑτέρας δ' ἄρα τε τρυγόωσιν.
Ἄλλας δὲ τραπέουσι. Παρόιθε δὲ τ' ὄμφακές εἰσιν.
Ἄνθος ἀφιεῖσαι, ἕτεραι δ' ὑποπερκάζουσι.
Ἔνθα δὲ κοσμηταὶ πρασιαὶ παρὰ νείατον ὄρχον
Παντοῖα πεφύασιν, ἐπηετανὸν γανόωσαι.

Extra verò aulam ingens hortus prope januas
Quatuor jugerum, circa autem SEPTUM deductum erat utrinque.
Ibi verò arbores proceræ creſcebant florentes,
Pirus & malus punica, & alii mali pulchrum fructum producentes,
Ficusque dulces, & Olcæ vireſcentes.
Ex iis fructus nunquam perit, neque deficit
Hyeme neque æſtate, totô annô durans, ſed ſemper
Zephyrus ſpirans alia recentia procreat, alia ad maturitatem producit.
Pirus ſuper pirum ſeneſcit, pomum ſuper pomum.
Porrò ſuper uvam uva, ficus autem ſuper ficum.
Ibi autem ei fructuoſa VINEA plantata eſt,
E qua aliud quidem apricum plano in loco
Siccatur Sole, alias autem vindemiant

Alias

Alias autem calcant, ante verò Uvæ immaturæ ſunt
Florem mittentes, nonnullæ verò ſubnigreſcunt tantùm.
Ibi EXCULTÆ AREOLÆ ab extrema parte
Omnis generis producuntur, totô annô florentes.

Duo ex his Poetæ verbis veniunt notanda, propoſitis Numiſmatibus conveni-entiſima; Primò enim memoratur *Septum*, quod exteriore quadratò præfiguratum credi poteſt: Deinde, quod vel ſolum mihi rem conficit, memorantur *excultæ & florentes areolæ*, quæ utique non meliore figurâ adumbrari poſſent, quam in Nummis factum cernimus. Ex his ſane apertè vides, non Sylvas tantum & Pomaria, ſed & Hortos cultis areolis diſpoſitos, imò & Vineam Alcinoi fuiſſe. De Vinea in ſequentibus dicemus. Hic de Vacca & lactante vitulo diſquirendum. Vacca, inquit ARCHÆOPHILUS, Nonnio agrorum felicitatem deſignat, quâ ratione Corcyra Dionyſio Alexandrino λιπαρὴ *pinguis* dicatur, διὰ τὸ πολύκαρπόν τε καὶ εὔκαρπον, *quod egregiè ſit fructuoſa & fertilis*, uti Euſtathius Commentator loquitur. Ratio non ſufficit, reſpondit DULODORUS; Armentorum potiùs ſubeat memoria, quorum Vacca cum lactante vitulo ſignum naturale eſt. Armentis Corcyram nobilem, vel inde colligas, quòd Taurus aliquando, aliis Bobus relictis, verſus pelagus editô mugitu, Thynnorum præſentiam arguit, id quod cauſa Corcyræis fuit, ut Bovem tam Olympiam, quam Delphos mitterent, uti Pauſanias in Phocicis memorat. Si rem in Numiſmate deſideres, inſpice ſequentium *primum*.

In quo non Vacca cum lactante vitulo occurrit, sed Taurus dimidiatus eô habitu, quô mugitus edentes solent. Non Taurus tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, sed & Tripos adjectus est, uti & in *secundo* & *tertio*. Tripos ad Apollinem spectat, respondit DULODORUS, cui Taurum Corcyræi dedicârunt. In *secundo* etiam corona hederacea visitur, Bacchi insigne, quem in Corcyra cultum, suprà dictum est. In Nummo *quarto*, *quinto*, & *sexto*, est vel Caput Radiatum, vel Stella: Solem hæc adumbrant, pertinentque ad Solis Insulam, sive Siciliam, utpote Corcyræorum originem. Numismata *septimum*, & *octavam*, Æsculapii honores præferunt. Serpentem baculo circumvolutum & Gallum Æsculapio sacrum quis nescit? Sequentibus in Nummis,

Bacchi & Cereris insignia radiant, Bacchi sub uva, & Cereris sub spica. Bacchi in Corcyra templum ex Thucydide adduximus, ad Cereris spicam Polybius & Appianus se sistunt: Ille Illyrios memorans *specie frumentandi* Dyrrachinis insidiatos, Hic Dyrrachium, *Pompeji promtuarium* appellans. In sequentibus,

inquit

inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Clava Herculis, & Tridens Neptuni visuntur. Etiam hi, respondit DULODORUS, Dyrrachinorum Dii fuere: Neptunus quidem, non tantùm quòd Nausithous, Phæaciæ Rex, ejus filius fuit, sed etiam quòd Dyrrachus, à quo Dyrrachii nomen. Illud apud Homerum Odyss. VII. ℣. 61. hoc apud Appianum legitur. Ita duplex consideratio locum habet, uti & ad Herculem; Hic enim Phalli Corinthii, quô ductore Dyrrachini ex Corcyra profecti sunt, progenitor Thucydidi memoratur: Et apud eundem Pausaniam, Dyrrachio bellanti adfuisse legitur, tantos ibidem honores consecutus, ut & Epidamniorum donum apud Pausaniam fuerit. In Numismate *quarto* & *quinto*, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor Apiaria sunt. Sunt, inquit DULODORUS, & quidem in memoriam Melisses, Dyrrachii matris, de qua Stephanus: Δυρράχιον, inquit, πόλις Ἰλλυρική, Ἐπίδαμνος κληθεῖσα ἀπὸ Ἐπιδάμνου. Τούτου θυγάτηρ Μέλισσα, ἧς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος Δυρράχιος, ἀφ' ἧς τόπος Μελισσώνιος, ἔνθα Ποσειδὼν αὐτῇ συνήλθεν. *Dyrrachium Urbs Illyrica, Epidamnus vocata ab Epidamno. Hujus filia Melissa, cujus & Neptuni Dyrrachius, à qua locus Melissonius, ubi Neptunus cum ea congressus est.* Verba Stephani, excepit ARCHÆOPHILUS, manca & ex Constantino Porphyrogenneta Lib. II. de Them. 9. restituenda esse, Thomas de Pinedo tradit. Non ad Melissam hoc tradit, inquit DULODORUS, sed ad Neptunum, qui Constantino *Dyrrachius* cognominatur, quod & ipsum ad Numismata faceret; sed notandum non Stephanum tantùm, Dyrrachium Neptuni filium statuere, sed & Appianum, cujus en Tibi & ipsius verba! Βασιλεὺς τῶν τῇδε Βαρβάρων Ἐπίδαμνος πόλιν ὤκισεν ἐπὶ θαλάσσης, καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ προσείπεν Ἐπίδαμνον. Τούτου θυγατριδοῦς Δύρραχος νομιζόμενος εἶναι Ποσειδῶνος, ἐπίνειον ὤκισε τῇ πόλει καὶ Δυρράχιον ὠνόμασε. *Epidamnus Barbarorum, has terras incolentium Rex, Urbem propè Mare condidit, appellavitque de suo nomine. Ejus ex filia nepos Dyrrachus navale conditæ Urbi addidit, vocavitque Dyrrachium.*

Duo adhuc ad Numismata restant, subjecit ARCHÆOPHILUS; in Numismate *quinto* Fax est, & in *sexto* Mulier cum face. Dianæ hæc sunt insignia,

respondit DULODORUS, de qua paulò post, nisi potius & ad morem Phæacum respicias, de quo Homerus. Odyss. VII. ℣. 339. de Æetes ancillis locutus:

Αἱ δ' ἴσαν ἐκ μεγάροιο δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσαι.

Illæ vero ibant ex ædibus facem in manibus gestantes.

Nimis abjecta ratio est, regessit ARCHÆOPHILUS, de Diana magis placet, nisi & Cereris recorderis, cujus in *quinto* spica visitur. Quicquid sit, respondit DULODORUS, Dianæ tamen mentio etiam in aliis prostat.

Quid enim Cuspis Numismatis *primi?* quid Canis *secundi?* quid Pharetra *tertii?* Annon hæc Dianæ sunt insignia? cujus templum Dyrrachii fuisse, ejusdem Appiani testimoniô constat? Αυτὸς, inquit, de Cæsare locutus, ἐκ Δυρραχίου, τινὸς αὐτῷ πρασσομένης προδοσίας ἦκε μὲν ὡς συνεκέιτο νυκτὸς σὺν ὀλίγοις ἐπὶ πύλας καὶ Ἱερὸν Αρτέμιδος. *Ipse spe occupandi per proditionem jam cœptam Dyrrachii, portam ædi DIANÆ vicinam cum paucis, frustrà tamen adiit.* De Diana facile credide-

rim,

rim, excepit ARCHÆOPHILUS, sed cùm plura de Phæacum exercitiis apud Homerum jactet Alcinous, dubitem, annon etiam ad hunc referenda sit, vel cuspis vel pharetra. Neutrum dixerim, inquit DULODORUS,

Οὐ γὰρ Φαίηκεσσιν μέλει βιὸς, οὐδὲ φαρέτρη.
Non enim Phæacibus curæ fuit arcus, neque pharetra.

Uti apud eundem Poëtarum parentem Nausicaa loquitur, Odyss. VI. ℣. 270. Sed Aquila adhuc, & Fulmen, & Remus, sive gubernaculum, & Cornucopiæ observari merentur. Remus, respondit ARCHÆOPHILUS, nauticam peritiam indigitat, cujus intuitu, uti suprà vidimus, Phæaces φιλήρετμοι καὶ δολιχήρετμοι dicti sunt. De Cornucopiæ res obscurior est, nisi fortè ad Pompeji tempora respicere liceat. Cornucopiæ, respondit DULODORUS, eandem cum spica interpretationem recipit, quanquam non frumenti tantùm, sed & aliarum rerum ubertas eô indigitetur, quæ non Dyrrachii tantùm, sed & in Corcyra fuit, uti ex descriptione horti Alcinoi patet. Ita & fulmen ad Jovem fulminatorem respicit, cui Phæaces vinum libâsse, ex Homero discimus:

— — Κηρύκεσσι μέλευσον
Οἶνον ἐπικρῆναι, ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν. — —
— — *Præconibus impera*
Vinum infundere, ut & JOVI FULMINATORI
Libemus. — —

Inquit Echineus Odyss. VII. ℣. 163. seq. Ita & Aquilam cum Sceptro ad Jovem Cassium referre, quid prohibet? Plinius ejus meminit. *Corcyra*, inquit, Lib. VI. c. 12. *cum Urbe ejusdem nominis Corcyra, libera Civitate, & Oppido Cassiope, temploque JOVIS CASSII sive CASSIOPÆI*; Thucydidi etiam *lucus Jovis & Alcinoi*, L. III. p. 221. memoratur. Ex quibus omnibus clarissimè vides, quod apud Homerum Od. L. VI. ℣. 204. legimus, Phæaces scilicet Immortalibus valde caros, id quod à primo adventu deduxeris, cùm eôdem teste Odyss. VI. ℣. 10. Nausithous:

Νηοὺς ποίησε θεῶν. *Templa fecit Deorum.*

Nec dubium est, eandem Deorum venerationem etiam Dyrrachii viguisse, nihil enim mortales pertinacius retinent. Quatuor adhuc Numismata supersunt, perrexit ARCHÆOPHILUS,

Sed nihil in iis novi. Aquila Jovem, Corona hederacea & Uva Bacchum, Spica Cererem, Tripos Apollinem in mentem revocant, sed heus DULODORE!

Quid inſcriptiones obliviſcimur? Nonne & his ex hiſtoria lux affulgeat? Nomina inquit DULODORUS, Tribunorum vel Poletarum eſſe, vel etiam Monetariorum Lud. Nonnius arbitratur: Prætorum aut Præfectorum Monetæ, Rev. Harduinus. Ego Poletas rejicio, quòd unus tantùm, & quidem annuus fuerit: rejicio & Tribunos & Prætores, hos quòd nulla hactenus eorum mentio fuerit, illos quòd plures duobus exſtiterint. De Monetæ Præfectis res tutiſſima videtur, non aliò argumentô, quàm quòd Monetis impreſſa, ſummam de iis poteſtatem arguant. At inſit ARCHÆOPHILUS, an nulla nominum in Numiſmatibus his expreſſorum eſt mentio? Nominum mentionem facilè adduxero, reſpondit DULODORUS, ſed cujus uſus ea res futura eſſet, niſi ſimul & demonſtretur Dyrrachenos eos fuiſſe, id quod de ſolo Philonida potero, quem Dyrrachenum, & Aſclepiadis auditorem, Stephanus memorat?

APOLLONIA,
ET IPSA
CORCYRÆORUM COLONIA.

EAdem & originis & fertilitatis inſignia jactat, nec præter nomina, quicquam ferè in eorum Nummis tantopere occurrit memorandum. Nomina, excepit ARCHÆOPHILVS, procul dubiô & hîc monetæ Præfectorum ſunt, non minus ac in Nummis Dyrrachenorum. Sed præter nomina quædam adhuc minuta ſigna video, Lunam falcatam cum Stella, Facem & Lauream, Apim & in quinto Pharetram. Etiam in his, reſpondit DULODORUS, origines latent. Corinthiorum Coloniam Thucydides facit, Corcyræorum & Corinthiorum Strabo. Ex Monogrammatibus Numiſmatis ſecundi diſcimus, proximam originem à Dyrrachenis, remotiorem à Corcyræis & Corinthiis eſſe; indeque conſtat,

ſtat, quò referenda ſit Apis Numiſmatis quarti? Non aliò quàm ad Meliſſam Dyrrachii matrem: Quò fax & pharetra & Luna? Dianæ inſigna ſunt, cujus ædes Dyrrachii fuit: Quo Stella & Laurea? Apollinem demonſtrant, à quo Urbis nomen, & cui Corcyræos Taurum dedicâſſe, jam aliquoties audivimus, niſi & hanc ad Hyperiam ſive Solis Inſulam, primam Phæacum ut ſupra demonſtravimus, aut Corcyræorum originem referre malis. Plura adhuc Apolloniatarum Numiſmata video, inquit ARCHÆOPHILUS.

Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed præter nomina, nihil in iis novi eſt. Progredientibus occurrit

EPIRUS
JOVIS CULTU ET MAGNITUDINE BOUM MEMORANDA.

JUpiter ſacrataque Jovi Quercea cum Aquila Κεραυνοφόρῳ, ad Dodonæum pertinet, cujus in Epiro celebre Oraculum, Sylva ſacra, & Arbores vocales. Dodonæam Quercum, poſt Samiam Viticem, antiquiſſimam teſtatur Pauſanias p. 490. l. 22. Et de Bobus in Epiro *Larinis* & *Ceſtrinis* docui in Faſciculis, ut

ut taceam illud Ovidii, inusitatam Apri Calydonii magnitudinem exaggerantis:

Quantò majores herbida TAUROS
Non habet EPIRUS.

Hæc patent, inquit ARCHÆOPHILVS, sed non item adjectum capitibus monogrammon. Dupliciter id legi potest, respondit DULODORVS, vel EK. vel KE. Si prius statuas, poterit Jupiter ΓΚΓΑἰὸης sub eo latere, quem in Cypro cultum Lil. Gyraldus observat. Si posterius, poterit ΚΓρἀτιος *fulminator*, quem fulmen demonstrat. Sed hâc ratione, excepit ARCHÆOPHILUS, non unô cognomine Jupiter in Epiro fuerit cultus? Vere sentis, regessit DULODORUS, nam & *Tomarius* ibi dicebatur, à Monte Dodonæ Tomaro, uti ex Hesychio docemur, & ἀρεῖος *Martius* apud Plutarchum, cui Deo Epirotarum Reges in Passarone Thesprotidis jurare solebant, jure se regnaturos, uti Epirotæ, illud se jure servaturos. In Ætoliam pergimus, excepit ARCHÆOPHILUS,

ÆTOLI
APRI CALYDONII VENATIONEM JACTANT.



SCio Numisma primum in Thesauro Palatino publici juris factum esse. Scio & in Observationibus prostare; cùm autem Tuam dulcissime DULODOKE, de Capite petasato sententiam, dubiam fecerit Per-Ill. SPANHEMIVS, velim scire, an ejus rationibus acquiescas, an verò adhuc sit, quò Tuam opinionem stabilias? Per-Illustrem SPANHEMIUM obsequioso cultu veneror, respondit DULODORUS, adeòque tam mihi gloriæ duco, quòd Herculi illi Musagetæ succubuerim, quàm si vel nobilissimam palmam reportassem. Docuit Vir Excellentissimus, Petasum non tantum Apollini in Numismate Augusti appendi, sed commune vel venantium, vel iter, aliudve opus facientium gestamen fuisse: Docuit, & ex ipsis Historicorum & Poëtarum fontibus adstruxit, non tam Apollinem, quàm vel Meleagrum, vel certe Ætolum in simulacro Numismatis Ætolorum, quod cum Hasta, Jaculo, & dependente post tergum Petaso Goltzius exhibet, agnosci debere. De simulacro, respondit ARCHÆOPHILUS, nihil habeo quod in contrarium adferam, potius in hoc & ipse subscriberem, si non de Meleagro, certè de Ætolo: idque ideò, quòd, ut Plinius dicit, *lanceas invenerint Ætoli, JACULUM cum Amento ÆTOLUS, Martis filius.* Quod utique ad simulacrum illud apprimè quadrat; Licet enim non Lanceam, sed Hastam puram in eo videamus, Jaculum tamen ad oculum patet, Hasta pura autem & Petasus à tergo dependens profectionem adumbrant, quâ ex Elide in Regionem à se denominatam migrâsse memoratur. Et quid si Statuam ei hoc habitu positam arbitremur? Quid si eam putes, quæ in Thermis, ubi comitia creandis magistratibus patriô more Ætoli habebant, Straboni memoratur fuisse? Si suffrageris, attulero & versus, quos & illi subscriptos, idem Author memorat:

Χώρης

Χώρης οἰκιστῆρα παρ' Ἀλφειοῦ ποτὲ δίναις,
Τρεφθέντα σταδίων γείτον' Ὀλυμπιάδος,
Ενδυμίωνος παῖδ' Αἰτωλὸν τὸν δ' ἀνέθηκαν
Αἰτωλοὶ σφετέρας μνῆμ' ἀρετῆς ἑσπάν.

Alphæi ad latices, qui quondam condidit Urbem,
Eductum Piſæ non procul à ſtadiis,
Endymionis natum, Virtutis monumentum,
Ætoli ÆTOLUM ſic poſuêre ſuæ.

Sed quorſum hæc? ſcilicet ut demonſtrem, licet Ætolum ſub ſimulacro illo Numiſmatis Ætolorum apud Goltzium agnoſcamus, tamen de Capite Petaſato rem nondum eſſe confectam; Quid enim ad Ætolum, baccatum monile, quod in collo capitis hujus apud Goltzium occurrit? Nonne id vel fœminam demonſtrare, vel certe Deum aliquem ſuprà docuiſti? Si fœminam, non aliam ſub hoc capite latere arbitrer, ac Atalantam, quæ Meleagro in venatione adfuit: Si Deum, certè non alium, ac Apollinem, qui in Numiſmate Auguſti petaſum indubitatò geſtat, cujusque collum, in Nummis Rhodiorum aureis, eôdem modô baccatô monili includitur, quô etiam in Numiſmate Ætolorum. Accedit ſimile omninò caput in allato à Te Nummo Rhodiorum apud eundem Goltzium, quod vel ideò conjicere poſſis, Apollinis eſſe, quòd Rhodii hunc Deum, ut ipſe loqueris, vel unicè ſignaverint. Iis argumentis uteris, reſpondit DULODORUS, quibus & ego haud ita pridem nixus pro Apolline ſentiebam, ſed apertè fateor, poſtquam Per-Illuſt. SPANHEMIUS de ſimulacro aliter docuit, non auſus ſum eandem de Capite ſententiam fovere. Numiſma Rhodiorum capilli, ſub petaſo colligati, ſubmovent, & caduceus in Numiſmate Rhodiorum ſexto, haud obſcurè Mercurio videtur addicere. De monili baccato, annon ſculptoris id vitium ſit, dubitari poteſt; Si non dubites, quid obſtabit in Ætolis eam intueri, cùm muliebres veſtes eos geſtâſſe, indeque *Curetas* dictos, quibusdam perſvaſum, Strabo aſſerat?

De ſtolis, regeſſit ARCHÆOPHILUS, non de veſtibus in genere, multò minus de muliebri ornatu id memorat Author, & quidem non ut rem veram, ſed ut ſomnium Etymologicum, id quod vel ex eo colligas, quòd paulò ante dixerat, *remotiora ab inſtituto eſſe, quæ ob vocis ambiguitatem de Curetibus referuntur:* Ut proinde nondum videam, quid contra Apollinem adferri poſſit, præſertim, cùm in Numiſmatibus Coorum Goltzianis, Decimo Nono Aper & Apollo Laureatus, in Vigeſimo primo Aper & Caput petaſatum, propoſito ſimillimum occurrat. Nec Numiſmata Coorum juvare poſſunt, reſpondit DULODORUS, vigeſimum enim aprum & Jovem, an Æſculapium? exhibet; Quidni igitur vigeſimum primum Mercurium? ut & in Nummis Rhodiorum, quorum Colonia Cous fuit? Tribus ſcil. Nummis tria Numina Coi videntur celebraſſe. Sed age quemnam Apollinem in Ætolia inveneris, capiti petaſato tantoperè convenientem? Neque enim vel Numiſmata, niſi cum indubitato inſigni eum exhibent, neque Ἀγρευτὴς ſive *Venator*, qualiter Per-Ill. SPANHEMIO obſervante, Sophocli memoratur, in Ætolia cultus eſt. Non alium attulero, reſpondit ARCHÆOPHILUS, quàm qui Straboni memoratur: Περὶ δὲ τὴν Καλυδῶνα ἐστὶ τὸ τοῦ Λαθραίου Ἀπόλλωνος Ἱερὸν, inquit: ubi MSCta non Λαθραίου ſed Λαφραίου habent, quam lectionem agnoſcunt, imò vulgatæ præferunt & Caſauboni animadverſiones. Λαφραῖου ſignificationem procul dubio ſignificatio Λαφρίας ſuppeditabit ſive Dianæ ſive Minervæ. Minervam *Laphriam* dictam, quaſi Λαφύριαν, quòd in bello ſpolia ducat, quæ Græcis Λάφυρα dicebantur, notat in Lycophronem Iſacius.

cius. An eôdem modô etiam Diana? Hanc equidem à Laphriò Viro dictam, qui eam Calydone erexerat, Pausanias Author est, sed duo subjicit, quæ assertum aliquô modò suspectum reddunt: *Primò* aliorum opinionem, quasi ita dicta sit, quod Deæ ira adversus Oeneum *Elaphratera* fieret; *Secundo* Statuam in modum venantis positam. Illud incertitudinem Pausaniæ demonstrat, hoc ad venationem rem reducit, ex qua spolia feruntur, non minus ac ex bello. Hæc cùm ita sint, non video, quidni & Dianam *Laphriæ* cognomen à spoliis venationis nactam, rectè arbitremur? Et quidni etiam Apollinem, quem non minus ac Dianam venationibus delectatum, in confesso est? Diana Laphria Calydone culta fuit: ibidem & Apollo Laphræus. Illius simulacrum à Cæsare Patrensibus datum est, hujus quidni credamus occasionem fuisse ejus, cum Patæo exprimendi, qui in Numismate Augusti visitur, eôdem modò, quô *Actius in longa carmina veste sonat?* id quod à Curetum sive Ætolorum stola originem sumsisse potuit. Mirô sanè hæc inter se cohærent nexu, ut proinde non abs re pro Apolline & nos calculum ponere debeamus.

Pro Apolline, inquit DULODORUS, acriter pugnas. Si & nostrum Numisma baccatô monili insigniretur, forsitan esset, quod attenderem; at quum eô destitutum sit, & præterea non succulenta faciei venustate, quod in Apolline solet, sed virili macie: non crispis capillorum cincinnis, sed neglectâ comâ effulgeat, omninò non Apollinem, sed ipsum, quem aversa arguit, Meleagrum agnoverim. Aversa Aprum & Venabulum exhibet, inquit ARCHÆOPHILUS. Utrumque in memoriam Venationis Calydoniæ, cui, cùm apud Mythographos decantatissima sit, non arbitror pluribus inhærendum. At de cuspide venabuli, dubium movere posses, respondit DULODORUS; apud Cl. Sponium enim in Miscellis, pinnata occurrit, secus ac in Numismatibus. Qui facerem? respondit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen ipse Sponius memoriæ lapsum sculptori exprobret, eò quòd Dianam addidit, quæ, ut ipse loquitur, tantùm abest ut adfuerit, ut potius Meleagrum ob hoc facinus punierit, utpote quæ aprum ipsum irata adversus Oeneum, Meleagri Patrem, in Calydonium misisset agrum. Addere possem & Herculem, quem & ipsum Sponius eo in marmore agnoscit, cùm tamen ex fabulis constet, Herculem venationi non interfuisse, sed Meleagrô jam extinctô demum Calydonem concessisse, & Dejaniram Oenei filiam sibi thoro junxisse. Qui in his tam apertè erravit, quid mirum, si erraverit & in cuspide venabuli? Quod Dianam & Herculem attinet, respondit DULODORUS, rectè mones; sed mihi neuter in marmore apparet. Quam Dianam Sponius putavit, omninò est Atalanta, filia Schœnei, quæ cùm Apollodoro teste, omnium prima feram à tergo sagittâ percussierit, quidni Venatricis habitu Sculptori fuerit expressa? Herculem Sponius ex clava videtur agnovisse; sed clava non solius Herculis fuit, sed & aliorum gestamen, utpote Thesei, ut jam suprà demonstravimus, qui Venationi interfuit. Vides ARCHÆOPHILE, de ingenuitate Marmoris Sponiani non esse dubitandum, adeòque Te ritè Cuspidis pinnatæ figuram in contrarium adferre potuisse; Ne autem negotium Tibi videar facessere, & non solvere, audi quid sentiam! Numismatibus assistunt Marmora Pighiana, in quibus cuspis non pinnata, sed oblonga visitur. Ut autem cuspidem pinnatam effingeret Marmoris Sponiani author, potuit aliâ forsan ratione duci, nisi potius vetustas ei, qui Marmor delineavit, lapsu temporis vitiata, pinnas exhibuerit, quæ reverâ non erant. Id credere malim, quàm venabuli formam tot indubitatis argumentis certam, unicô, eôque incerto exemplô dubiam reddere. Inspectio marmoris hæc facilè diluet.

Ad

Ad ſecundum Numiſma tranſimus. Meminit hujus Numiſmatis etiam Per-Illuſt. SPANHEMIUS, ex Gaza Regia Gallorum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed Capitis non meminit. Apollinis eſſe non dixeris, neque enim ſucculenta Apollinis juventus apparet, quam ſuprà contrà me attuliſti. Tutius forſitan eadem hæc facies videbitur, quæ & apud Goltzium num. 2. quamque interpres Nonnius Philippum Macedonum Regem referre, arbitratur. Philippi effigies, reſpondit DULODORUS, jam ex Numiſmatibus nota eſt, quam ſi conferas, vereor ut Nonnio ſubſcribere poſſis. Si de Apolline neges, quidni aliquem ex Ætolorum Regibus ſtatuas? Oeneum, aut Diomedem, quorum Ille, Apollodoro teſte, vitis plantam primus à Dionyſio accepiſſe memoratur, quod ad Uvam in Nummo expreſſam facit: Hic Beneventi Urbis conditor fertur. Et quidni ipſius etiam Meleagri, ad quem totius venationis gloria pertinet?

In his Tibi facile aſſenſero, reſpondit ARCHÆOPHILUS, licet enim in hoc Lauream mihi videar agnoſcere, neſcio tamen quâ rotunditate ſinciput non tam capillos quàm Galeam præferat, quod utique ab Ætolis nec ipſum alienum eſt, uti videmus ex Plutarcho in Arato, ubi Ætoli Galeas ſibi detractas, Pellenenſium, quas rapuerant, filiabus memorantur impoſuiſſe; Sed hæc in medio relicta ſunto! Quid ſequendum forſitan integrior Nummus docebit. De dentibus Apri, docet Pauſanias, Auguſtum eos ex Arcadia Romam transtuliſſe. Et quid? annon caput integrum Atalantæ donavit Meleager? Ita Pauſanias, regeſſit DULODORUS; Sed id non obſtat, ut & Ætoli eosdem ſuis Nummis imprimere potuerint. Quod Auguſtum attinet, de uno potiùs aſſerueris, quam de duobus, quum alterum eódem Pauſaniâ teſte, non potuerint oſtendere ὃι ἐπὶ τοῖς θαύμασιν, ſed effractum faſſi ſint; Et quid ſi Auguſtum tantùm eos transportaſſe arbitreris, qui ex relictis magnitudine excellebant? id ex menſura colligere potes, cùm alter τὴν περίμετρον τοῦ μήκους περιεχόμενος ἐς ἰσχίου μάλιστα ὀργυιᾶς memoretur: Et an neſcis, quot Urbes de Homero certaverint? Longum foret omnia perſequi. Ad Uvam adhuc dicendum, quod Cœl. Rhodiginus notat, Hecatæum ſcribere, in Ætolia primam vitem inventam eſſe, quam quia Οἰναν dicerent Veteres, inde vinum nuncupari Οἶνον; Dicendum etiam, quod Diodorus ait, Herculem cornu Acheloo detruncatum Ætolis dediſſe, quod omni autumnalis fructus copia, ut *racemis*, pomis &c. fuerit refertum, indeque tellurem pomis, malis punicis & *racemis* fuiſſe frugiferam. Sed Locri Ozolæ nos vocant

AXIA
URBS LOCRORUM OZOLARUM JOVEM REGEM COLUIT.



AT Ego, inquit ARCHÆOPHILUS, potiùs ad Axum Numiſma referrem, Urbem Cretæ, cùm conſtet, Jovem in Creta & natum eſſe, & regnaſſe.

De Jove Cretenſi, regeſſit DULODORUS, res vulgò innotuit, an autem de Ἄξῳ Cretæ ſufficiens teſtimonium adferre poſſis, valdè dubito. Quidni? reſpondit ARCHÆOPHILUS, nonne id apertis verbis Stephanus Ἄξος Πόλις Κρήτης ὡς Ἡρόδοτος ἐν τετάρτῃ, τὸ ἐθνικὸν Ἄξιος; *Axus*, inquit, *Urbs Cretæ, ut Herodotus Libro quarto, Gentile Axius.* Stephano, inquit DULODORUS, fidem habuiſſem, ſi ſuâ rem authoritate affirmaſſet; cùm autem Herodotum citârit, omninò ex fonte appellatio eſt petenda. Herodotus dictô librô non Ἄξος habet, ſed Ὄαξος, qua in voce Stephanus primam literam pro articulo accepiſſe videtur.

Aliud adhuc mihi in mentem venit, ſubjunxit ARCHÆOPHILVS. Idem Stephanus non tantùm Axiam Locrorum Ozolarum memorat, ſed etiam Axiam Italiæ; Dubitari igitur poteſt, an non ad hos potiùs pertineat Numiſma? Axiam Italiæ, reſpondit DULODORUS, ne ſtatuam, facit Cicero, qui eam non Urbem, ſed Caſtellum vocat: Facit Numiſma Holſteniô teſte apud Pyrrhum Ligorium, in quo circa Junonis Caput legitur HPA ΑΞΙΑΣ, quam & Harduinus citat, & in averſa circum Caput Jovis ΖΕΥΣ ΒΑΣΑΞΟΣ. Ex hoc Numiſmate utique conſtat, non aliam Axiam intelligendam, quàm eam quæ Locrorum Ozolarum fuit; Ab hac enim ἐθνικὸν Ἀξιὰς Stephano expreſsè docetur. Secundò conſtat, non Junonem tantùm in ea cultum fuiſſe, ſed & Jovem. Tertiò ad Jovis diadema optime videtur quadrare Epitheton ΒΑΣΑΞΟΣ, ſive enim vere ita habeat Nummus, ſive disjunctis vocibus ΒΑΣιλεὺς ΑΞΙΕΥΣ, inſcriptus ſit, quod adverſa ſvadere videtur, utrinque tamen Rex Axiæ Jupiter indigitatur, adeòque diademate rite inſignitur. Inter Locros Ozolas numerantur &

HYLÆI,
QUI
HERCULEM ΥΛΑΙΟΝ
ET MINERVAM COLUERE.



HOc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, in Theſauro Palatino ad Athenas memini Ie retuliſſe, eò quòd Delubrum Herculis Cynoſarges Athenis fuerit, & in Numiſmate præter caput Minervæ etiam monogrammon adjunctum ſit, quò non tam Dea, quàm Urbs indigitata videri poſſit. Ita tunc, reſpondit DULODORUS; Nunc autem, quam libertatem peritioribus dedi, eam mihi ipſi conceſſam arbitror. Non Athenienſibus, ſed omninò Hylæis hoc Numiſma arbitror tribuendum, idque vi inſcriptionis, quæ & Urbem prodit, & Herculis ſimul cognomen arguit, eòdem modô, quô ad Numiſma Hyrinorum vidimus. ΥΛΑΙΥ legitur: & Stephano teſte ΥΛΑΙΟΣ ἐθνικὸν eſt ab ΥΛΗ, Urbe Locrorum Ozolarum. Si una hoc nomine Urbs fuiſſet, regeſſit ARCHÆOPHILUS, forſitan acquieſcerem; at cum ΥΛΗΝ etiam Urbem Cypri, imò & Bœotiæ fuiſſe, ex eodem Stephano conſtet, non video, quî non his potiùs, quam

Hylæis.

Hylæis Locrorum addici debeat? Pro Bœotia certè militare videtur Hercules in Bœotia natus: Et quid si ad ΥΛΑΙΑΝ respicias, regionem Ponticam? Herodotus eam memorat lib. IV. Plinius *Hylæum mare*, & *Hylæos populos* nominat, additâ nominis etymologiâ: *Sylvestris regio*, inquit, *Hylæum mare, quô alluitur, cognominavit*. Non levi brachio, respondit DULODORUS, opinionem meam convellere conaris. Nisi cornucopiæ juxta Herculem expressum esset, vix occurreret, quô opinionem meam stabilire possem. Cornucopiæ, iteravit ARCHÆOPHILUS, quid ad rem facere possit, non video. Multum, inquit DULODORUS; cum enim constet, non tantùm id Herculi originem debere, sed & ab Acheloo descendere, flumine Ætoliæ, Locris Ozolis conterminæ, utique patet, rationem esse, cur potiùs opinioni meæ inhæream, quàm vel ad Bœoticam Hylen, vel ad Regionem in ulteriore Ponti Euxini littore occurrentem recedam. Fateor argumentum fragile videri posse, ideòque apertè juxta promitto, si quid firmius mihi ostenderis, me debito cum gratiarum honore Tibi manus præbiturum. De Urbibus, inquit ARCHÆOPHILUS, quod porrò objiciam, non habeo, sed in mentem venit, annon Regis aut Illustris alicujus hoc Numisma sit? Si enim vel Urbis vel Populi fuisset, utique non ΥΛΑΙΥ, sed ΥΛΗΣ vel ΥΛΑΙΩΝ inscriptum fuisset. De Hylæo quodam, respondit DULODORUS, & ipse interpretarer, si idoneò veteris cujusdam Authoris suffragiò vel lux appareret, vel fulcrum succurreret. Hylæum Centaurum video in Fabulis. Video & Hylæum inter Venatores apri Calydonii; Sed quid huc faciant, non video. Quod vocem ΥΛΑΙΟΥ attinet, utique in superioribus jam monui, id nihil insoliti esse. In Numismate Arpanorum legitur ΑΡΠΑΝΟΥ, & in ΔΗΛΙΩΝ, uti supra monui, ΔΗΛΙΟΥ, ex quo simul constat, id fieri apposite, ubi non tantùm Urbs significatur, sed & Numen aliquod connotatur. Ita in proposito vox ΥΛΑΙΥ quid prohibet, ut & Urbem Hylen exprimat, & simul Herculis cognomen, ab Urbe desumtum, adumbret? At Ego, instabat ARCHÆOPHILUS, potiùs ΥΛΑΙΟΝ *Sylvestrem* aut *Sylvanum* interpretarer; constat enim etiam apud Romanos *Herculem Sylvanum* fuisse cultum. Simulacrum ejus in Regione Urbis quinta memoratur. Et quid si penitiorem Gentilium Theologiam rimando, non tam ad Sylvas referamus hoc Epitheton, quam cum doctissimo Reynesio ad universæ materialis substantiæ dominatum? id quod de Sylvano Macrobius ait? Quicquid statuas, regessit DULODORUS, Urbem tamen non excluseris, cùm nudum Dei cognomen, absque loco cultûs & signaturæ, insolitum quid in Numismatibus videatur. Si autem locum connotari cedas, utique non alius esse poterit, quam ΥΛΗ.

De his, inquit ARCHÆOPHILUS, Tuis rationibus assurgo. De ΥΛΗ Locrorum nondum perspicio, quâ mente Herculem & Minervam signaverit? Numina certè hæc ad Hylen Bœoticam potiùs respicere videntur, cùm in Bœotia non uno cognomine fuerint culti. Ibi occurrunt *Hercules Rhinocolustes, Melius, Promachus, Hippodotes*. Ibi *Minerva Bombylia, Pronaos, Alalcomeneis, Itonia, Telchinia, Onca item, & Aracinthis, & Boarmia*. Quidni igitur locum habeat Hercules ΥΛΑΙΟΣ Minervæ junctus, cùm non minus etiam hic ab ΥΛΗ dictus esse potuerit? Cornucopiæ obstare, respondit DULODORUS, jam suprà dixi; Idem & de Hercule testari potest, cùm Hercules ei, ut monui, originem dederit: idque eò magis, quòd Amphissam Locrorum Urbem Ætolos secutam, ex Pausania constat: Apud eundem etiam legimus Naupactum, Locrorum Ozolarum Urbem, inde appellationem invenisse, quòd Dorienses Aristomachi filios secuti, ibi naves ædificaverint. Aristomachus quartus ab Hercule fuerat, cujus filio Hyllo Doriensium Regnum per adoptionem cesserat. Hæc cùm ita

ſint, quidni Herculis hac in Regione cultum agnoſcamus? Quidni Sylvas, à quibus Deus ΥΛΑΙΟΥ ſive *Sylvani* cognomen potuerit accipere? cùm tamen & ΥΛΗ Urbs ab iis appellata, ibidem ut diximus, occurrat. De Minerva minus dubium eſſe poteſt; Numiſmata enim eorum apud Goltzium ejus caput præferunt, & ex Pauſania diſcimus, ejusdem & ſimulacrum & templum Amphiſſæ in arce fuiſſe: Simulacrum quidem, vetuſtam antiquitatem artemque impolitam præ ſe ferens, æneum, & erectò ſtatu, quod à Thoante ab Ilio deportatum crederetur. Tranſmiſsâ Phocide, & agro Megarenſi, Atticam intramus.

ATHENIENSES
MINERVAE CULTU, NOCTUARUM PROVENTU, ET FIGLINORUM INVENTIONE CELEBRES.

NUmiſmatum, prioribus ſimilium, inquit ARCHÆOPHILVS, plura apud Goltzium proſtant. Minerva, & ſacra Minervæ volucris, Urbem Deæ ab Amphictyone, uti Juſtinus tradit, innuit & ſacratam, & ab eadem appellatam. Noctuas Athenas ferret, inquit DULODORUS, qui pluribus rem adſtruere niteretur. Ad Noctuas tamen notandum, non tantùm, quòd Minervæ ſacræ eſſent,

eſſent, ſed etiam quòd Athenis provenirent, in Nummis expreſſas eſſe. Rem ex Antiphane apud Athenæum diſcimus. Ἐν ἡλίου μὲν Φασὶ γενέσθαι πόλει Φοίνικας, ἐν Ἀθήναις δὲ γλαῦκας. *In Heliopoli procreari ajunt Phœnices: Athenis Noctuas*, &c. Sed de Amphora docendum, cui Noctua inſiſtit. Annon hæc, excepit ARCHÆOPHILVS, in memoriam Jonis ſignata eſt, qui, ut ſuprà vidimus, Athenis tragici carminis lauream meritus, fictile Chium viritim donâſſe memoratur? Non hoc, repoſuit DULODORUS, ſed Athenienſium meritum latet. De eo Plinius L. VII. c. 56. *Fabricam*, inquit, *ferrariam invenére Cyclopes, ſiglinas Coræbus Athenienſis:* Et Critias apud eundem Athenæum:

Τὸν δὲ τροχὸν γαίης τε καμίνου τ' ἔκγονον ἔυρε
Κλεινότατον κέραμον χρήσιμον οἰκονόμον
Ἢ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον.

Rotam terræ fornacisque progeniem, ſplendidum
Fictile, uſibus domeſticis aptum
Invenit, qui pulchrum in Marathone tropæum ſtatuit.

Ubi Athenæus ἐπαινεῖται ὄντως ὁ ΑΤΤΙΚΟΣ κέραμος, *re ipsâ*, inquit, *laudatur Atticum fictile.* Ex quibus utique conſtat, inventi ſui celebritatem Athenienſes ſub Amphora hâc celebrare, non minus ac Jovis cultum ſub Aquila ΚερανυοΦόρῳ. At Minervæ cultus, reſpondit ARCHÆOPHILVS, Athenis potior videtur. Is Jovem non excludit, reſpondit DULODORUS; Memineris enim Jovem *Olympium*, cujus templum à Deucalione Pauſanias, à Piſiſtratidis exſtructum Ariſtoteles ſcribit: imò & βουλαῖον *Conſiliarium*, cujus ſimulacrum in Curia fuit: πανελλήνιον, cujus templum Hadrianus exſtruxit, ut alia taceam, quæ paſſim apud Authores leguntur. Tanta veneratio fuit, ut & in vicinis montibus templa & aras ei erigerent, id quod ex Pauſania planum eſt. Ἀθηναίοις τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει. Πεντέλησι μὲν Ἀθηνᾶς, ἐν Ὑμηττῷ δὲ ἄγαλμα ἐστὶν Ὑμηττίου Διός. Βωμοὶ δὲ καὶ Ὀμβρίου Διὸς καὶ Ἀπόλλωνος εἰσι Προοδίου. Καὶ ἐν Παρνηθι Παρνήθιος Ζεὺς χαλκοῦς ἐστὶ, καὶ βωμὸς Σεμαλέου Διός. ἔστι δὲ ἐν τῇ Παρνηθι καὶ ἄλλος βωμὸς. Θύουσι δὲ ἐπ' αὐτοῦ, τότε μὲν Ὀμβριον, τότε δὲ Απήμιον καλοῦντες Δία. Καὶ Ἀγχεσμὸς ὄρος ἐστιν οὐ μέγα, καὶ Διὸς ἄγαλμα Ἀγχεσμίου. *Deorum ſigna*, inquit, *in Atticæ montibus hæc ſunt: In Pentelico Minervæ; in Hymetto Hymettii Jovis ſtatua eſt; Pluvii etiam Jovis, & Apollinis præſagi aræ: In Parnethe Parnethius Jupiter ex ære & Semalei Jovis ara. Eſt item ara ibi alia, ad quam Jovi, quem modo Pluvium, mox Innoxium appellant, rem Divinam faciunt. Anchesmus etiam mons eſt, non ſanè magnus, & in eo Jovis Anchesmii ſignum.*

Hæc de Jove abunde inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, de Inſcriptionibus adhuc audire velim, an Ἀρχόντων, an aliorum Magiſtratuum nomina contineant? Cùm monetæ inſcripta ſint, regeſſit DULODORUS, credibile eſt Præfectorum moneralium eſſe. Sed ex Hiſtoricis lux nulla affulget. Corona, ut & ramuſculi in Numiſmate reliquis procul dubio ad Oleam pertinent, quam educendo, Minerva Athenarum præfecturam meruit, uti ex Fabulis liquet. Imò, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam ad culturas arborum reſpicere licebit, quas Eumolpum Athenienſem inveniſſe, Plinius Lib. VII. c. 56. author eſt. Multa, perrexit DULODORUS, Athenienſes invenêre; Eidem enim & Cultura Vini tribuitur, & Buzigi, Boum & aratri. Sed ad propoſitum illud potiſſimùm eſt, quod Juſtinus Lib. II. c. 6. memorat, *Athenienſes non Vini tantùm, ſed & LANIFICII & OLEI uſum primos docuiſſe.* Lanificium certè Palladis opus eſſe, ex foro Palladis conſtat inter Admiranda Rom. vulgato, & Oleum fructum Olearum, cujus rami in Nummis viſuntur, nemo neſcit.

De

De Urbis nomine adhuc dubium supereſt, denuò excepit ARCHÆOPHILUS, id cùm alibi per H. ſcribi ſoleat, ut & in Numiſmate ultimo, in prioribus ubique per E. occurrit. Quæ rei ratio? Rationem, reſpondit DULODORUS, Cl. Sponius ſuppeditat in Miſcell. pag. 317. ad ea tempora hunc ſcribendi modum reducens, quo litera H. in Alphabetum Græcum nondum erat recepta: Non quòd Numiſmata ejusdem temporis forent; contrarium enim ex nominibus apparet, in quibus litera H. legitur: ſed quod Præfecti rei monetariæ antiquum ſcribendi modum, etiam poſterioribus temporibus, ſervandum putaverint. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, Numiſmata tantæ antiquitatis non fuére. Quidni? reſpondit DULODORUS, apud Athenienſes utique Erichthonium, primum Numiſma percuſſiſſe, Julius Pollux author eſt. Vixit autem Erichthonius annis, & quod excedit, trecentis ante Trojanum bellum: Literam autem H. ut & Ω. & Z. Alphabeto Græcorum adjecit Simonides, quem Euſebius Olymp. 61. author eſt vixiſſe, adeò ut planum ſit, plus quam ſeptingentos annos Athenienſes Numiſmatibus uſos, antequam litera H. invaleſceret.

Hæc ſi ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, minimùm Numiſmata *quintum & ſextum* Simonide antiquiora ſtatuere auſim, in iis enim litera H. non occurrit. Incertà ratio eſt, reſpondit DULODORUS, cùm ex prioribus conſtet, etiam poſt Simonidem literam E. pro H. in uſu fuiſſe, & licet ex hiſtoria pateat, etiam ante Erichthonium Urbem Minervæ fuiſſe ſacratam. Antiquiſſimis tamen temporibus non hæc tantùm, ſed & alia Numiſmatibus inſculpta fuére. Theſeum Numiſma *Bovis* figurâ inſignitum inſtituiſſe, ex Plutarcho diſcimus: Et Triobolum in utraque parte *Jovis* faciem prætuliſſe, Jul. Pollux tradit, ut taceam, quod Cœl. Rhodiginus obſervat, Obolos ſcilicet, veteres Athenienſium Nummos inde dictos, quod *Obeliſci* imaginem præferrent. De figuris quærimus, inquit ARCHÆOPHILUS, valoris immemores, cùm tamen hinc præcipuus Nummorum uſus dependeat. Valorem ex pondere diſcimus, reſpondit DULODORUS. Argentei Tetradrachmi ſunt omnes, præter quintum, qui unicam tantùm drachmam adæquat. Sed hæc noſtra ſeges non eſt. Nummos hodiè non ut Nummos, ſed ut hiſtoriæ fulcra intuemur; Si tamen ea cura Te agitet, Conſule ſis Conſultiſſimum Dn. Hinſenium, in Opere ſuprà ad Liparæorum Numiſmata laudato. Succedit

BŒOTIA,
CULTU
NEPTUNI, ET CERERIS, ET APOLLINIS
NOBILITATA.

Bœotiorum, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc Numiſmata ſunt; Sed nihil in iis obſcurum. Apollinis *Iſmenii* Pauſanias meminit. Non hujus ſolius, reſpondit DULODORUS, imò & *Ptoi*, & *Polii*, & *Bœdromii*, & *Spondii*. Idem eſt

est de Cerere, cujus Caput in secundo Nummo visitur, cùm in Bœotia, eôdem memorante, & Lucus *Cabiriæ*, & fanum *Mycalessiæ* & *Legiferæ* fuerint: Addi potest & Athenæus, qui agrum Thebanum *frumenti fertilem* testatur, id quod ad spicas Cereris apposite citavero. Neptunum in aversa primi Numismatis, excepit ARCHÆOPHILUS, eô plane modò video, quô & suprà in Bruttiis fuit. Numisma nondum publicatum est, ad Neptunum tamen satisfacit, quod de Neptuno *Onchestio* ex eodem Pausania docuisti: Onchestum scil. Neptuni filium, indeque loco in Bœotia, ubi habitaverit, nomen, à loco autem Deo cognomen fuisse: Ut taceam Bœotiæ situm, quòd tribus ea Maribus allueretur, indeque Τριθάλαττος *Trimaris* dicta fuerit, id quod sub Tridente non absurde contemplaberis. Addo, subjecit DULODORUS, quod Hesiodo in Scuto Herculis ℣. 104. memoretur

— — Ταύρεος Ἐννοσίγαιος,
Ὃς Θήβης κρήδεμνον ἔχει, ῥύεταί τε πόλιν.
— — *Neptunus Taureus,*
Qui Thebes arcem habet, & conservat Urbem.

Id quod & ad Clypeum Numismatis secundi, & ad Neptunum primi apprimè convenit. Addo, non tantùm Onchestum Neptuni filium fuisse, sed & ipsum Bœotum. Stephanus ex Necocrate & Euphorione assertum firmat. Verba, quod simul & de tribus Maribus instruant, quidni subjiciamus? Βοιωτία μόνη τῆς Ἑλλάδος ἐπὶ τρισὶ θαλάτταις διήκοντας ἔχει τοὺς οἰκήτορας. Τοὺς μὲν πρὸς Πελοπόννησον ἐστραμμένους, καὶ τὸν Σικελικὸν καὶ Ἀδριατικὸν κόλπον. Τοὺς δὲ πρὸς Αἴγυπτόν τε, καὶ Κύπρον, καὶ τὰς ἄλλας νήσους. Τοὺς δὲ πρὸς τὸν Εὔριπον, καὶ Μακεδονίας καὶ Θεσσαλίας θάλασσαν. Γενέσθαι δέ φασι Βοιωτὸν Ἰτώνου τοῦ Ἀμφικτύονος, τοῦ κατ' αὐτὸν νεωτέρου, τῶν Δευκαλίωνος καὶ Πύρρας παίδων. Νικοκράτης δέ φησιν, ὅτι Ποσειδῶνος καὶ Ἄρνης ἦν παῖς. Εὐφορίων; Ὄφρακε μαντεύοιτο μεθ' ὑιάσι Βοιωτοῖο,
Τὸν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη τέκεν Ἄρνη,
Βοιωτὸν δ' ὀνόμηνε.

Bœotia sola totius Græciæ habet habitatores pertingentes ad TRIA MARIA. Alios quidem versus Peloponnesum, & Siculum, & Adriaticum sinum. Alios verò versus Ægyptum, & Cyprum, & alias Insulas. Alios verò versus Eurypum, & Macedoniæ, & Thessaliæ Mare. Fuisse verò ajunt Bœotum filium Itoni, filii Amphyctionis junioris Deucalionis & Pyrrhæ filiorum. Nicocrates verò inquit, fuisse filium NEPTUNI, & Arnes. Euphorion:

Ut vaticinaretur cum filiis Bœoti,
Quem NEPTUNO subacta peperit Arne,
Bœotum verò nominavit.

Bœotorum Metropolis Thebæ fuerunt.

THEBANI SCUTIFERI
HERCULEM ET BACCHUM COLUERE.

SCutiferos Thebanos, in Fasciculis docuisti, inquit ARCHÆOPHILUS, & placet suffragium Pindari, cui Χρύσασπις Θήβη, *Thebæ aureo clypeo insignes*

Isthm. I. vocantur: placet, quod ex Hesiodo citasti, qui Φερεσσάκεας Καδμείους *Cadmeos Scutatos*, in Scuto Herculis ℣. 13. vocat. Tzetzes ἔχοντας μεγάλας ἀσπίδας, *magna scuta habentes*, interpretatur. Ita & ℣. 24. βοιωτοὶ ὑπὲρ σακέων πνείοντες, *Bœoti supra Clypeos spirantes* memorantur. Sed de Hercule & Baccho mihi nondum convenit. An res adeò obscura est? excepit DULODORUS, nonne succurrit testimonium Plinii Lib. IV. c. 7. *Thebas*, inquit, *nobilitârunt Hercules, & Liber Pater*. Et quidem, quod Herculem attinet, cujus clava in Numismate secundo, Scypho imposita vititur, non tantùm restituta Thebanis, sub Ergini dominatu gementibus, Libertas testatur, sed & Epitheta *Rhinocolustæ*, *Melii*, *Promachi*, & *Hippodotæ*, quibus à Thebanis Herculem honoratum, ex Pausania docemur.

Hæc equidem recordor, reposuit ARCHÆOPHILUS, sed de effigie barbata Numismatis primi dubium nascitur, an Hercules, an verò Bacchus sit? Scio Te pro Hercule sensisse, sed corona mihi deceptus videris; non enim populea hæc est, sed omninò hederacea, quæ non Herculem, sed Bacchum arguit. Ritè hæc observas, respondit DULODORUS, jam dumdum & me opinionis pœnituit, quanquam nondum omninò perspiciam, quid Bacchus barbatus in Thebanorum Nummis? cùm non hunc, sed tenerum illum & imberbem Thebis natum, ex Diodoro monstraverim. Fortassè, ut Herculis etiam Phœnicii, uti ad Thasiorum Numisma vidimus, ita & Bacchi Indici cultum receperint Thebani, licet suo & Baccho & Hercule illustres. Hoc ut statuas, svadet Naxiorum vicinia, ubi Indicum triumphâsse, ex Servio diximus. Nisi fortè cum Macrobio Bacchum & barbatum & imberbem pingi solitum, etiam apud Græcos, arbitreris. Quicquid sit, Bacchum certe non tantùm ex corona hederacea, sed etiam ex lenitate facici agnoscimus, cùm Hercules non hâc, sed austerâ illâ Divinæ fortitudinis indice notus sit.

Si omninò Bacchus hic sit, inquit ARCHÆOPHILUS, annon sequitur, ad eundem etiam referendum esse Scyphum Numismatis secundi? Si arbitreris, inquit DULODORUS, non refragabor, licet enim Scyphos Herculeos Bœotii dictos, ex Athenæo docuerim, eò quòd Hercules iis potaverit, usus tamen, & ipsius Herculis bibacitas, etiam hos ad Bacchum reducere potest: quanquam Herculis in his propior ratio sit, id quod clava adjecta demonstrat. Nisi & in genere Bœotiorum gloriæ rem apponas; Scyphos enim apud hos, utpote eorum authores, magnæ claritatis & dignitatis fuisse, ex eodem Athenæi loco planum est. En verba! ὕστερον, inquit, κατὰ μίμησιν εἰργάσαντο κεραμέους τὲ καὶ ἀργυροῦς σκύφους. Ὧν πρῶτοι μὲν ἐγένοντο καὶ κλέος ἔλαβον οἱ Βοιωτοὶ οἱ λεγόμενοι Ηρακλεωτικοὶ, χρησαμένου διὰ τὰς στρατείας πρῶτου Ηρακλέους τῷ γένει· διὸ καὶ Ηρακλεωτικοὶ πρὸς τινῶν καλοῦνται, ἔχουσι μὲν τοι πρὸς τοὺς ἄλλους διαφοράν. Ἔστι γὰρ ἐπὶ τῶν ὤτων αὐτοῖς ὁ λεγόμενος Ηράκλειος δεσμός. *Principiò*, inquit, *vertente Dalechampio, fictiles fuére Scyphi, ad quorum imitationem argenteos postea fabricati, Bœotii primùm, magnæ claritatis & dignitatis, præsertim eos, quos Herculeos ideò vocârunt, quia primus genere Bœotius in expeditionibus Hercules illis usus sit, quæ appellationis causa fuit. Differunt hi non nihil ab aliis, quòd auribus insit nodus, quem Herculeum vocant.* Succedunt

THE-

THESPIÆ
MUSIS SACRATAE.



DE Appellatione, inquit ARCHÆOPHILUS, primum dubium est. Franc. Gotifredus non ΘΕΣΠΙΕΩΝ, sed ΘΕΣΠΙΕΩΝ legit, ubi literam I. vetustate obsorptam esse, Luc. Holstenius arbitratur. Rectè sentit Holstenius, respondit DULODORUS, in nostro enim Numismate I. ad oculum patet, non minus ac litera Θ, pro quo in quinque aliis, apud Pyrrhum Ligorium, T. occurrere, ejusdem testimoniò constat. Thespiæ dictæ sunt, vel à Thespia Asopi, vel à Thespio Erechthei filio, uti ex Pausania docui. Stephanus, excepit ARCHÆOPHILUS, Thespiadem substituit, filium Teuthrantis filii Pandionis, ab eodem conditam asserens. Stephanum, respondit DULODORUS, sequitur & Eustathius ad Il. 2. ℣. 468. Sed Pausaniæ authoritas potior est; Stephanus enim nullô authore rem asserit: quanquam nec Pausaniæ testimonium mysteriô carere videatur; cùm enim Thespiam Asopi filiam prodit, quis non videt, a flumine Urbis nomen eum deducere? Asopus fluvius fuit: Et fluvii filia quid esse possit, si non fluvius? Hesychius certe Thespium Bœotiæ fluvium facit, Θέσπιος, inquit, ποταμὸς βοιωτίας; Et quis nescit, Urbes a fluviis antiquitùs denominari svevisse? Sed idem Pausanias de situ docet: Ἰοντι δὲ ἀπὸ τοῦ Καβειρίου τὴν ἐν ἀριστερᾷ, καὶ προελθόντι ὡς πεντήκοντα σταδίους, Θέσπεια ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἑλικῶνα ὥκισται. *Qui deflexerint à Cabirorum ad sinistram stadia circiter L, Thespiam perveniens. Urbs ea infra Heliconem montem condita fuit.*

Situm hunc, subjecit ARCHÆOPHILUS, & caput Musæ, & Lyra, & Laurea testantur; Heliconem enim Musis sacrum, & Lyram Musarum instrumentum, Lauream autem ornamentum esse, ex Poëtis patet. Eò recurrere necesse non est, respondit DULODORUS; Musarum enim delubrum etiam Thespiis fuit, indeque Thespiades dictas novimus. Adde & rationem cultûs; Thespiis enim, ut novem Musæ his, quibus nunc appellantur, nominibus colerentur, Pierum Macedonem instituisse, apud eundem Pausaniam legimus. En verba! Χρόνῳ δὲ ὕστερον Φασι Πίερον Μακεδόνα, ἀφ' οὗ καὶ Μακεδόσιν ὠνόμασται τὸ ὄρος, τοῦτον ἐλθόντα ἐς Θεσπιὰς, ἐννέα τὲ Μούσας καταστήσασθαι, καὶ τὰ ὀνόματα τὰ νῦν μεταθέσθαι σφίσι. In Locridem ascendimus. Ibi contemplandos se sistunt

OPONTIORUM
PROTOGENIA ET AJAX



CAput muliebre, inquit ARCHÆOPHILVS, cùm Lud. Nonnius vel Venerem, vel Junonem Pharygæam interpretaretur, ad Venerem Te ideò retuliſſe memini, quòd effigies arundineâ coronâ illuſtris Veneri Marinæ haud maſè videretur quadrare. Opinio de nihilo non eſt. Etiam Rev. Harduinus pro Venere ſentit, indeque neſcio, quæ Te ratio impellat, ut pro Protogenia decernas. Unicus, reſpondit DULODORUS, locus Pindari me movet; Is enim vel Nomio notante, hanc ipſam Opuntiorum Urbem Πρωτογενείας ἄστυ, *Protogeniæ arcem* vocat: Et quàm pulchrè Protogeniam coronat arundo? ſive parentem reſpicias Deucalionem, ſub quo Diluvium fuit, ſive Opontiorum & ſinum & navale, quorum Strabo meminit? Utrinque mare ſe ſiſtit, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen arundo fluviorum ſoleat eſſe. Si hoc arbitreris, reſpondit DULODORUS, ne ſic quidem Protogeniæ ratio deerit. Non enim Deucalionis tantùm, ſed & Promethei, & quod rem vel maximè tangit, Opuntis fluvii, filia credita eſt. Ita enim Pindari Scholiaſtes: Ἐν τῇ Ὀποῦντι, ἐκεῖ γάρ φησι Δευκαλίωνα καὶ Πύρραν οἰκῆσαι. ὧν θυγάτηρ Πρωτογένεια. Et paulò poſt: Πρωτογένεια δὲ κατὰ μὲν τινας Προμηθέως. κατὰ δὲ ἑνίους Ὀποῦντος τοῦ ἐν Ἰλίδι ποταμοῦ. Si res ita ſe habeat, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, procul dubio in averſa Numiſmatum Protogeniæ filius Opus, à quo Urbs denominata eſt, adumbrabitur, idque eò magis crediderim, quò apertius idem Pindarus Opuntiorum majores primos χαλκάσπιδας *æreis clypeis inſtructos* vocavit, qualem & Nummus exhibet. Id non de Opunte tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed in genere de omnibus à prima origine Locrorum progenitoribus aſſeritur. Ego potiùs eorum opinionem ſequerer, qui Ajacem hunc ſtatuunt, Oilei filium.

Ajax, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed Telamonis, Σακεφόρος, ſive *Scutifer* Sophocli vocatur, & eundem gladio ſe transfodiſſe, apud Ovidium legimus; ſed quid hoc ad filium Oilei? Etiam hic Clypeum geſſit, reſpondit DULODORUS; apud Pauſaniam enim legimus, cum ſcuto eum aram acceſſiſſe, Caſſandræ vim allaturum. Egregiè! perrexit ARCHÆOPHILUS. An hic Opuntiis tanto in honore fuiſſe credatur, ut Numiſmate ſignaretur, cùm tamen ob ejus libidinem non tantùm Græci tempeſtate, ſed & ipſi Locri graviſſimâ peſte affecti fuérint? eamque ut ſedarent, Oraculi monitu Virgines ſuas in Ilium mittere coacti ſint, ſi extra Urbem comprehenderentur, interficiendas, ſi occultè ingrederentur, Minervæ ſervituras, uti Iſaacius Tzetzes ad Lycophronis Caſſandram teſtatur. Hæc nihil obſtant, inquit DULODORUS, nihilominus enim Locrenſibus in honore fuiſſe, inde conſtat, quòd Locri Epizephyrii, contra Crotoniatas pugnaturi, ob eam, quæ ipſis cum Locris Opuntiis erat, propinquitatem, Ajacem Oilei filium invocaſſe, Pauſaniæ memorantur: Et quæſo, quem præter Ajacem hic agnoſcas, cùm tamen celeri pede, fugienti hoſti quaſi inſtet, planè ad mentem Homeri Il. XIV. in fin.

Ηλέ-

Πλείστους δ' Αἴας ἔλεν Οἰλῆος ταχὺς υἱός
Οὐ γὰρ ὅς τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν
Ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὦρσε.
Plurimos autem Ajax interfecit Oilei CELER filius,
Non enim ei aliquis par ad insequendum pedibus erat
Viros fugientes, quando Jupiter fugam immisisset.

Pedum celeritas, excepit ARCHÆOPHILUS, rem non conficit. Gladiatorum hic habitus est, adeòque potest etiam ideò expressus esse, quòd eâ laude, ut Nonnius ait, & fortitudine Locri præstarent. Fortitudinem Gentis non negabo, respondit DULODORUS, bellò enim Persicô gravi armaturâ usam, & ad Trojam arcu & fundâ instructam fuisse, Pausanias memorat, & hoc quidem ex Homero; Mihi tamen pro Ajace sentienti ea ratio non obstat, imò potiùs videtur concurrere; Principes enim quidni populorum virtutes referant? Si tamen celeritatem fragile opinionis meæ fundamentum arbitreris, en aliud! In clypeo vides Serpentem, hic quid præfigurabit, si non eum, qui in Aulide apparuit? In Aulide, ubi Principes Græciæ, & proinde etiam Ajax, in Asiam trajecturi convenerunt? Eadem certe ratio hujus Serpentis, quæ & ejus, qui in Clypeo Menelai Pausaniæ memoratur. En verba: Μενελάῳ, inquit, ἀσπὶδα ἔχοντι, δράκων ἐπὶ τῇ ἀσπίδι ἐστιν εἰργασμένος τοῦ ἐν Αὐλίδι Φανέντος ἐπὶ τοῖς ἱερείοις τέρως ἕνεκα. *Menelaus scutum tenet. In eo expressus Draco, is nempe qui Aulide inter sacra pro ostento fuit.* De Ajace, inquit ARCHÆOPHILUS, non amplius dubito, imò nec de Casside Ajaci in priore Nummo subjecta; fortitudinem enim Gentis eâ denotari, ex hactenus dictis facilè constat; sed non idem de Vase, quod in Numismate secundo visitur. Hydriam credideris, respondit DULODORUS, quam argenteam ex pecunia Delphica fecisse, Delphisque dedicâsse, Opuntii Plutarcho memorantur, uti in Spicilegio meo videre est: Nisi potiùs vel ad Bacchum, Bœotorumque vicinam respicias, eò quòd vasculum hoc craterem Bacchi referre videatur, qui in Thebanorum Numismatibus prostat. In Thessalia fuere

LAPITHÆ
AB APOLLINIS FILIO DENOMINATI



NUmisma hoc, ut infinita alia, Per-Ill. SPANHEMIO lucem suam debet. Duplici literâ, quod aliâs simplici, in Numismatibus interdum asserit scribi: A Lapitho Apollinis, & Stilbes filio, Lapithas dictos, ex Apollonii Scholiaste & Diodoro refert. Verba Authorum subjicio: Οἱ Λαπίθαι ἀπὸ Λαπίθου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Στίλβης Νύμφης ὠνομάστησαν, inquit Scholiastes ad Lib. I. ℣. 41. & Diodorus: Πένειος μιγεὶς Κρεούσῃ παῖδας ἐγέννησεν Ὑψέα καὶ Στίλβην, ἣ μιγεὶς Ἀπόλλωνι Λαπίθην καὶ Κένταυρον ἐγέννησε. *Peneus*, inquit, *Creusæ congressus Hypsæum genuit & Stilben. Ex hac Apollo Lapithen & Centaurum edidit.* At Stephanus, inquit ARCHÆOPHILUS, Lapithum Periphantis filium facit? Id scio, respondit

DULODORUS, ſed Numiſma pro Scholiaſte & Diodoro decernendum ſvadet; Quid enim Apollo cum Lyra & Laurea, ſi non Lapithæ parentem? quid Stella, ſi non matrem adumbret? Στίλβη ſanè *ſplendorem*, qui Stellarum proprius eſt, ſignificat, à Στίλβω *ſplendeo, luceo* deductum: indeque apud Julium Pollucem, Στίλβη *Lucernæ ſpecies* memoratur. Poſt Lapithas, Sperchiò ſuperatô, recordamur

LAMIÆ,
USI
THESSALORUM BIBACITAS,



Se contemplandam ſiſtit; quid enim Bacchus, & vaſa vinaria ſignificent, ſi non Dei cultum, nullâ re ſublimiorem, quàm largo potu? Bacchi munera prætulerim, inquit ARCHÆOPHILUS, eò quòd per Theſſaliam copioſa fuére, uti vel ex Lariſſa Penſili docemur, quæ Te memorante, Straboni ἀμπελόφυτος dicitur. Ratio non excluditur, reſpondit DULODORUS, imò concurrit; Quomodo enim largiore potu Bacchus colatur, niſi & ejus munera abundent? ſed mihi propter appoſita vaſa omninò ad cultum, bibacitatem videlicet, videtur reſpiciendum. Tantane ea Theſſalorum fuit? excepit ARCHÆOPHILVS. Fuit, inquit DULODORUS. Recordare Centaurorum cum Lapithis rixam, ſuper mero debellatam! Recordare Centauros, ob vinoſitatem à Bacchi curru religatos! Nonne Centauri Theſſaliæ populi fuére? In mentem mihi veniunt Cylicranes, inquit ARCHÆOPHILUS, quos Nicander à Cylice Lydo, Herculis commilitone: alii à Calicis imagine, humeris inuſtâ, nominatos dixere, uti apud Athenæum videre eſt. Hi Cylicranes iisdem locis fuére, quibus Heracleotæ ſub Oeta, non minus ac Lamia, niſi quod Sperchio dividerentur: Quidni igitur ob viciniam etiam horum ratio eſſe poſſit? Poteſt, inquit DULODORUS, quanquam apud eundem Athenæum & de ipſis Theſſalis teſtimonia ſint. Semel. p. 666. quando Theſſalos Cattabum memorat vocare, quod ex potione reſtat; Et iterum p. 463. quando *Theſſalos magnis calicibus bibere*, aſſerit. Succedit

LARISSA
PELASGI FILIA ET EQVO THESSALICO
ILLUSTRIS.

CAput quod cerno, excepit ARCHÆOPHILVS, Solis eſſe, cum Nonnio faſſus es, idque ideò non abs ratione, quòd Equus Soli ſacer, & locô victimæ

Etimæ fuerit oblatus, non apud Perſas tantùm, ut Ovidius canit, ſed etiam apud Græcos, ut Pauſanias memorat. Non de Theſſalia id memorat, inquit DULODORUS, ſed de Taygeto monte Laconiæ; Quanquam ne ſic quidem pro Sole ſtarem; Muliebris enim facies ex cultu noſcitur, frontali, & inauribus. Harduinus procul dubio, quòd inſignia deprehenderet, & ipſe fœminam ſtatuit, ſed Meduſam. Diffuſæ comarum ſpiræ huic, ut & Nonnio, opinionis videntur baſis eſſe; Cùm autem Serpentes deſint, ſubſcribere vereor. Potius Lariſſam hanc arbitrer, Pelasgi filiam, a qua Lariſſam Urbem denominatam, Pauſanias in Corinthiacis author eſt: En verba! Τὴν δὲ ἀκρόπολιν, Λάρισσαν μὲν καλοῦσιν ἀπὸ τῆς Πελασγοῦ θυγατρός. ἀπὸ ταύτης δὲ καὶ δύο τῶν ἐν Θεσσαλίᾳ πόλεων, ἥτε ἐπὶ θαλάσσῃ, καὶ ἡ παρὰ τὸν Πηνειὸν ὠνομάσθησαν. *Arcem Lariſſam appellant, de Pelasgi filiæ nomine; à qua duæ etiam eodem nomine nuncupatæ ſunt Urbes in Theſſalia, quarum altera ad mare, altera verò ad Peneum amnem.* De Theſſalorum Equis res vulgata eſt. Etiam Oraculò apud Strabonem teſte,

THESSALICUS præcellit EQUUS.

Quanquam non omnes bonos eſſe, Ariſtides teſtetur. Succedit

PHALANNA
CUM
PERRHAEBO GENTIS AUTHORE, ET EQVO PRISCÆ APPELLATIONIS INDICE.



PHalannam eſſe civitatem Perrhæbiæ, à Phalanna, Tyri filia, dictam, Stephanus Byzantinus Author eſt. Lycophron Φάλανον vocat, ſed lectio prior non tantûm Numiſmate noſtrò firmatur, ſed etiam authoritate Strabonis: Ἡ δὲ Φάλαννα περριβαικὴ πόλις πρὸς τῷ Πηνειῷ πλησιον τῶν Τεμπῶν. *Phalanna*, inquit, *Urbs Perrhæbica ad Peneum propè Tempe*; Ex quibus ſimul conſtat Theſſalicam civitatem fuiſſe; Pherrhæbi enim eodem Strabone teſte, Theſſaliæ populi fuêre, quanquam ejus ætate non amplius ſuperſtites: Et de Peneo, & Tempe conſtat, quòd per mediam ille Theſſaliam fluxerit, hæc autem Livio *Theſſalica* dicatur.

Situm, excepit ARCHÆOPHILVS, etiam Numiſma teſtari poteſt; conſtat enim Theſſalos Equis abundaſſe. Benè hoc obſervas, reſpondit DULODORUS, quanquam & propior ratio ſit in nomine; Si enim Stephanum noſtrum audis, eadem hæc Phalanna Hecatæo Lib. I. Hiſt. *Hippia* dicta eſt, quod *Equeſtrem* ſonat: Et quid ſi etiam ad Perrhæborum fortitudinem reſpicias, cùm Homero Il. 2. ϒ. 749. μενεπτόλεμοι *bellicoſi* vocentur? Sed ad Phalannam revertimur, cujus incolas Φαλαννάιους dictos ex Strabone patet, quô locô Stephani commentator Thomas de Pinedo Phalannæam Urbem arbitratur memorari, quod falſum eſt: Ita enim verba habent; Ὄρθην δέ τινες τὴν Ακρόπολιν τῶν Φαλαννάιων εἰρήκασι. *Orthen quidam arcem Phalannæorum dixerunt eſſe.* Scio Phalannæam

næam, Cretæ à Stephano tribui, ſed nihil ea ad propoſitum. Mihi, regeſſit ARCHÆOPHILUS, de Phalanna dubium movet Tzetzes ad Lycophronem; ubi Phalanon & Oloſſum, civitates non Theſſaliæ tantùm, ſed & Epiri facit, imò de Perrhæbis Appianus, cui Princ. Illyr. *gens Illyrica* dicuntur. Ad utrumque facilis eſt reſponſio, excepit DULODORUS; licet enim Tzetzes etiam Epiro Phalanon tribuat, non tamen negat, etiam Theſſalicam hoc nomine fuiſſe, imò potiùs id apertè ſtatuit. Appianum eôdem modô allegat Lucas Holſtenius in notis ad Stephanum, voce ΠΕΡΡΑΙΒΟΣ; quó tamen jure? ipſe viderit; Neque enim Appianus Perrhæbos gentem illyricam facit, ſed ait Perrhæbum fuiſſe Illyrii, Polyphemo orti filium, ab eoque Perrhæbos dictos eſſe. Id ex parte cum Euſtathio coincidit, qui ad Iliad. B. περραιβοὶ δὲ ἐκλήθησαν μέν ἀπὸ τινὸς Περραιβοῦ ἐνδόξου ὡς εἰκὸς ἀνδρὸς. Ex quibus conjectura ſubit, Perrhæbi hujus caput eſſe, quod in adverſa Nummi noſtri viſitur, neque enim, cui præter hunc tribuas, ullô vel ſignô hactenus aſſequimur. Sequentibus in Nummis

THESSALORUM

JUPITER ET MINERVA



Se ſiſtunt. Ad Nummos hos, excepit ARCHÆOPHILUS, Aram Jovis in Olympo, teſte Solino: Jovem item *Lariſſæum*, cujus Strabo & Stephanus meminére: Minervam denique *Itoniam* Te citaſſe recordor, de qua Strabonis & Stephani teſtimonia apud Harduinum exſtant. An præter hæc adhuc aliud ſuccurrit? Omninò, reſpondit DULODORUS. Apud eundem Stephanum eſt Jupiter *Elacatæus* & *Ithomates*, à montibus Theſſaliæ, acceditque Jupiter Theſſalorum donum, de quo Pauſanias in Eliac. prior. Ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου πρὸς τὸν ναὸν ἐρχομένῳ τὸν μεγαν ἔστιν ἄγαλμα ἐν ἀριστερᾷ Διός. Ἐστεφανωμένον δὲ ὅια δὴ ἄνθεσιν καὶ ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ αὐτοῦ κεραυνὸς πεποίηται. Τοῦτο δὲ ἔστιν Ασκάρου τέχνη Θηβαίου, διδαχθέντος παρὰ τῷ Σικυωνίῳ, καὶ Θεσσαλῶν Φασὶν εἶναι, ὅτε Φωκεῦσιν εἰς πόλεμον οὗτοι κατέστησαν. *A Curia ad magnum templum contendenti, ad lævam ſignum eſt JOVIS cum corona velute floribus. Dextrâ fulmen tenet. Fuit hoc Aſcari Thebani opus, quem docuit Agelades Sicyonius. A THESSALIS ferunt dedicatum, ſuſceptô contra Phocenſes bellô.* In Numiſmatibus noſtris, inquit ARCHÆOPHILUS, Corona florea non eſt, ſed omninò alterum querceam, alterum Oleam præfert, quarum altera *Dodoneo*, altera *Eleo* propior eſt; quanquam & *Elacatæus* & *Ithomates* iis ornati potuerint eſſe. Quid autem ad Minervam addis?

Eandem fuiſſe, reſpondit DULODORUS, & Itoniam & Ithomiam, licet Lilius Gyraldus eas contra Doctorum calculum diverſas faciat. Eandem fuiſſe, ex fluvio Curalio colligere eſt, quem unô locô, juxta Minervæ Ithomiæ templum fluxiſſe, & cujus aliô, non minus ac Minervæ Itoniæ, appellationem à Bœotiis ex Theſſalia venientibus, in Bœotiam translatam, Strabo author eſt. Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, licet Ithomam Urbem, imò & Ithomen montem

in

in Theſſalia agnoſcam, à quibus Minerva cognomen habere potuerit, in Strabone tamen Minervam Ithomiam non agnoſco, cum in MSCtis Ἰτωνίας legi, ex Obſervationibus Caſauboni conſtet, prout & inde colligere eſt, quòd Bœotii non Ithomias appellationem transtuliſſe, ſed Ἰτωνίας memorentur. Quicquid ſit, habitus Minervæ hujus, bellatricis eſt, adeò ut Gentis Virtutem non abs re ſub ea mihi imaginer. In habitu, ſubjecit DULODORUS, notanda omninò Chlamys Minervæ, quæ viſitur cum angulis utrinque dependentibus; Hi enim eſſe videntur, qui Θετταλικαὶ πτέρυγες, *alæ Theſſalicæ* vocabantur, uti Suidas author eſt. ΘΡΑΣΥΛΟΣ & ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ procul dubio Magiſtratuum nomina ſunt. Plures paſſim apud Authores occurrunt; quid autem ad Theſſalos, fateor me necdum compertum habere. In Macedoniam aſcendimus, ubi

MACEDONIÆ
PARTES ET DIANAE CULTUS

Occurrunt. Partes Macedoniæ in primi Numiſmatis averſa adumbrantur. Quatuor vides: Et quatuor fuiſſe, ex Livio docemur. En verba, ex Oratione Paulli, quam Græco ſermone retulit Cn. Octavius. *In quatuor Regiones*, inquit, *dividi Macedoniam.* UNAM *fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Neſſum amnem ſit: acceſſurum huic parti trans Neſſum ad Orientem verſum, qua Perſeus tenuiſſet Vicos, Caſtella, Oppida, Præter Ænum, & Maroneam, & Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad Occaſum, Biſalticam omnem, cum Heraclea, quam Sinticen appellant.* SECUNDAM *fore Regionem, quam ab Ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen Heracleam, & Biſaltas: ab Occaſu, qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonibus, qui propè Axium flumen ad Regionem Orientis colerent.* TERTIA *pars facta, quam Axius ab Oriente, Peneus amnis ab Occaſu cingunt: Ad Septentrionem Bora mons objicitur. Adjecta huic parti Regio Pæoniæ, qua ab Occaſu præter Axium amnem porrigitur. Edeſſa quoque & Beræa eòdem conceſſerunt.* QVARTA *Regio trans Boram montem, unâ parte confinis Illyrico, alterâ Epiro. Capita Regionum, ubi concilia fierent, primæ Regionis Amphipolim, ſecundæ Theſſalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eo Concilia ſuæ cujuſque Regionis indici, pecuniam conferri, ibi magiſtratus creari juſſit.* Hæc Livii, an Paulli Æmilii, verba de quatuor Macedoniæ partibus abunde inſtruunt. Si minus, adde & ſequentia: PRIMA *pars*, inquit, idem Author, *Biſaltas habet, fortiſſimos viros (trans Neſſum amnem incolunt, & circa*

Strymo-

Strymonem,) & multas frugum proprietates, & metalla, & oportunitatem Amphipolis: quæ objecta claudit omnes ab Oriente Sole in Macedoniam aditus. SECUNDA *pars celeberrimas Urbes, Thessalonicen & Cassandriam habet; ad hoc Pallenen fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque oportunitates ei præbent portus ad Toronem, ac montem Atho (Æneæ vocant hunc) alii ad Insulam Eubœam, alii ad Hellespontum oportunè versi.* TERTIA *Regio nobiles Urbes Edessam & Beream, & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos, Gallos & Illyrios, impigros cultores.* QVARTAM *Regionem Eordæi, & Lyncestæ, & Pelagones incolunt: juncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis: frigida hæc omnis, duraque cultu, & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. Ferotiores eos & accolæ Barbari faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos.*

Desierat DULODORUS, at ARCHÆOPHILUS, Bisaltarum, inquit, Numisma mihi in mentem venit, quod ex Goltzio sumtum in Spicilegio Tuo de Minerva Equestri interpretatus es: Quatuor in ejus aversa quadrata, uni quadrato includuntur: Et cùm Macedoniæ figuram quadratam fuisse, suprà ad Numisma Archelai docueris, quid si & figuram Macedoniæ, & Macedoniæ partes eò schemate adumbratas arbitrer? Nihil obstare video, inquit DULODORUS, Bisaltas enim in prima Macedoniæ Regione ponit Livius, cujus & Numisma secundum est, id quod ex inscriptione MAKEΔONΩN ΠPΩTHΣ noscitur. Dianæ caput in Clypeo Macedonico præfert. Aversa Clavam, & coronam Querceam cum Fulmine exhibet. Clava Herculis, Corona quercea cum fulmine Jovis insigne est, de quibus ad Numismata Regum abunde diximus, ita & de Clypeo ad Numisma Antigoni. Diana, quam & Numismâ tertium simul cum Cervo exhibet, & Deæ cultum & Macedonum venationes in memoriam revocat. De venationibus en Tibi Athenæum: Ηγήσανδρος δὲ φησὶ, οὐδὲ ἔθος εἶναι ἐν Μακεδονίᾳ, κατακλίνεσθαι τινὰ ἐν δείπνῳ, εἰ μή τις ἔξω λίνων ὗν κεντήσειεν. Ἕως δὲ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. Κάσανδρος οὖν πέντε καὶ τριάκοντα ὢν ἐτῶν, ἐδείπνει παρὰ τῷ πατρὶ καθήμενος, οὐ δυνάμενος τὸ ἄθλον ἐκτελέσαι, καὶ πὲρ ἀνδρεῖος γεγονὼς καὶ κυνηγὸς ἀγαθός. *Hegesander scribit, apud Macedones neminem in cœnâ accumbere solitum, qui aprum extra retia non interemisset, verùm in sedilibus cœnâsse, quoad feram occidissent: ideoque Cassandrum, jam natum annos triginta quinque, sedentem cum patre cœnavisse, quòd nondum eô defungi certamine potuisset, quamvis validus & peritus Venator.*

De venationibus Macedonum, subjecit ARCHÆOPHILUS, locus plenissimè instruit, in Numismatibus autem non tam venationum memoria est, quàm Dianæ, quæ non tantùm venationum, sed & aliarum rerum Dea fuit. Si in Diana subsistas, respondit DULODORUS, Stephanum adduco: Γαζώρος, inquit, πόλις Μακεδονίας. Τὸ ἐθνικὸν Γαζώριος. Ἡ γὰρ Ἄρτεμις αὐτόθι Γαζωρία τιμᾶται. *Gazorus Urbs Macedoniæ. Gentile Gazorius. DIANA enim ibi GAZORIA colitur.* De Macedonum regionibus vidimus. Secundæ cum Metropolis fuerit

THES-

THESSALONICE,
JOVIS ET CABIRORUM CULTRIX,

Nec hujus Numiſmata prætermittenda cenſco. At hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ſufficienter, niſi fallor, illuſtrata proſtant apud Jacobum de Wilde. Notat doctiſſimus Author ex Strabone, *Theſſalonicen priùs THERMEN dictam, ſitamque in Thermæi ſinûs intimo receſſu:* Notat, *à Caſſandro reſtauratam, & hinc ab ejusdem uxore, THESSALONICES nomen ſortitam: Urbem*, ait, *validam & populoſam fuiſſe, miſſisque literis Pauli, Gentium doctoris, apud Chriſtiados claram; immodicum autem Theodoſii Junioris iram magno cum ſuo damno expertam.* Ad Numiſmata non minore copiâ luxuriat: Ad primum, *Cybelen Turrigeram* oſtendit, *quòd terra fuerit habita, quæ turrigeris Urbium mœnibus coronatur.* Oſtendit, *ejus ad exemplum turrigeros plerarumque Urbium Genios fuiſſe*; *CABIROS*, qualem in averſâ cernimus, aſſerit dictos, *ab Hebr. CABIR*, quod *magnum & ſortem* ſignificet. *Cabiros tres fuiſſe, AXIERON*, ſive *Cererem, AXIOCERSAM* h. e. Proſerpinam, & *AXIOCERSUM h. e. Plutonem: accedente quartô & famulante, CASMILA ſive CAMILLO, hoc eſt Mercuriô: Cabiros cultos præcipuè apud Samothraces, à Pelasgis edoctos: Cabirorum ſacra, utpote turpia & obſcœna, niſi initiatis audire neſas fuiſſe.* Et hæc quidem ſecundum quosdam; Secundum alios enim, *Cabiros Phœnicum Deos fuiſſe*: Secundum alios, *circa Thebas habitâſſe, acerrimos contemti ſui numinis vindices: Vulcanô & Cabirâ Protei ſiliâ genitos, mortalibusque æris ferrique mulcendi artem conceſſiſſe: Magnos fuiſſe eorum honores: Integros agros & Regiones iis dedicatos: CABIRIA Certamina etiam Theſſalonicæ*, de qua hîc agimus, *celebrata, idque docente Nummo Gordiani apud Morell. T. 13.* Uti reliqua, *ex Gerh. Voſſio, Apollonii Scholiaſte, Lud Carrione ad Val. Flacc. Joh. Meurſ. Gr. Feriata, Herodoto, Strabone, Pauſania, Suida, Dionyſ. Halicarn.* Quid poſt tam luculentam deductionem dici poteſt?

Multum, inquit DULODORUS, ſed ne longior ſim, duo tantùm ſeligo: Alterum ad adverſam Nummi, primi alterum ad averſam; Ad illam ſi reſpicias, in Nummo noſtro id peculiare eſt, quod Caput non turritum tantùm, ſed & velatum ſit: qualiter ut plurimùm Cybeles eſſe ſolet, cujus cum Cabiri, vel ipſo de Wilde notante, ſacerdotes fuerint, haud abſurdè eandem in Nummo credi poſſe

expreſſam: quanquam nihil obſtet, ut etiam ad Urbis genium reſpicias; Hunc enim ſi præferas, poteris commode in corona turrita Urbis robur, in velo autem incolarum ſanctitatem intueri, quæ vel ex ipſis Numiſmatibus patet, in quibus non tam ſua decora, quàm Deorum & ſimulacra expreſſerunt & honores. In averſa ſub cenſum cadunt, non tàm Cabirus, quàm Cabiri inſignia. Atqui etiam de his, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Jacobum de Wilde docemur. *Lævâ*, inquit, *geſtat malleum, ut filius Vulcani, qui fabrorum Deus eſt. Cum fabrilibus inſtrumentis ponitur, in Nummo Goltziano Lemniorum, apud quos ipſius officina: dextrâ autem Capricornum, Zodiaci ſcil. decimum ſignum, qvòd Sol menſe decembri ingredieus ſolſtitium facit bybernum. Cùm autem aries in Antiochenſium, Leo in Berytenſium, Taurus in Cyrrheſtarum, Sagittarius in Boſtrenorum & Singarenorum, Capricorni deniqve in Zeugmatenſium Nummis apud Vaillant de Col. & Munic. pag. 330. hos populos annum ſub iſtis ſignis inchoare ſignificent, quidni Capricornus hîc notat tempus Certaminum Ludorumqve ſolemnium, exhibitorum Theſſalonice, quæ vicina Lemno, Vulcani hanc prolem ſumſit protectorem?*

Anxiè hæc quæſita ſunt, reſpondit DULODORUS, an verè, mox audiemus. De Malleo equidem tædioſus non ero, cum Cabiros non tantùm Vulcani filios, ſed & æris ferrique mulcendi artifices fuiſſe, ex idoneis authoribus obſervatum videam. Sed de Capricorno ſubſcribere non poſſum; Noſti procul dubio Arietem in Nummis Antiochenſium & Cyrrheſtarum ideo expreſſum in Faſciculis meis me docuiſſe, quòd Manilio teſte, ſub eo ſigno Syriæ gentes ſitæ crederentur: Et nunc de Cabirorum Capricorno idem author ſuccurrit, artes ferrarias, quas Cabiri, ut dictum, inveniſſe creduntur, ſub Capricorno memorans. Verba ſubjicere placet, ut eò firmius judicium ſit. Ita habent:

Veſta tuos, CAPRICORNE, fovet penetralibus ignes.
Hinc artes ſtudiumqve trahit; Nam quicquid in uſu
Ignis alit, poſcitqve novas ad munera flammas,
Sub te cenſendum eſt. Scrutari cæca metalla,
Depoſitas & opes, terræqve exurere venas,
Materiemqve manu certâ duplicarier arte:
Quicquid & argento fabricatur, quicquid & auro:
Quod ferrum calidi ſolvant, atqve æra Camini,
Conſumantque foci Cererem, tua munera ſurgent.

Agnoſcis ARCHÆOPHILE, non Ludorum initium, ſed artis dominium ſub Capricorno latere. Agnoſco, inquit ILLE; ideòque eò æquiore animo ad alia pergo. In ſecundo Numiſmate hinc Jovem ſtatuit prædictus Author, & in averſa duas capras coniſcantes, ſive cornibus luctantes, ſecundum Lucretium, Lib. II. ℣. 320.

Et ſatiata agni ludunt, blandeqve coniſcant.

Reſpondeo, inquit DULODORUS, quod ſoleo. Capræ mihi in Numiſmate non apparent, quanquam ſi hæ forent, tutiùs forſan ad eas referrem, quæ Carano occupandæ Edeſſæ duces fuerunt. Capræ autem non ſunt, ſed omninò Equi, contra ſe invicem inſurgentes. Sed Capras, repoſuit ARCHÆOPHILUS, brevitas caudæ innuere videtur. Quid? an caudas Equorum, reſpondit DULODORUS, mutilare antiquis inſolitum fuit? An capræ tam ſuculentâ lumborum craſſitudine? Et, quod caput rei eſt, an contra ſe invicem eô modô, quo hîc viſuntur, inſurgunt? Equorum hic mos eſt, non caprarum; Capræ coniſcantes, aut ſecundum Quintilianum arietantes, non exſurgunt, ſed demiſſis capitibus ſibi invicem cornua obtendunt. Virgilius rem apertè Georg. 2.

Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi.

Sed

Sed quid Equi ad Theſſalonicenſes? inquit ARCHÆOPHILUS. Theſſalonice, reſpondit DULODORUS, ut ab initio dixi, ſecundæ Macedoniæ partis Metropolis fuit: Macedoniam autem ab Archelao equorum frequentiâ exornatam, ex ſuperioribus recordaberis; Recordaberis Philippum viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum ex Scythia in Macedoniam miſiſſe, id quod Juſtinus memorat. Inde ſane Equorum & copiâ & præſtantiâ Macedones adeò claruiſſe, ut & Gratianus in Cynegetio Equos pellæos, à Pella Macedoniæ oppido dictos, mirè commendet, nemo eſt in Hiſtoria tam hoſpes, qui neſciat; quanquam & in adverſa ratio eſſe poſſit, forſitan non contemnenda; Equos enim Neptuno ſacros eſſe conſtat. Tune Neptunum in adverſa agnoſcis? inquit ARCHÆOPHILUS? at ego Jovem arbitrabar. Quemcunque ſtatuas, ratio conſtabit, reſpondit DULODORUS, Jovem enim in Macedonia cultum, ad Numiſmata Regum vidimus, & ejus procul dubiô eſt corona quercea Numiſmatis tertii. In ſecundo Numiſmate, ut de Neptuno ſubolfaciam, barbæ longitudo facit, quam communiter Neptunus præfert. Sed hæc levia ſunt. Thraciam ingredimur. **Ad Maris litora occurrunt**

MARONITÆ
CUM
BACCHO SERVATORE.

MAronea à Marone, Oſiridis, quem Bacchum interpretantur, ſocio conditam, ex Diodoro conſtat, nec opus arbitror de Vini præſtantia plura addere, quâ vel ab Homeri temporibus Maronea inclaruit, uti ex Homero & Plinio conſtat, quorum loca jam dudum ad Maronitarum Numiſmata Lud. Nonnius citavit. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed miror, cur non & Tibullum adduxerit, qui à Maronea Baccho cognomen fecit:

Victa MARONEO fœdatus tempora BACCHO.

Inquit in Heroico ad Meſſallam; Bacchus hoc loco, reſpondit DULODORUS, pro Vino ſumitur, eôdem modò, quô Cratinus etiam Maronem pro Vino poſuit. Ita enim Jul. Pollux L. VI. c. 3. *Κρατῖνος μέν τοι τὸν οἶνον Μάρωνα, ἔιρηκεν, ὅυπ' ὦ πίον τοσοῦτον, ὁυδὲ Μάρωνα πίομαι.* Utrinque ſane Vinum Maroneum intelligitur, cujus poſt allegatos etiam Athenæus meminit. Non hoc me torquet, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed illud præcipue, cur Bacchus *Soter* in Nummo dicatur? Neque enim ideò id factum arbitrer, quòd, ut Nonnius obſervat, Græcos in Myſia ſervâſſet; Quid enim hoc ad Maroneos? Neque ideò, quòd vindemiam ſervando, Maroneorum felicitati proſpexerit, uti quidem Te ſtatuere memini, ſed omninò ob Vini Maronei ſanitatem. Ne ſic quidem malè, reſpondit DULODORUS, quanquam alii ad temperantiam reſpiciant, quæ opinio firmari poteſt teſtimoniô Mneſithei apud Athenæum. En verba!

— — *Τὸν οἶνον τοὺς Θεοὺς*
Θνητοῖς καταδείξαι τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις
Ἀγαθὸν μέγιστον. — —

Διὸ καὶ καλέισθαι τὸν Διόνυσον παντάχοῦ
Ἰατρὸν. Ἡ δὲ Πυθὶ εἰρηκέ τισι
Διόνυσον Ὑγιάτην καλεῖν.

— — *Vinum Deos*
Mortalibus monſtrâſſe, rectè utentibus
Summum bonum:
Quapropter Bacchum omnibus in locis vocant
MEDICUM: *Quibuſdam verò edixit Pythia,*
Bacchum vocandum SANITATIS PRÆSIDEM.

Quanquam, ut verum fatear, *Soteros* vocabulum latius pateat; is enim indigitatur, qui quocunque à malo ſervat. Ad Numiſma adhuc notaverim, non pellem Hinnuleam Bacchum hunc præferre, ſed pallam, uti & in Gemmis. Etiam ſagittas, excepit ARCHÆOPHILUS, in Baccho hoc agnoſcis, quis autem unquam Baccho ſagittas dedit? Euripides, inquit DULODORUS, idque verbis etiam Athenæo citatis ex Oeneo:

Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου ταξεύμασι
Κάρα γέροντος.

Crebris percuſſerunt BACCHI SAGITTIS
Caput Senis.

Progredientibus in mediæ Propontidis litoribus aperitur

PERINTHUS
AB HERCULE CONDITA.



IN primo Numiſmate eſt Caput Herculis, inſcriptum TON KTIΣTHN; Et in averſa Clava cum lemmate, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Vocem *Neocorων*, Sacrorum Curatores innuere, dudum patet, & cujus ſacra curaverint Perinthii, Clava innuit, quæ Herculis eſt: Et cauſam cultûs indicant verba TON KTIΣTHN, *Conditorem*. Herculem Perinthiorum Urbem condidiſſe, Ammianus Marcellinus Lib. XXII. c. 8. in deſcriptione Thraciæ teſtatur; *Civitatem* vocat, *quam Hercules conditam, Comitis ſui memoriæ dicavit:* Res vulgata eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm inde etiam *Heracleam* appellatam conſtet. Nomen Heracleæ, reſpondit DULODORUS, Maximiani Herculei demum tempore Perinthum accepiſſe, Triſtanus arbitratur, ſed fruatur opinione. In ſecundo Numiſmate præter Herculem Jupiter ſedet. Jovem ſedentem in Perinthiorum Nummis, perrexit ARCHÆOPHILUS, etiam apud Patinum in Imperatoriis cernimus. Imò, ſubjecit DULODORUS, apud eundem in Theſauro cernitur Aquila Jovis ales ſuprà aram, cui Hercules adſtans thura infundit, apertô teſtimoniô, non tantùm Herculem, ſed & Jovem Perinthiis in honore fuiſſe. Ad Bosphori fauces ſe ſiſtit

BYZAN-

BYZANTIUM,

CULTU DIANAE, NEPTUNI, ET BACCHI MEMORANDA.

ÆRea sunt Byzantinorum Numismata, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen ferrea fuisse, Cœl. Rhodiginus observet. In primo est Diana *Orthosia*, cujus aram in hac Urbe fuisse, ex Herodoto Te observare memini, non minus ac templum *Luciferæ*, ex Dionysio Byzantino, apud Petrum Gyllium, quod Lunæ & Stellæ, quæ in aversa cernuntur, apprime convenire videtur. Non inficias ierim, respondit DULODORUS, præsertim cum Byzantini etiam Dianæ *Lampadiferæ* simulacrum memorentur erexisse, obsidione liberati, quâ Philippus, Macedoniæ Rex, eos premerat gravissimâ. Inde certè & Lunæ effigies BYZANTINH ΣΩΤΕΙΡΑ, in eorum Numismatibus inscribitur, apud Rev. Harduinum, qui BYZANTIΩN legere mavult: Inde stella quibusdam *Phosphorus* videtur, indeque appellatus locus circa Portum. Videri possunt Steph. Byzantinus, Constant. Porphyrog. 2. Lib. XII. c. Them. Eustathius ad Dionys. Hesych. L. de Origine C. P. Quos Nob. de Wilde allegat.

Præter hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, fortassis adhuc altius volupe fuerint ascendere. Adhuc altius? regessit DULODORUS, & quo? Ad Originem, inquit ARCHÆOPHILUS. Constat Byzantios Megarensium fuisse Coloniam, à Byzante scil. Megarense Duce deductam. Megaris autem colebatur non tantùm Apollo, sed & Diana, uti ex Pausaniâ constat. Quid igitur, si, uti sub Luna Diana, ita sub Stella Apollo lateat, præfigureturque, ut dictum, Byzantinorum Origo? De Diana, inquit DULODORUS, rationem admiserim, de Apolline non item. Pausanias Apollinem, non *Solem* Megaris cultum asserit, sed Αγραίον *Venatorem*, uti & Dianam Αγροτεραν *Venatricem*, qualis in adversa Numismatis nostri expressa est. Sed quid opus est Originem inde accersere, cùm abundè declaretur expressâ in secundo Numismate Neptuni imagine. Stephanus sanè rem apertè. Ἔκτισθη, inquit, ἀπὸ Βύζαντος τοῦ Ποσειδῶνος; *Conditum Byzantium est à Byzante NEPTUNI, filio.* Evidens ratio est, nisi fortasse & ad Originem à Lacedæmoniis, & Bœotiis respicias; Illi enim Neptunum & Asphalium & Tænarium coluêre: Hi autem, uti supra vidimus, Onchestium.

Cæte-

Cæterùm & ad ſitum & potentiam navalem, imò etiam ad Piſces, & Pelamides & Thynnos, reſpicere poteris, de quibus & Strabo & Plinius. Sed cognitis jam & vulgaribus non ulterius inhærendum. In Tertio Numiſmate Bacchus eſt, ad quem, Herodoti locum citant, de Cippis locuti, quos Darius ſuper Bosphorum erexerat. Τῆσι μὲν νῦν στήλῃσι ταύτῃσι Βυζάντιοι, κομίσαντες ἐς τὴν πόλιν, ὕστερον τουτέων ἐχρήσαντο πρὸς τὸν βωμὸν τῆς Ορθωσίης Αρτέμιδος, χωρὶς ἑνὸς λίθου, ὗτος δὲ κατελείφθη παρὰ τοῦ Διωνύσου τὸν νηὸν ἐν Βυζαντίῳ. *His poſtea Cippis Byzantii in Urbem ſuam translatis, uſi ſunt ad aram DIANÆ ORTHOSIÆ, præter unum lapidem, qui apud BACCHI delubrum in eadem Urbe relictus eſt.* Sed ultra tendimus. Ad Ponti litora occurrit

ISTRIA
MILESIORUM COLONIA.



ELegans hoc Iſtrianorum Numiſma eſt, & ſi quid judico, ſatis congruè à me illuſtratum. Sub duplici vultu, altero ad ortum, altero ad occaſum ſpectante, Urbis ſitum mihi imaginor, in Europæ confiniis poſitæ. Non caret conjectura ratione; Aſianam enim, & oppoſitam continentem, mulierum inſtar Europæ viſas, ex Moſcho diſcimus. Idyll. 2. Capita in Numiſmate, regeſſit ARCHÆOPHILUS, non muliebria ſunt, ſed virilia, indeque Aſiam & Europam iis præfiguratas non crediderim; Quid igitur? interrogavit DULODORUS. Apollinem Didymæum, reſpondit ARCHÆOPHILVS; Is enim, Macrobio teſte, ita dictus eſt, quòd geminam ſpeciem ſui numinis videretur præferre, illuminando ſcil. per ſe, & formando Lunam. At Apollo Didymæus, excepit DULODORUS, apud Mileſios cultus eſt. Et à Mileſiis, perrexit ARCHÆOPHILUS, Iſtropolis condita eſt, id quod ex Strabone & Plinio diſcas, quorum alteri Μιλησίων κτίσμα, alteri *Metropolis Mileſiorum* dicitur. Cæterùm & diverſitas nominum displicet, quæ Plinio Iſtropolis dicitur, ea Straboni Ἴστρος, & ſi Nummos conſulas apud Goltzium ΙΣΤΡΙΗΩΝ legitur, & in propoſito ΙΣΤΡΙΗΑ.

Diverſæ in Civitatibus nominum formationes, reſpondit DULODORUS, novi nihil ſunt: Illud autem hic notandum, eundem Nummum noſtrum apud Franciſcum Gotifredum exſtitiſſe, ejusque fide Lucam Holſtenium in notis ad Stephanum dubitare, an Nummi mentem Goltzius rectè expreſſerit. Quicquid ſit, Apollinem Didymæum ego hic non intellexerim. Is enim in Numiſmatibus veram ubique Apollinis effigiem obtinet. Exemplum eſt apud Patinum p. 94. Aliud adhuc mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS. Iſ. Voſſius ad Pomponium Melam p. 125. Nummum hunc cum duplici capite, de Iſtro fluvio, ſive Danubio interpretatur, quòd contrariis is, & diverſis capitibus in Pontum Euxinum & Mare Adriaticum exire, à Veteribus credebatur. Falsò id credebatur, reſpondit DULODORVS, nec communis ea, ſed quorundam tantùm fuit opinio; ut taceam, nulla omninò apparere fluvii inſignia. Quod meam de ſitu Urbis, in Aſiæ Europæque confiniis poſitæ, ſententiam attinet, roborari ea poteſt

poteſt iis veterum locis, in quibus Europa Aſiæ, aut Aſia Europæ oppoſita dicitur. Euripidem inſpice in Jone ℣. 1571. quem locum Per-Illuſt. SPANHEMIUS ſuggeſſit:

Ἀντίπορθμα δ' ἠπείροιν δυοῖν
Πεδία κατοικήσουσιν, Ἀσιάδος τε γῆς,
Εὐρωπίας τε.
Oppoſita vero litora duarum Continentium
Inhabitabunt, & campos Aſiaticæ terræ,
Et Europæ.

Acquieſco, inquit ARCHÆOPHILUS, modò & de reliquis doceas Averſam Numiſmatis, ad potentiam navalem Te memini referre. Id adhuc ago, reſpondit DULODORUS, idque tàm, quòd Mari vicina fuerit hæc Urbs, quàm quòd Plinio & Ammiano Marcellino, *ejus tractûs pulcherrima & potentiſſima* audiat, nequicquam contrà ſentiente Strabone, cui πολίχνιον, *oppidulum* dicitur. Aquila potentiæ ſymbolum eſt, & Delphinus maris incola & Rex. Quid igitur Aquila Delphino & roſtrum & ungues infigens ſignificet, ſi non potentiam, Dominium maris ſibi vindicantem? de Aquilâ notandum, ex earum genere hanc videri, quæ Græcô vocabulô Haliæeti vocabantur. De hac enim Plinius Lib. X. cap. 3. *Supereſt*, inquit, *Haliæetus, clariſſimâ oculorum acie, librans ex alto ſeſe, visóque in Mari Piſce, præceps in eum ruens, & diſcuſſis pectore aquis, rapiens.* In Aſiam transgredimur, ubi prima nobis occurrit

CHALCEDON, MEGARENSIUM COLONIA,

Id quod ſub Apolline & Lyra adumbratur. Ita in Spicilegio, excepit ARCHÆOPHILUS, ex Thucydide & Strabone, junctisque Megarenſium Nummis docuiſti: nec abs re; Apollinis enim cultum apud Megarenſes, hiſtoria Alcathoi, lapisque vocalis teſtantur, de quibus Pauſanias: Et apud Chalcidenſes templum Apollinis antiquiſſimum memorat Lucianus. Rectè ſentis, inquit DULODORUS, indeque proponendum Numiſma non cenſuiſſem, niſi elegantia oculos afficeret, & inſcriptio, quæ in aliis ΚΑΛΧΗΔΩΝ viſitur, ΧΑΛΚΗΔΩΝ ad oculum oſtenderet. Αὐθεντίαν, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi ipſius Nummi adſpectus eam probaret, inſcriptio hæc reddere poſſet ambiguam; Nummi enim, quos vulgârunt Celebres, & Eruditi Antiquarii, non ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΩΝ ſed ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ habent, aſſerente etiam Per-Illuſt. SPANHEMIO, ſe Nummos ejusmodi ſæpiſſimè tractâſſe; Adeò res vulgata eſt, ut etiam Librariorum, qui varios Codices, & Authores antiquos obſedit, & adhuc obſidet, errorem inde ortum, idem Vir Magnus jam pridem monuerit: ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΩΝ videlicet, ſive *Carthaginenſium*, pro ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ, ſeu *Calchedoniorum* in iis legi, id quod etiam apud Themiſtium factum, docet, Orat. II. p. 26. ultimæ editionis, ut

jam alibi monuerit Petavius. Quid dicemus? aut quomodo rem excusabimus? Harduinus, respondit DULODORUS, Goltzium, qui eundem hunc Nummum protulit, in legendo lapsum, haud temerè se arbitratur suspicari; Sed id temerè eum facere, ipse procul dubio judicabis, uti & rectè αὐτοψίαν pro Nummi sinceritate allegas. Illud etiam nescio, an dare possim, quod Harduinus ex Stephano conficere vult, Χαλκήδων *sc. sequiore ævo scriptum*; Nummus enim noster antiquissimum artificium sapit, & non apud Stephanum tantùm, imò & apud Herodotum, scriptorem antiquissimum, Χαλκήδων legitur, adeò ut ex his abunde constet, non hoc, sed ΚΑΛΧΗΔΩΝ recentius esse, cum sub Hadriano demum Numisma ANTINOI id præferat; eòdem modô, quô Nummus sub Gordiano à Sardianis percussus, apud Seguinum, ΝΕΟΧΟΡΩΝ pro Νεοκόρων exhibet, quô vel solô exemplô patet, rectissimè Per-Illust. SPANHEMIUM per consvetam literarum X. & K. permutationem rem excusare, Dissert. Secunda pag. 76.

CYZICI

CYZICENUS STATER, CUM PROSERPINA, ET LEONE CYBELES OCCURRIT.

CYzicenus stater? inquit ARCHÆOPHILUS. Ii quidem celebres, ut ibene excusi, & hinc cum facie muliebri, illinc cum Leonis parte anteriore, Suidæ memorantur; sed Erasmus in Adagiis Chil. III. Cent. 1. ad. 73. *Stateren Cyzicenum XXVII. Drachmas Atticas*, ait, *valuisse*, quod pondus utique propositum immane quantum superat. De valore loquitur, inquit DULODORUS, non pondere, idque Cyziceni stateris non argentei, sed aurei. Argenteus stater quatuor Drachmarum erat, omninò qualis propositus, id quod Celeberrimus Gronovius de Pecunia vetere p. 362. docet; Sed hæc alii. Caput muliebre Proserpinæ est, quæ Cyzicum à Jove in dotem memoratur accepisse, adeòque Urbis Domina fuit, præcipuôque ibidem cultu inclaruit. De Proserpina dubitem, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam nec alio caput hoc referre ausim. Spicæ & racemi rem ambiguam faciunt; Illæ enim ad Cererem, hi ad Bacchum deducunt. An nescis, respondit DULODORUS, Proserpinam Cereris filiam cum Libera eandem fuisse? Ciceronis testimoniô res dudum patet. An nescis, Bacchum Ταυρίμορφον ex Proserpina natum, id quod Clemens asserit? Imò non apud Græcos tantùm, sed etiam apud Romanos Liberum cum Cerere & Libera consecratum, ex Cicerone & Livio?

Verisimiliter assertum tueris, respondit ARCHÆOPHILUS, fidemque eò pronius largior, quô planior sensus est de Obsidione Mithridaticâ, Proserpinæ & Luculli auxiliô solutâ; Id enim de Proserpina svadet elogium ΣΩΤΕΙΡΑΣ: Et Lucullo etiam in Somnis Venus:

Quid dormis animose LEO?

Idem

Idem aliquando credidi, respondit DULODORUS, sed considerans, Proserpinam ΣΩΤΕΙΡΑΝ etiam alibi dici, & Leonem etiam alius Cyzicenorum in Stateribus exprimi, à me impetrare amplius non possum, ut ad unicum factum hoc Numisma restringam. Potius, ut illinc Proserpinam, Servatricem Urbis, quocunque tempore Cyziceni credi debent coluisse, ita & hinc Leonem non tam ad Lucullum, quàm ad Cybelen retuleris, cui Leones sacri sunt. Cybelen sive Matrem Deûm Cyzici cultam, ex Strabone, & Numismatibus, docet Rev. Harduinus: Ejus fanum scilicet erat in Dindymo, Cyzici monte, unde & Dindymene dicta est. Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid globus? quid affictus Leoni Piscis? Annon hi Maris Terræque symbola sunt? Sunt, inquit DULODORUS, indicantque, Ille Cybeles potentiam, quæ totius terræ Domina est, Hic Urbis situm, quòd Cyzicus Mari circumflua, totâ Propontide illustrissima esset. Strabonis verba subjicio, sed cùm longiora sint, ex interpretatione Xylandri: *Insula*, inquit, *in Propontide, CYZICUS, duobus pontibus continenti adjuncta, virtute præstans admodum, ambitu ad 17. stadia. Urbem ejusdem nominis habet ad ipsos pontes, duosque Portus, qui claudi possunt, & Navalia CC. plura: pars Urbis in plano est, alia monti adjacet. Mons, Ursorum Mons dicitur. Supra hunc alius Dindymum uno cacumine, in eo monte fanum est DINDYMENES DEORUM MATRIS, dedicatum ab Argonautis. Hæc Urbs comparari potest cum Principibus Asiæ Urbibus ob magnitudinem, Legum bonitatem, bello pacique juxta accommodata. Videtur iisdem ornamentis prædita, quibus Rhodiorum, Massilienſium, Carthaginensiumque Urbes antiquitùs fuerunt decoratæ. Pleraque hîc prætereo.* Quid glorioſius dici potest?

ALEXANDRIA TROAS
ROMANORUM COLONIA, AB ONERIBUS PUBLICIS IMMUNIS.



ALexandriam hanc, inquit ARCHÆOPHILUS, à Paride dictam, quòd eo in loco Deas is judicaverit, in Thesauro Palatino docuisti; Sed Harduinus ab Alexandro M. appellatam tradit, eôdem modô, quò *Antigonia* ab Antigono Asiæ Rege. Quid in re ambigua sequar? Quod ego docui, respondit DULODORUS; licet enim authorem non citaverim, Stephanus tamen rem apertè, quem & ante me Patinus allegavit: Ἔστι καὶ τόπος ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ Τρωικῇ, Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος, ἐν ᾧ φασι τὸν Πάριν διαχρῖναι τὰς θεὰς· ὡς Τιμοσθένης. *Est locus*, inquit, *in Ida Trojana, qui dicitur Alexandrea, in quo ferunt Paridem Dearum certamina judicâsse, ut Timosthenes.* Ita quidem Stephanus, excepit ARCHÆOPHILUS; at Strabo pro Alexandro M. militat. En & hujus verba, interprete Xylandro: *Mortuô*, inquit, ALEXANDRO, ALEXANDREAM, *etiam curandam sibi duxit quæ jam Antigono condita, & Antigonia appellata nomen mutavit; Pretiosis enim*

hoc videbatur esse, ut qui ALEXANDRO *successisset, huic prius, posteà demum sibi cognomines Urbes condirent, & quidem hæc* ALEXANDRIA *duravit & crevit. Nunc etiam Romanorum* COLONIAM *excepit, & est una de Urbibus nobilibus.* Quid ais, DULODORE? An authoritas non potior, præsertim cum Stephanus non de Urbe, sed de loco in Ida monte loquatur? Fateor, inquit DULODORUS, & jam non amplius miror, qui ALEXANDRIA ANTIGONIÆ apud Plinium postponatur. *Troas, ANTIGONIA dicta, nunc ALEXANDRIA, Colonia Romana.* Colonia Romana? excepit ARCHÆOPHILUS; At quando deducta? Sub Augusto, respondit DULODORUS, id enim non tantum Numisma, sed & Strabonis locus evincit, uti jam ante me, Ill. Patinus observavit, qui & ex Lege VII. Dig. de Censibus, eam Juris Italici fuisse, probat. Libertatem, subjecit ARCHÆOPHILUS, indicat Equus pascens, cur autem Equo potissimùm usi sint, eorum feracitatem & præstantiam Te adducere memini, cùm de iis Claudianus:

— — *Delectus Equorum*
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ,
Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt.

Aliud adhuc, respondit DULODORUS, ex Tacito docet Cl. Vaillant, oneris scil. immunitatem sub Equo hoc latere, quam ab Imperatore Claudio remissam, sequens authoris locus demonstrat, L. XII. *D. Junio, Q. Haterio Coss*, inquit, *sedecim annos natus Nero, Octaviam Cæsaris filiam in matrimonium accepit, utque studiis honestis & eloquentiæ gloriâ innotesceret, causâ ILIENSIUM susceptâ, Romanum Troja demissum, & Juliæ stirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul fabulis vetera, facundè executus, impetrat, ut ILIENSES OMNI PUBLICO ONERE SOLVERENTUR.* Appositè hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, sed torquet id, quod remi instar, capitis turriti tergo affictum cerno. Non remus est, respondit DULODORUS, sed Vexillum seu Labarum, id quod clarum est ex Nummo Hadriani apud Vaillantium, cui Legionis cujusdam Veteranorum, in hanc Coloniam transmissorum, index creditur. Ex Troade descendendo in Mediterranea deflectimus. Hìc ad Caicum est Pergamus.

PERGAMENI,
EX ARCADIA ORIUNDI,
MINERVAM ET AESCULAPIUM COLUERE.

MInervæ & Æsculapii cultum, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Polybio & Appiano demonstrasti, quorum Ille, Attalum Regem Pergami Minervæ ludicrum celebrantem: Hic Italicos in templo Æsculapii, salute apud salutis Deum nequicquam quæsitâ, confossos memorat. Citasti & Lucianum, quò authore Æsculapius in hac Urbe medicinam exercuit, & officinam habuit; Quid præte-

præterea deſiderem? Id quod Poëtæ ſuppeditant, reſpondit DULODORUS. Martiali ſcilicet Æſculapium *Deum Pergamenum* dici:

PERGAMEO poſuit dona ſacrata DEO.

Inquit L. IX. Ep. 17. Et Papinius Statius appoſitè ad Nummum,

Pergameas intraſſe Domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata ſalutifero mitis DEUS INCUBAT ANGUI.

Sed Æſculapii ſimulacrum, à Philomacho factum, Pergami ſuſtuliſſe Pruſiam, Suidas author eſt, nec opus reor, ad rem notam plura addere, niſi fortè & Galenum, & Oribaſium, Medicos Pergamo oriundos, recorderis. Ad Minervam notandum, Pergamenorum ex Arcadia originem ſub ea latere poſſe. Minervam in Arcadia cultam fuiſſe, cognomenta *Aleæ*, *Hippiæ*, *Poliatidis*, & *Mechanitidis*, ſive *Machinatricis*, apud Pauſaniam evincunt: Et Pergamenos Arcadas eſſe, ejusdem Authoris ſequentia teſtantur. Ἣν δὲ νέμονται οἱ Περγαμηνοὶ καθεῖρων ἱερὰν Φασιν εἶναι τὸ ἀρχαῖον. Αὐτοὶ δὲ Αρκάδες ἐθέλουσιν εἶναι τῶν ὁμοῦ Τηλέφῳ διαβάντων ἐς τὴν Ασίαν. *Quam Pergameni incolunt terram, eam Cabiris ſacram fuiſſe perhibent. Se ipſi ex eo Arcadum numero eſſe volunt, qui cum Telepho in Aſiam trajecerint.* Locus apprime quadrat, inquit ARCHÆOPHILUS; Quadrat, reſpondit DULODORUS, & ſimul mihi in mentem revocat, quod a Per-Illuſt. SPANHEMIO didiciſſe glorior: Nummum ſcilicet hunc non hujus tantùm, ſed & alterius Coloniæ teſtem eſſe. Hujus quidem in Minerva; Alterius autem in Æſculapio. Baſin aſſerti *Vir Magnus* ex Ariſtide adduxit, Oratione de Concordia Urbium T. II. p. 304. ubi quum de Æſculapii in Urbem Pergamum adventu Orator egiſſet, addit καὶ γίγνεται τοῖς μὲν χρόνοις ἄυτη δευτέρα τὶς ἀποικία δεῦρο ἐκ τῆς Ελλάδος, μετὰ τὴν ἐξ Αρκαδίας τῶν ἅμα Τηλέφῳ, τῇ δὲ ἀξίᾳ καὶ τῇ δυνάμει, πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν. *Temporis ratione ſecunda eſt hæc Colonia, è Græcia poſt illam deducta, quam ex Arcadia Telephus cum ſuis deduxit, dignitate tamen & potentiâ omnium eſt antiquiſſima.* Pergamo ſuccedit

MYRINA,
CULTU
APOLLINIS GRYNAEI
MEMORANDA.

DE Apolline Grynæo ex Strabone docui, qui Grynium, Myrinæorum Oppidulum, & fanum Apollinis, vetusque Oraculum, & templum ſumtuoſum ex albo lapide memorat, addito: *hunc fuiſſe celebratiſſimum illum Apollinem, qui ſub GRYNÆI nomine innotuerit.* Meminit & Virgilius:

Italiam magnam GRYNÆUS APOLLO,
Italûm Lyciæ juſsêre capeſſere Sortes.

Et Ecloga VI.

His Tibi GRYNÆI nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quò se plus jactet APOLLO.

Non tam Apollo, excepit ARCHÆOPHILUS, quàm figura aversæ dubia est. Hanc Tu Pythiam interpretaris, cùm tamen ipsum Apollinem Rev. Harduinus videatur statuere. ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ, inquit, *Nummi Græci apud, Goltzium cum Apollinis effigie, Lauri ramum lævâ tenentis.* Authoritas Harduini, respondit DULODORUS, contra apertam veritatem nihil proficit. Pythiam non tantùm papillarum crassities evincit, sed & adscriptum monogrammon: nisi potius cum Tristano nomen Magistratûs *Pythodorum, Pythoclem, Pythagoram* aut *Pythonem* intelligas. Quicquid sit, etiam appositum vasculum & Lauri ramus cum vittis, Apollinis sacerdotem testantur. Lauri ramum etiam Apollinem gestare in confesso est, sed Lauri ramus cum vittis, Apollinem venerantis indicium videtur. Notandum coronam Tristano ex Hypogloisso concinnatam videri. Sed quid in re nota subsistimus? Ultra progredimur.

PHOCÆA
IMPERIUM MARIS JACTAT.

HOc Numisma, subjecit ARCHÆOPHILUS, in Thesauro Palatino ad Romanorum injurias retulisti, eò quòd Phoca Phocæenses, Lupus autem Marti sacer, Romanos Martis progeniem ritè præfiguraret; Sed Harduinus Piscem in Numismate tam Phocæ similem ait esse, quam Ovis est Ovo. Si non Phocæ, respondit DULODORUS, at Phocænæ similis est. Mihi, inquit ARCHÆOPHILUS, Delphinus videtur. Delphino, respondit DULODORUS, nisi quòd minor, Phocæna similis fuisse, Aristoteli memoratur. En verba, Lib. IV. c. 12. Ὅμοίως δε τῷ Δελφῖνι καὶ ἡ Φωκαίνα. Καὶ γὰρ ἐστιν ὅμοιον Δελφῖνι μικρῷ. *Similiter Delphino & Phœcæna, scil. parit. Partus autem Delphini parvo similis est.* His nixus, quidni Piscem, in Nummo expressum Phocæensium, appellationi convenire credas? Quanquam ne sic quidem opinionem meam retineam, cùm potius suam gloriam Phocæenses credendi sint hôc schemate publicâsse. Harduinus ad capturam Piscium respicit, inquit ARCHÆOPHILUS, eò quòd, Plinio teste, etiam ad paludem Mæotim, partem à piscantibus Lupi acceperint, id quod ex Aristotele hausisse potuit, aliique pariter prodidére, ut Ælianus Lib. VI. Hist. Anim. c. 65. & Stephanus sub verbo Κονώπη. Si de Phocæa tale quid memoraretur, subscriberem, regessit DULODORUS. Deficiente authorum suffragiô, certius quid expectandum arbitror. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Phocæensium origines erit abeundum. A Phocensibus Parnassi accolis eos descendisse, suprà docuisti. Parnasso dominabatur Apollo, qui & Λύκιος à Lupo cognominatus est, uti ad Argivorum Numisma diximus. At idem Apollo, respondit DULODORUS, etiam Delphini

specie

ſpecie, Cretenſes in ſinum Criſſæum duxiſſe, Homero memoratur. Huc igitur ſi reſpicias, Apollo in ſe ipſum ſævien's præfigurabitur, quod non dixeris; Quanquam, ſi vel à Parnaſſo, vel ab Apolline, Lupi imaginem Phocæenſes mutuaſſe conjicias, Delphinum Maris Principem, adeòque haud forſan abſurdè Maris imperium hoc ſchemate adumbratum credere poſſis. Svadet rei navalis peritia, quâ antiquiſſimis etiam temporibus inclaruére: Svadet duplex portus, de quo Livius: *Qui ad meridiem vergit, Nauſtathmus ab re appellatur, qui ingentem vim navium capit. Alter prope ipſum Lamptera eſt. Hos portus tutiſſimos* &c. Sed aliud adhuc Numiſmatis noſtri raritatem extollit, non meis id verbis enunciabo. Major calamus hanc ſpartam ſibi vindicat. Per-Illuſt. SPANHEMIUS, qua me humanitate proſequitur, ſequentia nuperrimè communicavit.

Inter præclaros Cimeliarchii hujus Electoralis Brandenburgici, olim Palatini Nummos, exſtat unus, quem Romæ olim cum nonnullis aliis ſueram nactus, inſcriptus in prima area ΦΩΚΙΑ *cum capite turrito; in altera,* ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Eadem quoque hujus Urbis, illiusque gentilis, nempe* ΦΩΚΕΑ *cum capite turrito, & in averſa parte* ΦΩΚΑΙΕΩΝ, *cum acroſtolio, & duobus pileis duabusque ſtellis, totidem Caſtorum ſymbolis, inſcriptio, conſpicitur in numino, quem Cl. Sponius protulit in Itinerario P. III. Inde autem liquet manifeſto, dictam quondam hanc Urbem* Φώκεα, *prout eadem in duobus illis antiquis patriisque loci monumentis ſignatur, & quæ vulgo* Φώκαια *ab Auctoribus dicitur: ac inde formata gentilia,* Φωκεὺς, Φωκαεὺς *&* Φωκαιεύς. *Quibus etiam Nummis accedit, quique illos ſimul illuſtrat Heraclides de Politiis,* ΦΩΚΕΑΝ, οἱ μὲν ἀπὸ ΦΩΚΟΥ ἡγεμόνος ὠνόμασαν, οἱ μὲν ὅτι ΦΩΚΗΝ εἰς τὸ ξηρὸν εἶδον ἐκβαίνουσαν. PHOCEAM ſunt, qui à PHOCO duce nuncupatam ſtatuunt; alii verò, quod PHOCAM in ſiccum egreſſam viderint, *nempe conditores. Proba ergo ibi, indubia veterum nummorum auctoritate, ſcriptura* Φώκεα *neque in* Φώκαια *continuo, ut Cl. Holſtenio ad Stephanum viſum, commutanda. Firmat præterea idem Heraclidis locus, id quod à Stephano traditur de vocis origine,* διὰ τὸ πολλὰς ἀποῤῥυῆναι Φώκας τοῖς κτίσασιν, quod multæ phocæ ſequutæ ſint conditores. *Unde etiam factum, ut à* Phoca *marina; ſeu à* Phoco, *cujus Heraclides ſimiliter meminit, Coloniæ in eum locum deductæ duce, Urbisque conditore; ſeu in genere à Græcis* Phocenſibus, *quibus ortos illos Joniæ* Phocæenſes *tradit Pauſanias Lib. VII. p. 402, Urbs ipſa* Φώκεα *& incolæ* Φωκεῖς *fuerint appellati. Neque enim* Φωκεῖς *de ſolis Græciæ* Phocenſibus, *ſeu* Phocidos *incolis, ſed de Jonibus* Phocæenſibus *ſubinde etiam à veteribus, Herodoto, aliisque dictos, quod reſpuebat ad Solinum* ὁ πάνυ, *idem in gloſſa ad Stephanum, quæ in Berkeliana editione ad vocem* Φώκαια *ſub Salmaſii nomine ibi proſtat, agnoſcit. Neque tamen rem acu ibi tangit, dum notat* ὁ πάνυ, *quod non ſolum* Φώκαια, *ut ibi apud Stephanum, ſed* Φώκεια *quoque eadem Urbs diceretur; ac unde natus ſit error, qui multos & optimos auctores invadit, ut ab iis* Φωκὶς *&* Φώκεια *confunderentur, & à qua poſtrema gentile* Φωκεὺς *proſluxerit. Id enim in viro magno ferendum, qui veteres ac præclaros, quos ſupra indicavi illius Urbis nummos, non viderat, in quibus Urbs illa non* ΦΩΚΕΙΑ *ſed* ΦΩΚΕΑ *inſcribitur. Magis forte id mirari ſubit in Cl. Holſtenio, qui in Heraclide* Φώκεα *male pro* Φώκαια *legi ad Stephanum monet; quum tamen inter alios, quos ibi adducit, hujus Urbis nummos, eundem è F. Gottifredi* κειμηλίοις *memorat; quem edidit poſtea Sponius, indeque paullo ante retuli, inſcriptum nempe in prima nummi area,* ΦΩΚΕΑ, *in altera autem, non ut ibi Holſtenius* ΦΩΚΑΙC, *ſed* ΦΩΚΑΙΕ. *ſeu, ut de eo jam ante,* ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Ipſa proinde Urbs, juxta traditam paullo ante ejus originem vel occaſionem,* ΦΩΚΕΑ, *quod ejusdem nummi dubitare non ſinunt, primùm dicta; incolæ autem cum inde* Φωκεῖς, *tum ad diſcrimen inter Grecos & Aſiaticos, qui à prioribus orti,* PHOCENSES, *inſerta, quod Jonibus haud*

inſo-

insolitum littera ϰ, *aut diphtongo* αι, Φωκαεῖς & Φωκαιεῖς *sunt vulgo appellati. Prout nempe illud discrimen in memoratis suprà nummis comparet; ubi hinc retenta vetus & primæva Urbis appellatio* ΦΩΚΕΑ, *cujusmodi nulla Urbs memoratur eo nomine, in Phocide; ipsi vero Urbis incolæ,* ΦΩΚΑΕΙΣ, *in aliis vero insignibus itidem nummis,* ΦΩΚΑΕΩΝ *nomine designantur: prout dari subinde plura unius loci* Ἐθνικὰ, *non magis* ὁ Ἐθνικογράφος, *quam illa ipsa, & qua de re alibi egimus, nummorum supellex docet. Unde factum insuper videas, ut à Latinis Scriptoribus, sicut à Plinio, aliisque, & quo nomine ii solent malè redargui,* Phocenses *subinde de Asiaticis* Phocæensibus *sint dicti: quod sicut Urbs ipsa* Φώκεα, *& incolæ* Φωκεῖς, *haud minus ac* Φωκαεῖς *aut* Φωκαιεῖς *à Græcis sint appellati. Qua ratione prorsus plana jam, ac indubia veterum eorumque insignium Nummorum fide comprobata, quæ hic Auctores illos antiquos ab errore (& quem* errorem communem Latinorum Scriptorum *vocat ad Solinum p. 66. ultim. editionis Salmasius) abunde liberant; remque eam magis explicatam, quam hactenus factum, reddunt. Neque verò pariter ab errore immunis Lucanus, dum* Phocaica lauro *Lib. V. v. 144. &* Phocaicas manus *Lib. III. v. 172. dixit, ubi de* Phocica *seu Parnassia lauro, &* Phocensibus *Græciæ propè Parnassum incolis est eidem sermo. Neque enim dicti illi* Φωκαεῖς *vel* Φωκαιεῖς, *sicut Asiatici* Phocæenses, *sed* Φωκεῖς *tantùm; quorum istud utrisque, Græcis* Phocidos, *& Asiaticis illis* Phoceæ *seu* Phocææ *incolis, uti vidimus, fuit commune. Sed de his hactenus.* Sequitur

SMYRNA
ATHENIENSIUM COLONIA,
CULTU
CYBELES ET JOVIS ACRÆI
NOBILIS.

SMyrnam, inquit ARCHÆOPHILUS, secundum quosdam à Tantalo Jove orto: secundum alios à Theseo, & ipso Divinæ sturpis; secundum alios denique ab Amazonem una, teste Tacitô conditam, in Thesauro Palatino notâsti. Cùm igitur Amazon in Numismate primo, quod & Seguinus prodidit, occurrat, procul dubio pro tertia opinione erit pronunciandum, idque eò magis, quô apertius & Amazonum virtus sub Leone creditur adumbrata. Amazonem,

nem, respondit DULODORUS, non excludo, bipennis eam indubiè demonstrat; Cum autem non bipenni tantùm, sed & coronâ turritâ insignis fulgeat, quæ Urbium, aut verius Cybeles ornamentum est, nihil vereor & ad has respicere. Leo aversæ certe Cybelen apertè demonstrat, firmantque opinionem, & Numismata & Authores, uti videre est apud Harduinum, qui *Matroum*, sive Matris Deûm fanum, Smyrnæ fuisse, ex Plinio & Strabone docet, productis Smyrnensium Nummis, in quibus Cybele turrita sedens, lævâ cantharo innititur, Leone ad pedes assidente. Acquiescerem, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi Mater Deûm vetula, expressum autem caput turritum in Numismatibus juvenculæ foret. Non juvenculam, reposuit DULODORUS, sed vegetam ætatem cerno. Quòd venustiùs adornata sit, non de nihilo arbitror; Indicat enim venustatem Urbis, quæ si Aristidem audis, *totius Asiæ ornamentum*, si Lucianum in Imaginibus, *Jonicarum Urbium pulcherrima, mulierumque pulcbrarum ferax* fuit. Sed ad Jovem Acræum deflectimus, quem Smyrnæorum tutelarem fuisse, Tristanus probat.

Jovem Acræum, inquit ARCHÆOPHILUS, eum esse, cujus in promontorio Smyrnæorum fanum fuit, quod promontorium hodieque *St. Giovanni de Acri* vocetur, Rev. Harduinus tradit. Sponius, respondit DULODORUS, aliter sentit, eò quòd promontorium id nimis à Smyrna remotum fuerit, Epitheton Acræi autem non tantùm *promontorii*, sed & *arcis præfectum* denotet. Arcibus præsidebat & Pallas, quæ in aversa tertii Numismatis Jovi, procul dubio Acræo, sacrificat. Palladem, excepit ARCHÆOPHILUS, ad Athenienses Te retulisse memini, sed quo Authore? à Cumæis conditam, & à Thesei uxore appellatam, Thesei illius, qui cum Thessalis Cumas condiderant, Herodotus in Homeri vita author est. At idem Herodotus, respondit DULODORUS, Lib. I. c. 6. à Colophone conditam asserit, & c. 150. ab Æolibus in Jonum potestatem Smyrnæos venisse, & cap. 56. in Jonico genere Athenienses excelluisse. De Athenensibus certè Luciani testimonium est de Imaginibus, ubi de Smyrnæa pulchritudine locutus, πάτριον αὐτῇ καὶ προγονικὸν, inquit, οὐδὲ ἄλλως ἐχρῆν μετέχουσαν τῶν Ἀθηναίων κατὰ τὴν ἀποικίαν. *Hoc ipsi est hæreditarium, & à majoribus contractum; Neque id secus esse conveniebat, cum ratione Coloniæ ATHENIENSIUM sit particeps.* Quicquid sit, crebram apud Joniæ Civitates Minervæ venerationem fuisse, ex Pausania constat: Templum apud Phocæenses *mirandum adspectu* memorat: apud Prienenses *visu volupe:* Erythris, *Minervæ Poliadis:* Et si ad Ephesum respicias, unde prima Smyrnensium origo est, Strabo testatur, Urbem circa *Minervium* sive *Atheneum* antiquitùs fuisse.

Prima Smyrnæorum origo ab Ephesiis? mirabundus excepit ARCHÆOPHILUS; At ab Amazone Smyrna deducitur. Ita est, respondit DULODORUS, sed Smyrnenses primi, non eô locô habitârunt, quô Smyrna, sive vetus, sive nova; sed in ipsa Ephesiorum Urbe. Inde postea digressi Smyrnam veterem, expulsis Lelegibus, occupârunt, & à se appellârunt, id quod apud eundem Strabonem legimus. Inde rursus ab Æolibus expulsi, ad Colophonios confugerunt, horumque auxilio patriam recuperârunt, uti Pausanias refert. Sed de his, non minus ac de Jove Acræo, agit Per-Illust. SPANHEMIUS in peculiari *de Smyrna Amazone* Diatriba, quam suæ *de Vesta & Prytanibus*, in Smyrnæorum Nummo, Dissertationi, appendicis locô annectendam censuit, quasque Diatribas, cum nonnullis aliis, ad prælum paratas pridem in scriniis servat. Qui & illud obiter monet, tres deductas diversis temporibus perhiberi Smyrnam Colonias, & à totidem ac diversis Conditoribus, seu Ἀρχαγέταις, qui proinde confundi, uti à Tacito tamen factum, Ann. IV. 56. non debent. Sed ad Gryphum descendere

placet, qui quarto in Numismate rotam volvit. Gryphos, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Arimaspos vivere, haud procul ab ipso Septentionis exortu, ex Plinio constat, L. VII. c. 2. Ex Aquilone, utpote, Justino teste, Scytharum progenies, Amazones fuére, quæ Smyrnam condiderunt. Quid igitur, si hanc sub Grypho originem Smyrnæi respiciant? Si ita censeas, respondit DULODORUS, potius origo a Colophonus latere videretur; Apollinis apud Colophonios cultus, cognomine *Clarii* patefecit, cujus & Lucus & Oraculum ibi fuisse, Straboni memorantur: & Apollini Gryphos sacros ex Claudiano & Philostrato Jac. de Wilde probat, adductis & Sidonii versibus 2. Carm. 307.

Nunc ades, ô Pæan, Lauro cui Gryphas obuncos
Docta lupata ligant, quoties per frondea lora
Flectis penniferos hederæ bicoloribus armos.

Gryphos Apollini sacros, reposuit ARCHÆOPHILUS, etiam ex Nummis Gallieni, & Servio constat, ad Ecl. VIII. An autem Apollinis currum trahat, uti Sidonio videtur, fateor me nondum observâsse. Exemplum, inquit DULODORUS, est apud Cl. Sponium in Miscell. pag. 3. Hinc certè etiam constare posset, cur Gryphus rotam in Numismate premat, non aliam scilicet ob causam, quàm ob Solis cursum, quòd scil., uti Doctissimo Causæo videtur, rerum omnium procreatio ex continuo motu, & circuitu currûs Solaris proveniat. Sed aliud suggessit Magnus noster SPANHEMIUS, Gryphum scilicet non tam ad Apollinem his in Nummis, quàm ad Nemeses Smyrnensium, ut aliunde notum est, Deas tutelares pertinere, iis enim Gryphum cum Rota vulgò addici, in allegatâ supra *de Smyrna Amazone* Diatriba idem Vir Illustrissimus observat. De Corona adhuc obscurum est, inquit ARCHÆOPHILUS. An Smyrnion, an verò alius, sive plantæ, sive arboris ea sit? libenter scirem. Non Smyrnion, inquit DULODORUS, sed Smyrna arbor addicit, ex qua Myrrha fluere fertur. Ut hoc statuam, non tam nomen facit, quam foliorum figura, quæ rotunda, crispula, aculeata sunt, plane qualiter folia Smyrnæ Theophrasto Eresio describuntur. En verba! Φύλλον ἔχειν τὸ τοῦ λιβάνου, ἀλλὰ τοῦ μὲν δαφνοειδὲς καὶ λειόφυλλον εἶναι. Τὸ δὲ τῆς Σμύρνης ἀκανθῶδες καὶ οὐ λεῖον. Φύλλον δὲ προσεμφερὲς ἔχειν τῇ πτελέᾳ. πλὴν οὖλον. ἐξ ἄκρου δὲ ἐπακανθίζον, ὥσπερ τὸ τῆς πρίνου. *Thuris folium Laurinum leveque, Myrrhæ ACULEATUM, non leve, ULMEO SIMILE, CRISPUM tamen, extremâ spinâ horridulum, lignei modo. Ulmeo simile*, excepit ARCHÆOPHILUS, Gaza vertit, sed genuina lectio non πτελέᾳ, sed ἐλαίᾳ *Oleæ* habet: Et firmatur ea lectio authoritate Plinii, qui locum hunc exscripsit: *De Myrrha*, inquit, *scabrum alii, spinosumque dixere, folium OLIVÆ, verum crispius & aculeatum, Juba olu, atri.* Plinius me non terret, inquit DULODORUS, cùm enim ipsa descriptio, olivæ figuram excludat, figuram Ulmi autem admittat, imò & ei, quæ in Nummo exhibetur conveniat, nemo non videt, non τῇ ἐλαίᾳ, sed τῇ πτελέᾳ legendum esse. Juba, vel ipso Plinio memorante, folium Myrrhæ Olusatri fuisse scripsit; Atqui Olusatrum secundum Dioscoridem est Hipposelinum; Hipposelinum autem, secundum Theophrastum Eresium, Φύλλον μὲν ἐμφερὲς τῷ ἐλειωσελίνῳ, δασὺ δὲ, *foliis vicinum paludapio est, sed hirsutum.* Paludapium autem, eôdem authore, figurâ Apio simile est, quod non oblongum, ut Olea, sed rotundum fuit, ut suprà in Nummo Selinontiων vidimus. Et iterum, Plinius Myrrham folium Olivæ, sed crispius, ait, habere: Hæc quomodo cohærent? quomodo folium Myrrhæ crispius esse potest folio Olivæ, cùm tamen constet, folium Olivæ planè crispum non esse? Nonne quis ex hac convenientia ritè conjiciat, etiam ipsum Plinium non *Olivæ*, sed *Ulmi* scripsisse? Ulmus certè folia aliquatenus crispa habet, sed crispiora & ligneî modô aculeata, & extremâ spinâ

ſpinâ horrida ſunt, quæ in Nummo apparent, ſpinis in tantùm prominentibus, ut & juniperi videri poſſint, id quod forſan iis cauſa fuit, qui, ut apud eundem Plinium eſt, ſimilem Junipero, ſcabriorem tantùm, ſpinisque horridam Myrrham, folium autem rotundius, ſed ſapore Juniperi prodidére. Sed hæc ad Numiſmata Smyrnæorum ſufficiant, ſi quis certius docere poſſit, haud inviti ſententiam mutabimus. In mediterranea abeuntibus præſtò eſt

MAGNESIA AD SIPYLUM, THESSALORUM COLONIA.



TUine DULODORE oblitus es? inquit ARCHÆOPHILUS. Utique non Aſiæ, ſed ipſi Theſſaliæ hunc Nummum addixeras, idque ratione, ut ego quidem arbitror, evidentiſſimâ. Quàm apoſitè enim ad Equitem, in Nummo expreſſum, quadrat illud Lucani:

— — *Et Magnetes Equis?*

Ut *Equites Theſſalos* taceam, quorum glorioſum apud Hiſtoricos nomen eſt. Non Eques tantùm pro Theſſalia loquitur, inquit DULODORUS, ſed & Equitis ornamentum Chlamys, quam *Theſſalicam* cognominatam, ex Stephano conſtat: Et Bos cornupeta, cùm Theſſalicum Boum genus Pauſaniæ memoretur: Et Spica, cùm Theſſalia εὐδαιμονεστάτη χώρα, *fertiliſſima Pegio* Straboni audiat. Si hæc ita conſentiant, excepit ARCHÆOPHILUS, quid in Aſiam tranſire neceſſe eſt? Neceſſe non eſſet, reſpondit DULODORUS, ſi Numiſmata non cogerent. Rev. Harduinus, dum Goltziana Magnetum, nominibus Præfectorum inſcripta, recenſeret, quintumque præmiſiſſet, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥ inſcriptum, addit: *E quinque Nummis hiſce poſtremis, cùm iisdem ſint inſignita notis poſterius appellati quatuor, ac ille* ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥ, *in Græcia Goltzii vetere Tab. XXI. nempe Equitis effigie ex parte una, Bovis ex altera, ſive ſtantis, ſive priore ſiniſtrô genu procumbentis, ad Magnetes à Sipylo pertinere eos verius idcircò arbitramur, quàm ad Theſſalos, etſi aliter Goltzius, Nonnius aliique cenſuére.* Hæc Harduinus, cui ſi fidem habeas, procul dubio Numiſma propoſitum non ad Theſſaliæ, ſed ad Aſiæ Magnetas judicabis pertinere.

Judico, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam nondum perſpiciam, quâ ratione Equitem & Bovem hi expreſſerint? Non aliâ, reſpondit DULODORUS, quàm quâ reliquæ etiam Coloniæ, decora Metropoleων. Theſſaliæ laudibus cedere Equitem & Bovem, ſuprà vidimus; Quid igitur, ſi Magnetes Aſiæ, à Magnetibus Theſſaliæ oriundos his ſymbolis oſtenderint? De Magneſia ad Mæandrum, id apertè docet Strabo, quidni igitur idem & de Magneſia ad Sipylum ſtatuas, addicentibus eorum Nummis? At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon etiam hanc, & Equis & Bobus, camporumque fertilitate ex-

celluiſſe credam? Omninò, reſpondit DULODORUS; Coloniæ enim, Metropoleωv decora ſtudiosè affectabant. Sed ad alia tranſeamus.

LYDI
HERCULIS ET OMPHALES AMORIBUS GLORIANTUR.

HErcules per ſe patet, inquit ARCHÆOPHILUS. Patet & Omphale; Hæc enim, qualis hîc viſitur, Ovidio Faſtorum II. teſte,

Clavamque gravem, ſpoliumque Leonis

cepit; Sed illud mirari ſubit, quî MÆONIA Numiſma inſcribatur, cùm tamen eorum procul dubio temporum hoc ſit, quibus Regio non amplius *Mæonia*, ſed *Lydia* vocata fuit; Lydos enim primum Numiſma ſignâſſe, Cœlio Rhodigino teſte, Xenophanes tradit. Notandum, inquit DULODORUS, utrumque nomen & *Mæonum* & *Lydorum* etiam poſteris temporibus obtinuiſſe, illud maximè in Numiſmatibus, hoc in Hiſtoria. Plura certè Mæonum Numiſmata proſtant etiam ſub Imperatoribus percuſſa, uti videre eſt apud Rev. Harduinum. Hæc ſi ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, non video, quî Heraclidis id abjudicari debeat, cùm tamen hos ante Mermnadas in Lydia imperaſſe, ex Herodoto conſtet. Ad Herculem certè Numiſma referre, neſcio annon Antiquitas prohibeat. Eadem, reſpondit DULODORUS, fortè & de Heraclidis; res enim in Numnio expreſſæ nec Herculis nec Heraclidarum temporibus Numiſma addicit, cùm credibilius ſit, ſequentium temporum incolas antiquam Gentis ſuæ gloriam hôc typô ebuccinâſſe.

An glorioſa fuerit Herculis ignavia? excepit ARCHÆOPHILUS, an glorioſa Omphales libido? Quidni? reſpondit DULODORUS. Si fœmina invictam virtutem fregit, quid viri faciant? & annon glorioſum, Lydorum Reginam, vel Oraculo judice dignam, quæ, uti Euſebius in Præparat. Evangel. loquitur, *Herculis Domina* vocaretur? Ne tamen vel ſolam Herculis libidinem in cenſum arbitreris venire, ecce & meritum ex Hygino ſub Ophiucho: *Alii*, inquit, *Herculem eſſe demonſtrant, in Lydia apud fluvium Sagarim anguem interficientem, qui & homines complures interficiebat, & ripam frugibus orbabat. Pro quo facto à Regina Omphale, quæ ibi regnabat, multis ornatum muneribus, Argos remiſſum: à Jove verò propter fortitudinem inter ſidera collocatum.* Sed ad Metropolim properamus.

SAR-

SARDIANI
VENEREM, BACCHUM ET MATREM DEUM COLUERE.



DE Venere, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Sardianorum libidine conjecturam duxisti, quòd filias suas prostituisse, fœminas castrâsse, Smyrnæorum Uxores ad concubitum postulâsse, apud Herodotum & Plutarchum legantur; sed ratio non satisfacit, dubitari enim potest, annon caput fœmineum Omphales sit Lydorum Reginæ, quam modò vidimus. Id non dixerim, respondit DULODORUS; cùm enim in aversa non Hercules, sed Silenus Bacchum nutriens appareat, utique verius est, Venerem in adversa exstare. Sed unde, excepit ARCHÆOPHILUS, Venerem Sardianis cultam probaveris? sola enim libido rem non conficit. Unicô Numismate id fecero, respondit DULODORUS. Rev. Harduinus id memorat, ΠΑΦΙΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ inscriptum, cum templo Veneris Paphiæ. Ex hoc certè indubie constat, Venerem Paphiam etiam Sardianis fuisse cultam. Non ausim contrariari, inquit ARCHÆOPHILUS, imò nec de Sileno Bacchum nutriente dubitem, cùm

MÆONII Carchesia BACCHI.

Virgilio, & vina in Tmolo, Sardibus vicino, Straboni memorentur, de quo & Ovidius:

Jam Bacchæa, nemus Tmoli, vineta tenebat
Hesperus. — —

Imò, respondit DULODORUS, etiam in *Catacecaumene*, Lydiæ Regione, vinum *Catacecaumenites* vocatum nascebatur, nullô nobilium vinorum deterius, uti idem Strabo testatur. Et de Baccho videri potest Dionys. Περιηγ. v. 842. Ubi *Lydos Bacchi choreas agitare* canit. Ita & ad poculum recordaberis, quod apud Athenæum legitur, *Pocula circumferre, Lydorum inventum esse.* Ad Numisma secundum, vel Cybeles, vel Urbis Genius occurrit. In aversa, excepit ARCHÆOPHILUS, Jupiter Medinæus in mentem venit, quem Lydis cultum, Hesychius author est; Potius etiam hîc ad Bacchum respexeris, respondit DULODORUS, id quod ex longa veste adstrui potest; *Bassara* enim vocabatur longa ejusmodi vestis, ad pedes usque demissa, ab eaque Bacchus *Bassareus* apud Horatium. Sed hæc de meo. Si plura desideres, audi quæ Per-Illust. SPANHEMIUS ex uberrimo glorioſæ eruditionis Oceano adsperſit:

Duos Sardianorum Electoralis hujus Gazæ nummos quod attinet, in aversa prioris parte Bacchum infantem cum nutritore Sileno signari, bene est a te observatum. Non enim solum totus ille Lydiæ tractus, maximè autem circa Tmolum, ad quem sitæ erant Sardes, Baccho sacer; sed quod e Lydia etiam, tanquam primum ibi educatus, in Græciam ac in illa Thebas sit profectus, ait ipse apud Euripidem Bacch. v. 13.

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας.

Sed quod hunc Nummum adhuc magis illustrat, Sardes *ipsæ* Bacchi nutrix, *à Macedonio dictæ, vinumque ibi ex uvis primum expressum Antbol. lib. IV. cap. XXVIII. Ep. XIX.* Αυτὴ καὶ Βρομίῳ γενόμην τροφὸς, *&c.* Ipsa etiam exstiti Bacchi nutrix &c. *Hinc apud Philostratum Icon. lib. I. p. 591. non Lydia duntaxat tellus, & Lydæ mulieres Baccho famulari dicuntur, sed nominatim additur,* χρυσαῖ δὲ ἐνύφανται Βάκχαι ἐν τῷ Τμώλῳ, καὶ Διονύσου τὰ ἐν Λυδίᾳ, aureæ autem intextæ sunt Bacchæ in Tmolo (*ad quem, ut diximus,* Sardes) monte, & quæcunque Bacchi in Lydia. *Adde adpositam in eodem insigni illo Nummo cistam, in qua, eaque abiegna, primum infans Bacchus, Junonis metu à Nymphis ejus Nutricibus reconditus; uti de eo fabulantur veteres, & Oppianus quidem* Κυνηγ. *lib. IV. v. 241.*

Τυλατίνῃ χηλῷ δῖον γένος ἐγκατέθεντο,

Abiegna in cista divinum genus reposuerunt.

In cujus proinde rei memoriam, signata in hoc Nummo una eum infante Baccho eadem cista; ac unde cistæ in Bacchi etiam orgia, ut aliunde notum, inductæ, de quibus Catullus in Epithalamio Thetidis,

Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis.

Adpositus etiam in eodem Nummo opportune solitus Bacchi scyphus, quem dextra Silenus tenet, & quo scypho nihil magis obvium in antiquis hisce, quæ vel Bacchum, vel Silenum exhibent, monumentis. Velatum ac turritum mulieris in altero Sardianorum Nummo caput, omnino turrigeræ, *uti vulgo a Poëtis dicitur, ac in hac penu antiquaria signari solet, Cybeles caput exhibet. Ut Bacchi enim, sic Cybeles communia apud Lydos juxta & Phrygas sacra exstitisse, docent Euripidis versus in Bacchis v. 73. &c. & quos inde in ejus rei fidem adduxit Strabo lib. X. pag. 469. Sardibus autem ac in vicinis huic urbi locis cultam potissimum, juxta Bacchum, hanc Deam, vel idem arguit, de quo paullo ante, Macedonii Epigramma, ad aliquam proinde utriusque hujus Nummi lucem valde opportunum. Inquo nempe de Sardibus dicitur,*

Τμώλῳ ὑπ' ἠνεμόεντι ῥοὴν παρὰ γείτονος Ἕρμου
ΣΑΡΔΑΛΕΗ Λυδῶν ἔξοχός εἰμι πόλις,
Μάρτυς ἐγὼ πρώτη γενόμην Διὸς· οὐ γὰρ ἐλέγχειν
Λάθριον υἱὰ ΡΕΗΣ ἤθελεν ΗΜΕΤΕΡΗΣ.

Tmolum ad ventosum, fluxum ad vicinum Hermi, Sardalia *seu* Sardianorum Lydorum præstantissima sum civitas. Prima ego Nutrix Jovis exstiti; neque enim prodere occultum filium RHEÆ NOSTRÆ voluit. *Adde, quod* Berecynthia *dicta sit eadem Dea, à vicino Sardibus tractu Berecynthio, ac inde eadem loca à Callimacho conjungi videas, Hymno in Dianam, v. 245.* ἔδραμε δὲ ἠχὼ Σάρδιας, ἐς τε νόμον Βερεκύνθιον, venit autem sonitus Sardes usque, & ad plagam Berecynthiam. *Immo hinc Pactolum, notum Sardium fluvium, incolere dicta hæc Deûm Mater, à Sophocle Philoctete v. 397.*

— — — Μάτερ αὐτοῦ Διὸς
Ἃ τὸν μέγαν Πάκτωλον ἑυχρυσον νέμεις,

Mater ipsius Jovis, quæ magnum Pactolum auriferum colis. *Ut mittam quod Templi hujus Deûm Matris Sardibus, in quo simulacrum virginis* Ὑδροφόρου *reperisse dicitur Themistocles, meminerit in ejus vita Plutarchus. Qua ratione etiam factum, ut frequens occurrat in aliis Sardianorum Nummis, quos vidisse haud semel mihi contigit, hujus Deûm Matris effigies.* Hæc Magnus noster SPANHEMIUS. Iis cum gratia agnitis ad alia pergimus. In vicinia Sardium

PHILA-

PHILADELPHENSES
DIANAM, an CALOENEN, an AETHIOPIAM? COLUERE.



Dianam, inquit ARCHÆOPHILUS, Philadelphenſes coluiſſe, ex Numiſmate planum eſt, cùm inſcriptio Νεωκόρων non hoc tantùm, ſed & principem ejus cultûs innuat. Id tamen miror, quî Ill. Patinus rem absque Authore aſſererç auſus fuerit. Te quidem duo Deæ Epitheta citare video, *Caloënes* & *Æthiopiæ*, ſed dabis veniam, ſi authoritatem deſiderem. Strabo & Stephanus ſatisfacient, reſpondit DULODORUS. Verba ſubjicio, ne dubites. Ἐν δὲ σταδίοις τετταράκοντα ἀπὸ τῆς πόλεως ἐστὶν ἡ Γυγαία μὲν ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεγομένη, Κολόη δ' ὕστερον μετονομασθεῖσα, ὅπου τὸ ἱερὸν τῆς Κολοήνης Ἀρτέμιδος μεγάλην ἁγιστείαν ἔχον. Φασὶ δ' ἐντᾶυθα χορεύειν πιθήκους κατὰ τὰς ἑορτάς. *Intra XL. ab Urbe Sardibus ſtadia locus eſt, Gygæus Homero, recentibus Coloë dictus, ubi COLOENES DIANÆ templum eſt, magnâ cum ſanctimonia cultum. Ibi ferunt Simias feſtis diebus ſaltare.* Hæc Strabo de Diana Caloëne. De Æthiopia docet Stephanus. Αἰθιόπιον, inquit, Χωρίον Λυδίας παρὰ ὕλλω πλησίον τοῦ Εὐρίπου. Ἀφ' οὗ ἡ Ἄρτεμις Αἰθιοπία. *Æthiopium Regio Lydiæ apud Hyllum propè Eurypum: A quo DIANA ÆTHIOPIA.* Vides ARCHÆOPHILE, me non abs authoritate loqui; licet enim aperta Philadelphenſium hîc mentio non ſit, eſt tamen Lydiæ, & Sardium, in quarum vicinia Philadelphenſes ſiti erant. Populi effigies in adverſa, ſub Romano Imperio Numiſma ſignatum arguit. Diadema Majeſtatem innuit, quâ non in Italia tantùm, ſed in omnibus ſibi ſubjectis Regionibus fulgebat. Ad mare regreſſis propè Cayſtrum occurrit

EPHESUS,



Epheſum ab Epheſo Cayſtri filio denominatam, Pauſanias author eſt. Heraclitus de Politiis inde dictam arbitratur, quòd eam terram Hercules Amazonibus permiſerit; Ἔφεσιν enim Græci *permiſſionem* dicunt. Emporium fuit totius Aſiæ celeberrimum, ſed nullâ re celebrius, quàm Templô Dianæ, quod à tota Aſia ducentis & viginti annis factum, Plinius Lib. XXXVI. c. 14. author eſt. Mentio eſt in Numiſmate. Palma & Cervus, Dianæ ſymbola ſunt. A Cervo Ἐλαφοβόλος dicitur

citur Callimacho, & Palmæ adnixam Latonam, cùm Apollinem & Dianam in Delo pareret, ex Homero constat.

Hæc à Te jam deducta memini, inquit ARCHÆOPHILUS, uti & illud ex Tacito, quòd Ephesii Genituram Numinum sibi vindicaverint, cui asserto lubens assurgerem, nisi Latonam Oleæ doceret adnixam. Scio Te de Oleâ dubitâsse, & ut fabulæ fides constaret, pro Olea Palmam substituendam putâsse, idque non tantùm fide Numismatis, sed & Strabonis, qui in Luco Ephesio, omnis generis arbores fuisse asserit. Quæsò DULODORE, an Locus stringat de Palmis? cùm tamen de his ne unicus quidem Author aperte doceat? Ne unicus? excepit DULODORUS; Nonne Ephesus in Joniâ fuit? Nonne Palmas in Joniâ fuisse, testatur Pausanias? & quidem fructiferas, qualem & in Nummo cernimus? Audiamus verba: Φοίνικες πρὸ τοῦ ἱεροῦ πεφύκασιν, οὐκ ἐς ἅπαν ἐδώδιμον παρεχόμενοι καρπὸν ὥσπερ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, τοῦ δὲ ἐν Ἰωνίᾳ τῶν Φοινίκων καρποῦ πεπανώτερον. *Palmæ ante ædem* (Dianæ in Aulide) *surgunt, fructum ferentes, qui non est omninò suavis edentibus, uti Palmulæ ex Palæstinâ; mitiorem tamen iis, quæ in JONIA legumtur.* Quid ultra desideres?

De Diana adhuc dubium est, inquit ARCHÆOPHILUS; Cervus in Nummo visitur, ac si venatricem Ephesii coluissent, cùm tamen in aliis eorum Numismatibus, non hæc, sed multimammia occurrat? Utram respicias, perinde est, respondit DULODORUS; Neque enim sola Polymastos Ephesi culta, neque soli Venatrici Cervi sacri fuêre. Illi cervos tantum non ubique affictos cernimus, & hujus se testes & Numismata sistunt & Authores. Apud Jacob. de Wilde est Numisma Ἐφεσίων Saloninæ honori percussum, in cujus aversâ Diana Venatrix currit: Et ex Hesychio Dianam ἐλουσίαν Ephesiis cultam discimus, quæ an eadem cum Lusia fuerit, dubitari potest. Quicquid sit, Cervam Ephesiorum Numisma referre, Libanius docet in Encomio Dianæ. Et cùm Ephesii Athenienstium Coloni fuerint, Athenienses autem apud Athenæum, Strabonem & Pausaniam Ἐλαφοβολίων, Dianæ festum celebrasse memorentur, fortassis Ephesiorum originem non minus in Cervo inveneris, ac in Api, quam aversa præfert.

De Api, inquit ARCHÆOPHILUS, elegans fabula est, quâ Musæ Athenienstibus, Colonias in Asiam deducturis, sub Apum specie duces fuisse, ex Philostrato in Melete docuit Laurentius Pignorius; quæ autem ratio fuerit, ut Apum potius, quam aliâ specie Musæ præcederent, fateor me nec dum penetrare potuisse. Triplex esse potest, respondit DULODORUS, vel quòd Apes Coloniarum emittarum symbolum essent, uti ex Platone & Æliano, Viris eruditis, pridem annotatum est; vel quòd Apes symbolum essent Sapientiæ & Dignitatis, uti videre est apud Per-Ill. SPANHEMIUM, Diss. III. pag. 128. Vel denique, quòd Hymettus, Atticæ mons, Apum pastionibus aptissimus esset, attestante Pausaniâ. Eas sanè Virgilius Georg. 4. *Cecropias* appellat, à Cecrope scil. Athenienstium Rege. Sed quid in re liquidâ diutius moramur? Quin de nominibus solliciti sumus. In nostro ΜΕΝΕΣΙΠΠΟΣ legitur, apud Laurentium Pignorium ΑΡΙΣΤΑΓΟΡΗΣ, apud Jacobum de Wilde ΜΑΝΤΙΚΡΑΤΩ: nomen ubique, sive Prætoris, sive Sacerdotis, Monetariæ sanè Rei præfecti. Denuò in mediterranea deflectimus.

HIERA-

HIERAPOLITANI

Nos vocant. Secundum Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, hujus loci eſſe, ex adjuncta cum Epheſiis concordia patet; At primum huc pertinere, inter tot cognomines Urbes, Te ipſum video dubitâſſe. Nunc ſi certi quid apparuit, gratum erit, ſi me edoceas. Id agam, reſpondit DULODORUS; & quidem in eo me errâſſe fateor, quòd caput in Numiſmate Veneris arbitratus ſum, cùm omninò Bacchi ſit, id quod folia hederæ, ſatis adhuc viſibilia, ad oculum demonſtrant. De Baccho Lydorum ſuprà diximus, nec opus eſt, ut hîc ulterius ei inhæreamus. Si Hierapolis ideò id nominis accepit, quòd, ut Stephanus tradit, multa templa habuerit, utique nec Bacchi cultus defuerit, præſertim cùm de agri fertilitate etiam Damaſcius apud Photium teſtetur. Princeps autem argumentum, cur Nummum hunc Hierapoli Lydiæ addicam, non tam Bacchus, quàm Pluto eſt, in aversâ Proſerpinam rapiens, eò quòd, Strabone L. XIII. circa fin. memorante, apud Hierapolitanos *Plutonium* fuerit. Verba licet multitudine forſan tædium motura, digna tamen ſunt, quæ ſubjiciantur. Id agam ſed Romano idiomate: *In Mediterraneis*, inquit, *ex adverſo Laodiceæ, eſt HIERAPOLIS, ubi aquæ ſunt calidæ & PLUTONIUM: quorum utrumque inſolens aliquid atque mirum habet; Aqua enim ita facilè in callum coit atque induratur, ut rivis deductis ſæpes è ſolido lapide conſtantes operentur. PLUTONIUM ſub parvo ſupercilio montis ſuprà incumbentis, foramen eſt modicum, quanto poſſit homo recipi, admodum profundum, incluſum eſt cancellis quadrangulis, ambitu dimidii ferè jugeri. Id foramen oppletum eſt nebulosâ & craſsâ caligine, ut ſolum vix poſſit conſpici. Enimvero, qui in orbem ad cancellos accedunt, nihil incommodi aër adfert, qui novilunii tempore ab ea caligine eſt purus, & intra cancellos ſe continet; Intrò autem accedens animal illicò mors excipit: tauri quidem intro adducti, mortui extrahuntur. Et nos paſſeres immiſimus, qui ex templo exanimati conciderunt; At exſecti Galli ſine damno accedunt etiam usque ad foramen, inque id introſpiciunt, & aliquantisper, compreſſo plurimùm ſpiritu, ſubeunt; nam ex affectu deprebendimus ſuffocatricis cujusdam affectionis ſpeciem: ſive omnes ita eô implentur ſpiritu, ſive ii duntaxat, qui circa templum agunt: & ſive divinâ id ſit providentiâ, ut par eſt in divinis furoribus, ſive remediis quibusdam adverſantibus peſti ei.* Hæc Strabo, & idem ferè Damaſcius apud Photium, niſi quòd ſacrificiis initiatos ingredi, & citra noxam in ſpelunca degere potu-

isse asserit. Imò quòd asserit, spiraculum fuisse templum Apollinis. Apollinis? excepit ARCHÆOPHILUS. Quid hic ad Plutonium? Duplex ratio esse potest, respondit DULODORUS; Vel quòd Apollo idem cum Plutone numen fuit, uti vel ex etymo constare potest: vel etiam ex iis, quæ inter Gemmas hanc in rem ex Eusebio, Macrobio, aliisque attulimus: vel etiam quòd Medicinæ Deus fuerit, ideò enim etiam aliis in Numismatibus, Salutem & Telesphorum eos expressisse, credibile est; Non enim ea ad Hierapolim Syriæ Numismata pertinent, uti Ill. Patinus arbitratur, sed ad nostram, uti rectè Rev. Harduinus. Cæterùm Hierapolitani non tantùm nomine, Plutonii sui vires indicâsse credendi sunt, sed etiam & quidem eleganter expresso in Numismate Proserpinæ raptu; Sub eo enim vim divinam, animas humanas ex hac vita evocantem, intelligi & posse & debere, latius hic deducerem, nisi potiora se in reliquis sisterent.

Jam dudum audire gestio, inquit ARCHÆOPHILUS, quid de capite velato & Laureato dicturus sis? an adhuc fœderis sanctitatem sub eo intelligas, quod inter Ephesios & Hierapolitanos intercessisse, ex Numismate patet? an adhuc aversæ Victoriam, vel ad speratas ex concordia Victorias, vel ad ipsius Victoriæ cultum referas, quem vocabulô Νεωκόρων sibi vindicent Hierapolitani? Ante omnia, respondit DULODORUS, de concordia dicendum est. Per-Illust. SPANHEMIUS Diss. VIII. citat Numisma Commodi ex Cimeliarchio Christinæ Reginæ, in quo duæ figuræ stantes ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ inscribuntur; Eòdem modô & Lucas Holstenius, in notis ad Stephanum, citat Nummum insignem L. Veri, in quo circum Musam cum Lyra, & Dianam Ephesiam, eadem inscriptio legatur. Si cum his & nostrum componas, eorundemque id temporum arbitreris, non abs ratione fortasse caput velatum & laureatum Musæ addices, quam & in Thespiorum Numismate velatam vidimus: non abs ratione Victoriam, Imperatoris honori tribues, quod talibus vulgò, in Nummis ii superbiant. Quanquam quòd nulla hîc Imperatoris alicujus mentio habetur, latius Numisma patere possit; & quid si Senatûs gloriæ id datum sit? ΓΕΡΟΥΣΙΑ sanè, sive Senatus, in Numismate hujus ipsius ΙΕΡΑΠΟΛΕΩΣ apud cel. Morell. in Spec. T. 16. visitur, adductô Dionis locô, quô Senatum tunicâ togâque prætextâ & coronâ insuper ornari solitum, luce clarius adstruitur: Proinde, si ad vocem ΝΕΩΚΟΡΩΝ respicias, quidni credas, Herapolitanos pro victoria & gloria Senatûs, cujus providentiâ concordiam cum Ephesiis inierant, testari, & sacra se facere & vota suscipere? Apertus hîc est divinandi campus. In tertio Numismate hinc Serapidis caput, inde Jupiter exhibetur. Jovem dextra Aquilam gestare, Harduinus ait, & aliud Numisma ex Tristano T. II. p. 338. citat, in quo ab altera parte Sarapis, ab altera Isis conspicitur. In Pamphilia occurrit

PERGA
CUM CULTU DIANÆ PERGÆÆ,



Nihil in nummo obscurum est. Sola raritas & elegantia proponendum svadent. De Diana Pergæa Authores passim: Pomponius Mela Lib. I. cap. 14. *inter*

ter eos (Ceſtrum & Cataracten fluvios) inquit, *Perga eſt Oppidum, & DIANÆ, quàm ab Oppido PERGÆAM vocant, templum.* Cicero I. verr. *Pergæ fanum antiquiſſimum & ſanctiſſimum ſcimus.* Strabo: Τὸ τῆς Περγαίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν ᾧ πανήγυρις κατ' ἔτος συντέλειται, *Dianæ Pergææ templum, in quo ſingulis annis ſacer eſt conventus.* Apollonius Tianæus apud Philoſtratum lib. I. cap. 20. *Pergææ Dianæ in honorem hymnos* ait *decantatos, quæ Uxor Pamphili compoſuerat.* Quid poſt tot apertiſſima teſtimonia deſideres?

Duo, inquit ARCHÆOPHILUS; Primò quid ſibi velit litera Σ. præter inſcriptionem in Numiſmate occurrens? Secundò quid de Laurea ſentias, quam Diana & Capite & dextrâ præfert. Litera Σ. reſpondit DULODORUS, procul dubio numeraliş eſt, coinciditque cum Numiſmate Ptolemæi Lathuri quod ſupra dedimus eâdem literâ inſcriptum: Utrinque ſcil. indigitatur annus 200. Æræ Alexandrinæ ſive Seleucidarum. Lauream tam Dianæ, quàm Apollinis geſtamen fuiſſe, non tantùm hic Nummus evincit, ſed & Gemma in Theſauro Palatino pag. 35. propoſita, & commodè ſuccurrit epitheton Δαφνάιας *Laureæ* ſive *Laurigeræ*, cujus templum Pauſanias in Laconicis memorat. Pamphiliâ relictâ in Ciliciam pergimus. Rariſſima hîc Numiſmata ſibi vendicat

TARSUS
à
SARDANAPALO
CONDITA.



HÆccine Numiſmata, inquit ARCHÆOPHILUS, nunc ad Tarſum Ciliciæ refers? atqui in Theſauro Palatino non huic, ſed Tarſi Hiſpaniæ tribuuntur, ei ſcilicet, per quam claſſis Salomonis in Ophir delata quibusdam creditur, cujusque mentio apud Jonam exſtat. Non futilis ea opinio mihi viſa eſt. Capionis Turris ſaxo impoſita, planè qualiter in Nummo poſteriore viſitur, & Oraculum Meneſthei, quæ his in locis Straboni memorantur, utique rem extra dubium ponunt. Strabonis authoritas mihi ſancta eſt, reſpondit DULODORUS; Ut autem à priore ad hos Nummos conjecturâ abeam, non una me ratio impellit: Et principiò quidem illa, quòd Tarſus priore in Nummo *Metropolis* dicitur. Metropolis autem fuit non Tarſus Hiſpaniæ, quæ aliter Tarteſſus, ſed Tarſus Ciliciæ; de hac enim Strabo lib. XIV. p. 463. Πλεῖστον δύναται, inquit, τὸν τῆς μητροπόλεως ἐπέχουσα λόγον; *præpotens eſt, & METROPOLIS rationem obtinet:* Et Solinus cap. 41. de Cilicia, *MATREM URBIUM habet TARSON, quam Danaes proles nobiliſſima, Perſeus locavit.* Perſeus, iteravit ARCHÆOPHILUS; Utique modo à Sardanapalo conditam affirmâſti. Duplex eſt ſententia, reſpondit DULODORUS. Sunt qui Tarſum à Perſeo locatam aſſerant, idque cum Lucano, cui lib. IV.

— — *Perſeaque Tarſos:*

Et ſunt, qui à Sardanapalo ultimo Aſſyriorum Rege. Pro hac ſententia, ut & ego calculum ponam, ipſi Nummi perſvadent; Neque enim, ſi rem probe conſiderem, turrim Capionis hic agnoſcere potero, cum ſaxum illud, cui turris impoſita memoratur, procul dubio rude fuerit, in Numiſmate autem cæſum, & figuris exornatum proſtet: Cum Turris, utpote Phari inſtar navigantium ſaluti deſtinata, ejus altitudinem procul dubio ſæpius ſuperaverit, in Nummo autem vix ſemel eam excedat: Cùm & aſſicta turri figura ipſam turrim magnitudine ferè adæquet, quod tamen de vera turri, niſi in ea coloſſum aliquem Tibi imagineris, vix admiſeris. Hæc de turri Capionis. De Oraculo res nihilo firmior eſt; nullius enim hactenus Oraculi ſimulacrum hâc formâ prodit, nec ex ipſo Strabone vel minima ejus, ne dum figuræ expreſſæ, conveniens ſuggeritur deſcriptio. Virum quidem video, animali cuidam inſiſtentem, ſed qualis ille vir ſit, quodnam animal, cui inſiſtit, niſi conjecturâ aſſequaris, ex Authoribus vix determinaveris.

A tergo, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, video pharetram & arcum, notiſſima Dianæ inſignia, quid igitur, ſi Sarpedoniam Dianam hanc ſtatuam, cujus in Cilicia, Strabone teſte, & templum & oraculum fuit? Non caret opinio ſulcris. Jupiter Dolichenius, apud Sponium & Patinum, eôdem modò tauro inſiſtens, Diis ejusmodi ſimulacra deberi clamat; Et cui Deorum tribuas figuram feræ inſiſtentem juſtius, quam Dianæ θηροφόνῳ ſive *ferícidæ?* Aſſentirer, reſpondit DULODORUS, ſi & reliqua figuræ hujus inſignia addicerent. Non pharetra tantùm & arcus viſuntur, ſed & caput pileo tectum eſt. Ab humeris palla Regia dependet, dextra protenſa neſcio quid geſticulatur. Siniſtra non ſertum tantùm, ſed & poculum præfert. Hæccine Dianæ ſunt inſignia? Nonne potiùs ex pileo virum, ex Palla regia Regem agnoveris? & quem ex Regibus, ſi non ipſum Sardanapalum, qui, ut dictum eſt, Tarſum condidit? Conſtat Sardanapalum Aſſyriorum Regem fuiſſe, & Aſſyriorum Regi conveniunt, quæ in Numiſmate exprimuntur, inſignia. De Palla regia Diodori locus eſt, ubi *Arbaci poſt Sardanapalum devictum* στολὴν βασιλικὴν, *trabeam regiam* induram ſcribit. De duplici veſte Strabo pag. 513. ubi *Aſſyrios interiorem veſtem ex lino, Talarem exteriorem ex lana habuiſſe*, memorat. De Pileo, aut potiùs Tiara, in mentem tibi revoca *Semiramidis* factum, *quæ bracchia & crura velamentis, caput Tiara texiſſe, indeque morem genti univerſæ communicâſſe*, Juſtino memoratur. De Arcu & Pharetra ſe ſiſtit omnium fere Orientalium apud veteres mos: Parthici ſagittarii notiores ſunt, quàm ut recoli debeant: Inter armaturam Medicam, quàm & Perſæ imitati ſunt, & procul dubio Medi ab Aſſyriis aſſumsére, non tantùm pilei, quos Tiaras vocabant, ſed & pharetræ & arcus grandes Herodoto memorantur; ſed de his luculenter, ut ſolet, & ſummo cum judicio Per-Illuſt. SPANHEMIUS Diſſ. IV. De Serto adhuc & de Poculo videndum. Poculum intemperantiæ indicium eſſe, nemo opinor dubitabit: De Serto eſt locus Athenæi ex Poſidonio. *Apud Syros*, inquit, *in epulis Regum, ubi datæ ſunt CORONÆ convivis, ingrediuntur quidam cum utriculis unguenti Babylonii, qui procul menſam circumeuntes, accumbentium CORONAS eo irrorant, aliud prætereâ nihil conſpergentes.* Vides ARCHÆOPHILE, Sardanapalo hæc optimè convenire, de eo enim non libidinis tantùm, ſed & voracitatis teſtimonium ipſa ſepulchri inſcriptio teſtatur, quæ, Cicerone referente, talis fuit:

Hæc habeo, quæ Edi, quæque exſaturata libido
Hauſit, at illa jacent multa ac præclara relicta.

Unde & Juvenalis Sat. 10.

Et Venerem, & cœnam, & plumas Sardanapali,

Con-

Conjungit. Hæcutut videam, inquit ARCHÆOPHILUS, nondum tamen video, quomodo Sardanapalus hic possit agnosci? An quod Tarsum, ut dicis, condidit? Non ob hoc tantùm, respondit DULODORUS, sed præcipuè ob dextram quam prætendit. Eò enim habitu Sardanapalum in Cilicia busto affictum, idoneis ex Authoribus constat. Audi Arrianum: *Ipse*, inquit, *Alexander Tarsò subsecutus, primò die ad Anchialum oppidum pervenit; Hoc ferunt Sardanapalum Assyriorum Regem condidisse. Et quidem circuitus ipse & fundamenta argumentò sunt, magnam Urbem fuisse, & ad summam potentiam pervenisse. Et Sardanapali sepulcrum ad ipsa Anchiali mœnia extabat, cui inscribebatur* SARDANAPALUS MANUS COLLIDENS, *ut in plausibus fieri solet. Inscriptio Statuæ addita erat Assyriis literis, cui metrum subesse dicebant. Versuum sententia hæc erat:* SARDANAPALUS ANACYNDARAXÆ FILIUS ANCHIALUM ET TARSUM UNO DIE CONDIDIT, TU VERO HOSPES EDE, BIBE LUDE! QUUM CÆTERÆ RES HUMANÆ TANTI NON SINT! *Plausum significans, quem manus collisæ faciunt.* Ex hoc loco, inquit ARCHÆOPHILUS, utique de Statua & Sepulcro doceor, imò & de Tarso a Sardanapalo condita, & assiduis ejus potationibus, quæ poculo præfiguratæ esse possunt: Quid autem sibi volunt manus complosæ? Statua in Nummo expressa manus non complodit, sed dextram prætendit. In hoc solo, respondit DULODORUS, à reliquis Authoribus abit Arrianus; Athenæus autem non manus eum complosisse, sed digitos, & quidem dextræ manûs, collisisse scribit: Verba adducere volupe erit, sed cum longiuscula sint, & ipsa Romanô idiomate: *Omnium*, inquit, *felicissimus Sardanapalus, cùm toto vitæ decursu voluptatem plurimùm fecisset, post obitum declarat insculptis monumento* DIGITIS, *res hominum esse ridiculas, & nec digitorum dignas strepitu, quem* COLLISIS *inter se* DIGITIS DUOBUS *significavit: inutilem verò curam esse, quæ impenditur reliquis.* Et paulò post ex Aristobulo: *Ad Anchialen*, inquit, *quam ædificavit Sardanapalus, sculpta in lapide fuit imago,* DEXTRÆ MANUS CONJUNCTIS DIGITIS, *velut* AD SONUM ELIDENDUM, in eoque literis Assyriis hoc inscriptum: SARDANAPALUS ANACYNDARAXIS FILIUS ANCHIALEN ET TARSUM UNO DIE CONDIDIT: EDE, BIBE, LUDE: RELIQUA NE DIGITORUM QUIDEM STREPITU DIGNA SUNT. Ex his utique clarum est, Sardanapali & Sepulcrum & Statuam his in Nummis non absurdè credi expressam: Et quid si adscriptæ in secundo literæ, Sardanapali nomen prodant? Secunda A. & quarta Δ. ad oculum addicunt, & si primam Σ. tertiam P. statuas, quod reliquiæ non respuunt, utique aperte principium nominis Sardanapali exturget. De hoc, subjecit ARCHÆOPHILUS, integrior Nummus docebit, nunc de animali statuæ Sardanapali subjecto audire cuperem, neque enim memini, me tale apud Zoographos vidisse. Unicum, respondit DULODORUS, est apud Jonstonum Tab. 71. Lyncis appellatione inter canes relatum, animalia domestica, Eadem ejus capitis, pedum, totiusque corporis dispositio, quæ & in Nummo cernitur: eædem aures antrorsum in acutum desinentes, ut ita non cornua ex capite prodeuntia, sed aures omninò statuere debeam. At, inquit ARCHÆOPHILUS, differentia est in cauda, quæ hîc longitudine conspicua est, cùm apud Jonstonum tantùm non sit brevissima. Eadem & mihi dubium movit, reposuit DULODORUS, sed cum idem animal etiam in Gesnero cernerem, sub nomine Lupi Cervarii, fatereturque nobilissimus Author, talem se expressisse, qualem habere potuerit, conjectura subiit, annon vera effigies in Nummo radiaret, caudaque omninò addenda esset? Conjecturam firmavit, quod Jonstono inter genera Canum, aliis inter Lupos reponeretur, qui utique caudis

longioribus utrique ſuperbiunt. Sed quid hic ad Sardanapalum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Multum, reſpondit DULODORUS. Ut enim Sardanapalus, ita & Lupus Cervarius immenſæ gulæ memoratur eſſe. Plinius Lib. XI. c. 37. *Inſatiabilia*, inquit *animalium, quibus à ventre protinus rectô inteſtinô tranſeunt cibi, ut LUPIS CERVARIIS*, &c. Et Lib. VIII. c. 22. Cùm de Lupis dixiſſet, *ſunt*, inquit, *in eo genere, qui Cervarii vocantur, qualem è Gallia in Pompeji Magni barena ſpectatum diximus. Huic, quamvis in fame mandenti, ſi reſpexit, oblivionem cibi ſurrepere ajunt, digreſſumque quærere aliud.* Annon eôdem modô etiam Sardanapalus? Sed per conjecturam hæc aſſerta ſint. Fateor, opinionem non omni dubiô carere, indeque, ſi certius quid proponatur, faſces haud invitus ſubmittam. In Syriam nos vocat

ANTIOCHIA.

Caput turritum his in Numiſmatibus, quin Urbis Genius ſit, nemo dubitat; Epitheton μητροπόλεος, Urbem Syriæ præcipuam teſtatur. Ara averſæ, an ad Seleucum Conditorem pertineat, quem ut Heroëm Antiochenſes coluiſſe, Strabo teſtatur: an autem ad Apollinem, peculiare Antiochenſium Numen, anceps diſquiſitio foret, niſi Lauri & folia & baccæ cum medio pomo, quæ ſuper aram Numiſmatis tertii viſuntur, Apollini potius tribuendam clamarent. An pomum Apollini ſacrum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Eſt, inquit DULODORUS. idque vel inde colligas, quòd Victores Pythiorum, Luciano teſte, Lauris coronabantur, additis *pomis ex Apollinis templo ſumtis*, quod ad Numiſmata, quæ paſſim, pomis menſæ impoſitis, ΠΥΘΙΑ inſcribuntur, apprimè facit.

Caput turritum Urbis Genium interpretaris, inquit ARCHÆOPHILUS, at in ſecundo Numiſmate caput turritum non eſt, ſed aliud Tiarâ redimitum, quam imminentes globuli exornant. Globuli, reſpondit DULODORUS, Margaritæ videntur. Tiaram Syrorum inſigne Regium eſſe, vel ex imagine Tigranis apud Vaillantium intelligas. Hæc cum ita ſint, facilè Tibi, uti ſub capite turrito Munitiones, ita ſub Tiara Dignitatem, & ſub velo Pietatem imaginaberis. De utraque in ſequentibus videbimus. Ad propoſita ſubſcripta aris Chronologia reſtat. Literæ ET AKP in ſecundo Nummo, annum 121, & Literæ ET ΔIP in tertio annum 114. ſignificare videntur, de quibus Cl. Noriſius inſpici meretur, qui accurate & ex profeſſo de iis egit, in opere nobiliſſimo de Epochis Syro-Macedonum. Alia ſubeunt

ANTIO-

ANTIOCHENSIUM



Numiſmata. De literis numeralibus ET EP anno 105. & ΔP. anno 104, citatus modò Noriſius docebit, non minus ac de Quadrato Syriæ præfecto. Nos iis prætermiſſis, decoribus Urbis inſiſtemus. Quænam ea ſunt? inquit ARCHÆOPHILUS. Aries, reſpondit DULODORUS, ad Solem & Lunam reſpiciens, quô Antiochiæ, totiusque Syriæ, & ſitum & ſuper reliquas regiones præeminentiam adumbrari, in Faſciculis meis docui. Syriæ Gentes, quorum Metropolis Antiochia fuit, ſub aricte ſitas, Manilius teſtatur:

LANIGER in medio ſortitus ſidera mundo
Adſerit in vires Pontum, quem vicerat ipſe:
Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et SYRIÆ Gentes.

Propontis? inquit ARCHÆOPHILUS; Atqui huic adjacet Byzantium, cujus Numiſmata, uti ſupra vidimus, Luna & Phoſphoro inſignia fuêre, planè qualiter & hîc apparent, an hinc non colligam, totum arietis dominatum hîc præfigurari? Si facias, inquit DULODORUS, non refragabor, quanquam arietem Lunam obſervare, Lunam & Solem autem, radios ſuos in arietem collimare, apud Aratum & Cœl. Rhodiginum legamus. Ariete videlicet, ſiderum & ſitus ſui principe, quidni præeminentiam ſuam adumbraverit Antiochia, Princeps Orientis? Ariete Solem & Lunam obſervante, quidni cultum Apollinis & Dianæ? Sole & Luna radios ſuos in arietem collimante, quidni Deorum, quibus bearetur, beneficia? De Præeminentia teſtatur Strabo: Cùm Antiochiam Quadriurbem, ſingulis partibus & omnibus communi muro circumdatis, memorâſſet, ſubjicit: *Urbs hæc CAPUT SYRIÆ eſt, & qui Regioni imperant, hîc REGIAM habent.* Idem teſtatur & de Diana & de Apolline: *Ulterius eſt Daphne*, inquit, *ad ſtadia XL. mediocris vicus, & lucus ingens & opacus, fontanis aquis irriguus, in cujus medio eſt fanum APOLLINIS & DIANÆ, & Aſylum. Eô Antiochenſes aliique finitimi ad feſta celebranda de more conveniunt.*

Locus etiam ad Numiſma ſecundum quadrat, inquit ARCHÆOPHILUS, in eo enim caput Dianæ videtur exhiberi, & in aversâ eſt ramus Lauri, arboris Apollini ſacratiſſimæ. Caput ſimile, reſpondit DULODORUS, memini à Jacobo de Wilde Dianæ tribui; Me autem judice, caput hoc non Dianæ eſt, ſed ipſius Apollinis; Dianæ enim ut tribuamns, nullum inſigne ſvadet. Nullum? regeſſit ARCHÆOPHILUS, atqui Diadema, ſeu potius tænia, quâ comæ religantur, non virile, ſed fœmineum capitis ornamentum eſt. Quid ſit, quid non ſit, inquit DULODORUS, jam non disquiram. Sufficit eôdem & Apollinem inſignem fuiſſe, non minus ac aliô fœminarum veſtitu. De hoc vidimus ſuprà ſub Demetrio Syriæ Rege, de illa teſtatur Pauſanias in Atticis, Apollinem memorans ἀναδούμενον ταινίᾳ τὴν κόμην, *Tæniâ comas redimitum*, planè qualiter hîc viſitur. Ad Lauri ramum adhuc notandum ex eo-

dem

dem Authore, quod *tertium vivacitatis locum Lauro ſuæ Syri tribuerint*; Imò, quod *Laurum* Philoſtrato teſte, *Antiochienſes ob memoriam Daphnes, omnium arborum coluerint maximè.* In Phœnicia occurrit

BERYTUS
à
SATURNI AVIA DICTA, DIOSCURIS ET PISCATORIBUS SACRA.



STerilem ad hoc Numiſma meſſem arbitror futuram, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; memini enim, præter Etymologiam nominis, ſecundum Bochartum, vel à puteo, vel à robore deducendi, nihil Te niſi meram conjecturam attuliſſe: Vexillo & Pileis Urbis Libertatem arbitraris adumbratam, ſed eam in tanta hiſtoriæ caligine certis temporibus addicere, difficile judicas. Caliginem adducis, imò & aſſeris, ante Imperatores parvam admodum in Hiſtoricis hujus Urbis memoriam eſſe, quanquam antiquiſſimæ. Quid? an antiquiſſimam fateris, & tamen hiſtoriæ caliginem allegas? Ita tunc, reſpondit DULODORUS. Nunc ut in plerisque aliis, ita & in his alia mens; nec vexillum agnoſco, nec pileos ad libertatem refero, nec antiquitatem ex hiſtoriæ caligine eruo, nec Etymologiam, vel à puteo, vel à robore deduco. Quid igitur? perrexit ARCHÆOPHILUS. Etymon, reſpondit DULODORUS, ex ipſa antiquitate eluceſcit. Stephanus, *Berytum* Κτίσμα Κρόνου, *Saturni ſtructuram* appellat, & Euſebius de Præparat. Evangel. ex Sanchoniatone, antiquiſſimo poſt Moſen Scriptore, *Saturni aviam* ΒΗΡΟΥΘ *BERUTH appellatam* ſcribit. Quis inde non colligat, Berytum Urbem ab hac Beruth, Saturni avia, nominatam eſſe? Quis non colligat, ejusdem Saturni aviæ caput in Numiſmate eſſe expreſſum? Palma capiti appoſita conjecturam firmat; Idem enim author docet, *Beruth Saturni aviam loca Byblo vicina coluiſſe*, Byblon autem, non minus ac Berytum, Sidoni vicinam, totamque Palmarum feracem quis ignorat?

Probabilis ratio eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, & jam etiam de Piliis te ſatisfacere poſſe, nullus dubito. Pilei, inquit DULODORUS, ad Dioſcuros pertinent, quibus non minus ac Neptuno, & Agricolis, & Piſcatoribus, Berytum à Saturno dono datam, ex eodem Euſebio docemur; Verba ſubjicio. Ita habent: Ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι, Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι καὶ Καβίροις, Αγρόταις τὲ καὶ Αλιεῦσιν, οἱ καὶ Πόντου λείψανα εἰς τὴν Βηρυτὸν ἀφιέρωσαν. *Saturnus Byblum Urbem Deæ Baaltidi, quæ etiam Dione vocabatur, Neptuno autem & Cabiris, Agricolis item, & Piſcatoribus, Berytum dono dedit, ubi Ponti reliquias iidem conſecrârunt.* Nihil hic de Dioſcuris, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò eſt, reſpondit DULODORUS, ſub nomine *Cabirorum*; idem enim Author, Dioſcuros jam ante, & Cabiros eosdem fecerat. Ἐκ δὲ τοῦ Συδὺκ, Διόσκουροι, ἢ Καβειροὶ, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμοθρᾶκες. Stringit argumentum, inquit ARCHÆO-

CHÆOPHILUS; ſed quid vexillum inter duos pileos? Non vexillum eſt, inquit DULODORUS, ſed omninò Apluſtre, ſive velum parvum, qualia *Tænias* vocat Jul. Pollux in Onomaſtico, contoque erigi ſolebant ſuper puppi, libera, & ad ventorum flatus mobilia, deſtinctaque certis coloribus, prout gentes navigationum ſtudioſæ, invicem eligebant, ut dignoſcerentur; meminit Lucanus L. III. ℣. 670. ſeqq.

— — *Remum contorſit in hoſtem*
Alter, at hi tortum validis APLUSTRE lacertis,
Avulſasque rotant excuſſo remige ſedes.

Sed quid Apluſtre in Nummis Beryti? excepit ARCHÆOPHILUS. Ratio, reſpondit DULODORUS, jam in ſuperioribus reddita eſt, ubi præter Cabiros, aut Dioſcuros, etiam *Neptuno* & *Piſcatoribus* Berytum donatam docui. Addere tamen poteris, quòd Dioſcuri primi navigium excogitaverint; Euſebius enim cum Dioſcuros & Cabiros eosdem memorâſſet, immediatè ſubjicit. Οὗτοι φησὶ, πρῶτοι πλοῖον ἔυρον; *Hi*, inquiunt, *primi navigium invenerunt.* In ſequenti Numiſmate non minore gloriâ ſe jactat

SIDON,
POTENTIA NAVALI, ET CULTU JOVIS THALASSII ILLUSTRIS.

Sidonem, inquit ARCHÆOPHILUS, conſtat vel à Piſcium ubertate, vel a Sidone, filio Chanaanis, dictam: Conſtat in Sacris, ob amplitudinem, *magnam* appellatam, & ex navali potentia Phœnicum, de qua Diodorus teſtatur, maritimam ejus gloriam non exiguam fuiſſe. Quid ad Numiſma, præter hæc deſideres? Multa, inquit DULODORUS; Non enim ſufficit in genere de Phœnicibus navalem potentiam demonſtrâſſe: Opus eſt, ut eandem demonſtres & de Sidone. Et quid? An potentia navalis Sidoniorum ſatisfaciat ad Aquilam? ad Palmam? ad Inſcriptionem? Id dijudicabo, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ubi de ea docueris. Scias igitur, reſpondit DULODORUS, Sidonem *maritimarum Urbium maximam*, prout Pomp. Melæ vocatur, eò magnitudinis proceſſiſſe, ut non tantùm, eodem Diodoro teſte, triremes & quadriremes plures centum habuerit, ſed & ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ titulo ſuperbîerit, id quod ex Numiſmatibus apud Rev. Harduinum, aliosque palam eſt: Scias *Triremes, Sidoniorum inventum* memorari apud Clem. Alexandrinum, Strom. Lib. X. & apud Euſebium Præparat. Evangel. pag. 476. Scias, *nave Sidoniâ & Xerxem vectum*, teſte Herodoto Lib. VII. c. 128. quod non vulgaris prærogativæ indicium vel Per-Ill. SPANHEMIO Diſſert. IX. videtur. Hæccine, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ad Aquilam juxta navis roſtrum fulmine armatum non ſufficiunt? Minimè verò, reſpondit DULODORUS, omninò enim hæc referenda eſt ad Διὰ θαλάσσιον, *Jovem Marinum*, quem in Sidone cultum, Heſychius author eſt.

Rarum hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, nec hactenus, quod sciam, observatum; Sed age, quid ad Palmam dicis? nonne hanc vel victoriæ alicujus notatio, vel arboris ejus circa Sidonem frequentia sufficienter illustraverit? Utramque admitto, respondit DULODORUS, sed addo, Φοίνικες non tantùm in genere pro incolis Phœniciæ, sed in specie etiam pro Sidoniis interdum poni. Id observat Cl. Vaillant. in Col. T. II. pag. 125. allegatis Hesychio, apud quem Σιδόνιοι Φοίνικες dicuntur, & Bibliorum interpretibus, qui Deuteron. III. 9. pro *Sidonim* Φοίνικες, & Esaiæ XXIII. 2. pro *Sidon*, Φοινίκη posuerunt. Hæc an stringant, inquit ARCHÆOPHILUS, forsan haud abs ratione dubitem; Hesychii enim locus non evincit, Urbis Sidonis incolas speciali vocabulo, Phœnices appellatos esse, sed fuisse Phœnices genere. Eadem locutio est, ac si diceres: Berolinenses Marchici. Berolinenses quidem sunt Marchici, sed non omnes Marchici sunt Berolinenses. Si interpretes Bibliorum respicias, æque infirma ratio est. Phœnices quidem universos sub vocabulo Sidonim, & Phœniciam Regionem sub Sidone latiore significatu latere, inde eviceris; non autem, quod probandum suscepisti, Sidonem, Urbem Phœniciæ, & incolas ejus, Phœnicum nomine, specialiore significatu appellari. Sed hæc obiter: De literis IE & ΔI quid sentias audire gestio, an numerales sint? an aliud quid innuant? Si numerales arbitreris, respondit DULODORUS, duplicem æram statuere necesse erit, Literæ enim ΔI. ann. 14. & literæ IE. ann 15. indicarent. Ego literas IE. potius IEPAΣ interpretarer, referremq; ad sanctitatem, quam in Urbibus Phœniciæ, aliarumque regionum frequenter occurrere, Per-Ill. SPANHEMIO teste constat, Diss. IX. p. 780. Hoc si mecum agnoscas, Æra latebit in lit. ΔI, quarum vi Numisma anno 14. Æræ Sidoniorum percussum erit. Æram Sidoniorum cum Tyriorum eandem non immeritò credi, Harduinus ait; Æra Tyriorum autem, Per-Ill. SPANHEMIO teste, annis ante CHR. natum 123. incepit: percussum ergò erit Numisma anno ante Christum natum 109. nisi fortasse aliam aliquam Æram in eo expressam arbitreris. Id ut agamus, inquit ARCHÆOPHILUS, non video quid svadeat. Caput adversæ muliebre, sub quo procul dubio Urbis Genium Tibi imaginaberis, & turritum & velo ornatum, non potentiam tantùm, & turritam murorum coronam adumbrare poterit, sed & sanctitatem, quæ literis IE. expressa est: Et ex Æra planum est, Numisma ante adhuc percussum esse, quam Asyli jus Sidonii nanciscerentur. In aliis certè eorum Numismatibus ut plurimùm illud IEPAΣ KAI ΑΣΥΛΟΥ conjunctum legimus. Sed ecce, aliud adhuc

SIDONIORUM



Numisma! & illud ipsum, cujus caput ad Urbem Deam Te retulisse memini. Coronam tunc incognitam fassus es; sed procul dubiô hactenus penitiùs rem examinàsti, ideoque, quid de ea dicturus sis, jam dudum expecto. Antequam vel de Capite, inquit DULODORUS, vel etiam de Corona loquar, omninò præmittendum de expressis in Nummo literis ZKΣ, quæ cùm procul dubio numerales

merales sint, & annum 226. significent, ad fontem nos & verum Numismatis sensum deducere poterunt, modo de Æra constet. De Æra, subjecit ARCHÆOPHILUS, utique modò docuisti, incepisse eam ante Christum natum annis 123, ad eam igitur, si Nummum exigas, incidit in annum post Chr. N. 103. quo Trajanus imperio præfuit; Quid igitur si caput hoc Plotinam referat?

Si vel nomen adjectum, respondit DULODORUS, vel aliud quoddam Rom. Imp. indicium esset, non obstarem; Ita enim constat, etiam caput Liviæ in Sidoniorum Numismatibus apud Tristanum T. I. pag. 125. nomine ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ insigniri. *At longè vetustiorem esse nostrum Nummum* (Per-Ill. SPANHEMII verbis utor) *ex multis indiciis liquet, tum artis, tum scripturæ; ac proinde citra Romani Cæsaris effigiem aut nomen: adeò ut alia eaque antiquior Æra in eodem quærenda veniat, cujusmodi Seleucidarum videmus in vetustis Tyriorum*, quidni & Sidoniorum? *Nummis*. Seleucidarum Æra eôdem Authore, incidit in annum XII. post obitum Alexandri. Indeque si expressum in Numismate annorum numerum deducas, invenies, id percussum sub Antiocho Dionyso Syriæ Rege. Quid inde? subjecit ARCHÆOPHILUS. Tota Nummi nostri interpretatio, respondit DULODORUS; Quis enim non videt, Coronam in Numismate expressam hederaceam esse, expressamque, imò & Deæ Sidonis impositam, in illius Regis honorem, qui, uti supra vidimus, non tantùm eâdem se ornavit, sed & Bacchi, cui corona ea sacra est, cognomen assumsit? Quis non non videt, Sidonios id ideò fecisse, ut Regi Deo, Deam suam quasi in matrimonium adornarent, *Liberoque Liberam* conjungerent? Vesaniâ eâdem, quâ & Athenienses Antonium coluêre; nisi quod fortasse verisimilius est, expressa in Nummo effigies Reginæ sit, Deæ Sidonis instar devenerandæ, id quod ara in aversâ, nescio annon liquide demonstret. In Libyam navigamus. Ibi

CYRENE
CUM
CYRENE NYMPHA ET PALLADE

Se sistit. Cyrene secundum Justinum Spei, Thessaliæ Regis: secundum Stephanum, Hypsei filia fuit. Hanc juxta Peneum Thessaliæ fluvium oves pascentem Apollo, ut dicis, rapuisse, ex eaque Nomium, Aristæum, Authocum, & Argæum suscepisse, memoratur. Apollonius Argonaut. 2. ℣. 509. unius Aristæi mentionem habet, aitque, cum Thessalis *Agrea* & *Nomion* vocatum. Callimachus Cyrenen *Hypseida* appellat, à Patre Hypseo, aitque, *Dianæ Comitem fuisse, & à Deâ duos canes accepisse, iisque victoriam apud tumulum Jolcium repotasse*. Hæccine ea victoria, regessit ARCHÆOPHILUS, cujus jam ante in Hymno Apollinis meminerat?

— — Λέοντα
Ὑψηὶς κατέπεφνε βοῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο.

— — *Leonem*
Hypſeis occidit, boum Eurypyli raptorem.

Minimè, reſpondit DULODORUS, Jolcius enim tumulus, idem fuit ac Pelias mons Theſſaliæ, uti Scholiaſtes habet; Leonem autem, Cyrene in Myrtuſſa, monte Libyes, occidiſſe, Callimacho memoratur. Sed hæc ad propoſitum nihil. Propius eſt, quod Authores, tantùm non omnes, aſſerunt: ab hac Nympha videlicet, Cyrenen Urbem denominatam eſſe; Licet enim alii a *Cyre* fonte nomen deducant, uti apud Stephanum videre eſt, pro Nympha tamen Numiſmata pugnant. Mihi neutrum videtur, reſpondit ARCHÆOPHILUS; Tutior enim Etymologia in Sacris radiat, Regum II. c. 16. ℣. 9. Tiglath Phulaſſar Aſſyriæ Rex, ad preces Achazi Regis Judæ, memoratur in Damaſcum aſcendiſſe, eam vaſtaſſe, & habitatores ejus in *Cyrenen* tranſtuliſſe. In Hebræo eſt קירה *Kira*. Ita & Amos c. 9. ℣. 7. *Syri in* קיר *Kir*. Nonne veriſimile eſt, Græcos ab hac voce Κύρανναν nominaſſe, eosque ſecutos Latinos *Cyrenen* retinuiſſe? Non mea profero, ſed Thomæ de Pinedo, qui in doctiſſimis in Stephanum commentariis utrumque locum citavit, addens: *Adhuc hodiè videri corrupta nominis veſtigia ſupereſſe, ſi Villanovano credamus, cui CORINE dicatur, & Baudrando, quo teſte à Barbaris CAIROAN appelletur.*

De hodiernis nominibus, repoſuit DULODORUS, nunc non inquiram. Κύρανναν autem ab Hebr. קיר deſcendere, non prius credam, quàm demonſtraveris, eandem cum Cyrene fuiſſe. Münſterus *Kir* Civitatem Aſſyriæ ſtatuit, additque, quosdam קירה *Civitates* exponere, ut ſenſus ſit: *Tranſtulit Damaſcenos in Civitates Aſſyriæ.* Ita & teſte Grotio, Hebr. קירה Cyrene eſſe non poteſt, quæ ſub Aſſyrius non fuit. Joſephus partem, ait, eſſe Mediæ, in qua Cyrrhus fluvius Plinio & Ptolemæo memoratur. Ita & Druſius in locum Amos: *Syros è* קיר, *quò translati fuerunt à Theglath Phaloſar, ut habetur 2. Reg. cap. 16. ℣. 9. Cyrene antiquis interpretibus*, non Cyrenen intelligit, quæ ad Reges Ægypti olim pertinuit, ſed Regionem Aſiæ, ut Beroaldus putat. Vides ARCHÆOPHILE, קיר *in Sacris* diverſum plane fuiſſe à *Cyrene Libyes:* Et licet de Nympha res fabuloſa videatur, ſufficit tamen Gentilibus pro certa creditam, præſertim cùm certior hactenus non apparuerit.

In Coronâ mentis aciem detineo, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ea uti in Batto fuit inſolita, ita & in Cyrene non turribus tantum & muro inſignis eſt, ſed & neſcio quos Globulos adjectos oſtendit. Globulos, reſpondit DULODORUS, Margaritas interpretor, ideoque, uti ſub turribus Urbis potentia latet, ita ſub his ejusdem divitias & elegantiam conſidero. Salluſtius de bello Jugurthino eam in rem: *Cyrenenſes*, inquit, *magni atque opulenti fuêre.* Pauſanias Cyrenæorum Theſauros non uno in loco prædicat: Mox *Ammonem in curru:* mox *Romanorum Reges*, in iis memorat: mox & *Batti ſtatuam*, & ipſam *in curru aurigam Cyrenen, Libyen autem Nympham Batto coronam imponentem*; Sed quid multa? Unicum Callimachi, qui ſe à Battiadis oriundum gloriatur, de felicitate Urbis ſuffecerit teſtimonium. Apertè ille in Hymno Apollinis ℣. 940.

Οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ἐφέλσιμα τόσσα Κυραίνῃ
Μνωόμενος προτέρης ἁρπακτύος.
Nec Civitati tot largitus eſt commoda, quot Cyrenæ,
Recordatus priſtini raptûs.

De Apolline loquitur Poëta, inquit ARCHÆOPHILUS, de quo etiam paulò ante:

Σάρτης

Στάρτη τοι, Καρνεῖε, τόδε πρώτιστον ἕδεθλον,
Δεύτερον ἄν Λίβρι, τριτατὸν γε μὲν, ἄστυ Κυρήνης.
Sparta Tibi, Carnæe, prima ſuit ſedes:
Altera dein There: tertia verò, Urbs Cyrenes.

Adeò ut ſub hoc & proximam & remotam Cyrenes originem facilius Tibi imagineris, quàm ſub Pallade; Licet enim ſecundum Pauſaniam, Thera Autesionis filius, Tiſameni nepos, Therſandri Pronepos, Coloniam in Inſulam Theram, aut Calliſten deducturus, Minervæ ædem dedicaverit, cultum tamen ejus apud Cyrenæos præter hoc Numiſma, quod ſciam, nemo prodidit.

Cultum Minervæ apud Cyrenæos, reſpondit DULODORUS, eumque ſub cognomento *Gorgonis*, Græcos Grammaticos teſtari, Lilius Gyraldus author eſt; Et quid? Nonne Tu Minervam in Libya natam recordaris? Melam audi, de Libya loquentem: *Super hunc ſinum*, inquit, *ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: unde & Minervæ cognomen inditum eſt, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris Virginum inter ſe decertantium celebrant.* Idem tradit etiam Herodotus. Idem & Lucanus, alique. Scio, inquit ARCHÆOPHILUS; ſed juxta etiam ſcio, Pauſaniam Tritonem in Bœotia locare, ad quem, quod Minerva educata fuerit, inde cognomenta fluere: Scio alios alias etymologias tradere, quas apud dictum Gyraldum videre poteris. Hæc contra me nihil faciunt, reſpondit DULODORUS; Sufficit enim inter alias opiniones etiam illam fuiſſe, quæ de Libya ſentit, ut cauſam Cyrenæis fuiſſe oſtendatur, cur Minervam ſignarent. Et peculiaris eſt locus in Schol. Pindari Od. 4. Pyth. p. 2. ubi Minervam Ἵππιαν, *Equeſtrem* in Libya natam aſſerit, id quod ad equum in Galea expreſſum, omninò notari meretur; Quanquam, quòd idem equus effuſo curſu galeæ affictus ſit, etiam ad Minervam *Gorgona*, de quâ modò dictum eſt, reſpici poſſit. Atqui Gorgon, regeſſit ARCHÆOPHILUS, à Gorgonibus cognominata videtur, quòd Perſeum eas oppreſſurum juverit, indeque Meduſæ caput Ægidi appoſuerit. Id fabula ſuppeditare poſſet, reſpondit DULODORUS; mihi autem & fabula, & Deæ cognomentum ex nativa vocis ſignificatione videtur orta: Γοργὰ enim, Heſychio teſte, eſt Γοργότις *velocitas, agilitas*, & Γόργος eidem exponitur Ἰσχύντος, ταχὺς, *facile mobilis* & *pernix*. Ita etiam cùm Minerva apud Ariſtophanem Γοργολόφη dicitur, forſitan non tàm fabulam reſpicias, uti Scholiaſtes Gr. facit, aſſerens: *Minervam Galeam ex capite Gorgonos habuiſſe*, ſed vel ad velocitatem, quam pleraque Galeæ Minervæ afficta animalia præferunt, vel certè ad terrorem, qui inde provenire ſolet: quò ſenſu alibi, de eadem, idem Scholiaſtes, Γοργολόφα, interpretatur Φοβερώτατε. Si tamen in fabula ſubſiſtere Tibi libet, ne ſic quidem difficilis futurus ſum; Equi enim ſufficiens ratio & ſupra data eſt, & ex ſequentibus apparebit. En aliud Numiſma, quod non minus ac ſuperiora, cum quocunque certare poſſet, & raritate, & elegantiâ.

NUMISMATA
CYRENÆ
EQVIS ET SILPHIO NOBILIS.



HIc eſt ille Eques, inſit ARCHÆOPHILUS, quem in Conjecturis Tuis vel Apollinem, vel certe Regum aliquem, Apollinis ſacerdotem, credidiſti. Eſt, inquit DULODORUS, ſed Per-Illuſtris SPANHEMIUS aliquem ad Ludos Equeſtres proficiſcentem ſtatuere maluit: ratione, ut quod res eſt, fatear, ſatis evidente in Petaſo, de quo paulo poſt dicetur. Satius, reſpondit ARCHÆOPHILUS, in Equeſtri Cyrenæorum peritia ſubſiſtimus, cum Ἵππιον Κυρήνην. *Cyrenem bonis Equis nobilem* Pindarus appellet. Imò, ſubjecit DULODORUS, etiam Δολιχόπωλον *Equos urgentem* vocat idem, in Pythicis Od. IX. Straboni ἱπποτρόφος ἀρίστη, *optima Equorum nutrix* dicitur: Et apud Athenæum, in Dyſerote Antiphanis, aliquis, quem vis major Cyrenen detulerat, inde in Patriam memoratur profectus,

— — Γράῤῥοθαι λέγων
Ἅτασιν ἵπποις, σιλφίῳ, συναρίσι
Καυλῷ, κέλησι. — —
— — *Valere juſſis*
Equis omnibus, Silphio, Bigis,
Maſſeto, Deſultoribus.

Et Pauſanias Θεοχρήστου Κυρηναίου ἱπποτροφήσαντα κατὰ τὸ ἐπιχώριον Λίβυσι, *Theocreſtum Cyrenæum*, memorat, *Equos Libyum more alentem.* More Libyum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, an igitur & hi Equorum ſtudio tenebantur? Omnimò, inquit DULODORUS, Pindari Scholiaſtes Κυρήνην Ἵππου Poëtæ, οὐ ἐκ τοῦ παρατυχόντος dici aſſerit, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τοὺς Λίβυας διδάξειε τὴν τῶν ἁρμάτων καταζεύξεων, *quod Neptunus Libyes aurigandi peritiam docuiſſet*; & apud Oppianum L. II. Κυν. ſ. 253. Ἱππόβοτον Λιβύην legimus, *Libyam Equiferam*, Indeq; procul dubiò de aſſerto conſtabit. Cæterùm, an in equorum ſtudio ſubſiſtendum ſit, meritò dubitavit *Vir Excellentiſſimus*, Equitem enim hunc peregrè proficiſci non Petaſus tantum, ſed & habitus Equitantis, cum appoſito a tergo Sole, demonſtrat. Inde certe, cum Cyrenæos de Ludis Equeſtribus Victorias retuliſſe conſtet, facile credideris, hanc ſimul eorum gloriam Numiſmatibus celebrari; At mihi, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Sol in hoc Nummo non pro Lumine, ſed pro Numine accipiendus videtur; conſtat enim, vel Te ipſo memorante, quod ejus Sacerdotes Cyrenis fieri, ne Reges quidem aſpernati ſint. Exemplum eſt, apud Athenæum, Ptolemæus Evergetes: Indeque neſcio, annon Eques hic omnimò Regum quidam Solis ſacerdos credi debeat? præſertim cùm conſtet, Equos Soli ſacros, imò & ipſum Solem alicubi Equo inſidentem exhiberi. Solem? inſit DULODORUS, & ubi? Inter Gemmas Baſilidianas Macaris, reſpondit ARCHÆOPHILUS, Tab. I. n. 3. ubi Chifletius Canonicus Tornacenſis:

censis: *Mithras sive Helios*, inquit, *teste Hieronymo, Lunæ Sorori modò adblandiens, modo alatus & EQUO INSIDENS, ob velocem & celerem in cursu discursum.* Vides DULODORE, non absurde hic Solis sacerdotem credi. An ratio sufficiat, respondit DULODORUS, aliorum judicium esto! Mihi ad Ludos proficiscentem vel ideò præferre voluptè est, quòd magnò ea sententia suffragio nitatur. Quod de Sole mones, in contrarium nihil facit; quid enim est, quò minus hic sub Solis, an Numinis? an Luminis? favore credatur profectus? Sed tempus nos ad aversam properare jubet. Ibi Silphium occurrit, quod in Cyrenaica Regione tantùm, & sponte crescere, magnificumque in usu, medicamentisque esse, Patinus ex Plinio probat; unde & Catullus:

Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
LASERPICIFERIS jacet CYRENIS.

De Laserpicio facilè cesserim, inquit ARCHÆOPHILUS; Tantùm autem in Cyrenaica crevisse, non cesserim. Arrianus enim de Expedit. Alex. M. Lib. III. memorat, etiam in Caucaso Silphium crescere. Crescebat, inquit DULODORUS, sed tantæ æstimationis non erat. Scholiastes Aristophanis, in Equitibus, Act. II. Scen. IV. cum Silphii radicem ad condiendum & sanandum utilissimam dixisset, subjicit καλλίστη δὲ ἡ Κυρηναικὴ, ὅτι τῷ ὀπῷ, καὶ τῇ ῥίζῃ, καὶ τῷ καυλῷ τοῦ Σιλφίου ἐχρῶντο. *Pulcherrima est Cyrenaica, quia & succo, & radice, & caule Silphii utuntur.* Et in Pluto Act. IV. Scena III. cum Poëta *Battum Silphium*, tanquam rem pretiosissimam, ipsi Pluto æquasset, Scholia addunt: *Leges, Battum advenientem honoraturos, teste Aristotele in Cyrenæorum republica, et SILPHIUM, quod inter herbas pulcherrimum esset, non tantum obtulisse, sed & NUMISMATI impressisse.* Et iterum: *Eos Regis effigiem, aut ut alii arbitrantur, Annum fecisse, in quo CIVITAS REGI SILPHIUM OFFERRET:* Tandem τὸ φύλλον δὲ αὐτοῦ καὶ Καρπὸν, καὶ Κλάδον, καὶ Ὀπὸν, καὶ ἁπλῶς τὸ πᾶν αὐτοῦ, πολλῆς τιμῆς ἄξιον εἶναι. *Ejus folium, & fructum, & ramum, & succum, & simpliciter omnia, honore multo esse digna, indeque & Vinitores Libycos Delphis caulem Silphii posuisse*, teste Alexandrides refert: Ex quibus omnibus utique clarum est, Silphium non tantùm, quod nec Arrianus inficias it, apud Cyrenæos πολλοῦ ἄξιον *magno in pretio* fuisse, sed etiam id, quod ad Caucasum crescebat, nobilitate superasse. Inde sanè videtur esse, quòd, eòdem Arrianò teste, Caucasi accolæ pecudibus & armentis Silphium suum cesserint, Cyrenæi autem greges ovium longissimè ab iis locis arcuerint, in quibus Silphium nascitur: in tantum, ut etiam quidam sepes obduxerint, ne pecudes ad interiora penetrare possent.

Tandem Tibi fasces submitto, subjecit ARCHÆOPHILUS, imò & ad alia transeundi libertatem darem, si de Inscriptione constaret. Ab altera Silphii parte tantùm ΥΡΑ. ab altera autem & monogrammon visitur. Ita quod hic superfluum, id illic detractum est. Fortè monogrammon locum K. obtinet, quod ad complendum Cyrenes nomen adhuc deest. K. in nomine, respondit DULODORUS, injuria vel temporis, vel fortunæ videtur detraxisse. Monogrammon, si separes, duas literas E & Π. efficit, quas numerales arbitror, significantes scilicet annum 85. An à Cyrene condita? inquit ARCHÆOPHILUS. Id dubium est, respondit DULODORUS. Si arbitreris, incidit Numisma in regnum Batti secundi, qui Zoan condidit; Prior enim cum filio annos 56, Hic autem annos 40. regnâsse memoratur. Sed poteris etiam ad Æram Alexandrinam respicere, quæ ut alibi dictum est, anno Romæ Cond. 441. initium sumsit. Hòc modò Numisma pertinebit ad annum Romæ conditæ 526. quò Tertius Ptolemæorum, cognomentò Evergetes, in Ægypto dominatus ist. Succedit

BATTUS

BATTUS REX ET SILPHIUM, CUM STELLIS DIOSCURORUM, & FERTILITATE SERPENTUM.



DE Silphio, inſit ARCHÆOPHILUS, jam ſatis docuiſti. Imò, reſpondit DULODORUS; ſed addendus omninò Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto Act. IV. Sc. III. ubi *Libyes Numiſma percuſſiſſe*, ex Ariſtotele memorat, τῇ μὲν βασίλειαν τῇ δὲ Σίλφιον, *illinc REGIAM FACIEM, hinc SILPHIUM exhibens.* Minus integrè, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Scholiaſtæ verba mihi citare videris; Niſi enim fallor, non tantùm Silphium, ſed & Cyrenenſes ipſos, Regi Silphium offerentes Numiſmate expreſſos memorat, id quod etiam Tzetzes teſtatur, quem eò nomine ab Illuſtri Scaligero falsò argui, Salmaſius demonſtrat. De Annulo, reſpondit DULODORUS, alius Scholiaſtes id aſſerit, noſter autem Silphium memorat, παρὰ τῆς πόλεως δεχόμενον *ab Urbe oblatum*, quod me quidem judice, non ipſos Cyrenenſes in Nummo expreſſos evincit, ſed tantùm demonſtrat, non aliud Silphium fuiſſe Numiſmate expreſſum, quàm quod Cyrenenſes Batto obtulerant: adeò ut neſciam, an Illuſtri Scaligero hac in parte calculum negare, Salmaſioque apponere debeam. Potius Tzetzem paulò largius rem propoſuiſſe, & ipſe crediderim, quando inquit:

Βάττος δ' ἀνταμειβόμενος προαίρεσιν τὴν τοῦτων,
Ἐν τῷ νομίσματι αὐτοῦ ἐχάραξε τυπώσας
Τοὺς Κυρηναίους φέροντας τὸ Σίλφιον ἐκείνῳ.

Non de Numiſmate, ſed de Annulo id aſſerere debuiſſet Tzetzes; In Numiſmate enim hactenus Cyrenæi Silphium offerentes non apparuerunt. Quid tum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, an ideo nec fuerint? Fuerint, nec ne? reſpondit DULODORUS, de eo nunc non eſt quæſtio: ſufficit demonſtrâſſe, Scholiaſten Ariſtophanis id non aſſeruiſſe. Si Nummus talis impoſterum in lucem emergat, rem ego etiam, abſque Scholiaſtæ ſuffragio fatebor. Mirari autem ſubit, quâ ratione Salmaſius aſſerere auſus ſit, *quamdiu Battiadarum nomen Cyrenis regnavit, Nummos eâ formâ percuſſos habuiſſe videri, qui ab uno latere Batti imaginem, ab altero Cyrenæos Regnum & Silphium Batto offerentes prætulerint*; *Poſt extinctam autem Battiadarum Regum familiam, caulem Silphii deinceps, & Hammonis effigiem inſculpſiſſe.* Miror hæc Viro Magno excidiſſe, cùm ne minimum quidem apud Veteres ejus differentiæ appareat veſtigium, indeque cum Per-Ill. SPANHEMIO tantò ſecurius, etiam Nummos propoſitos ad Batti gloriam pertinere, contra Salmaſium aſſeruero.

At hic non Battus eſt, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſed omninò Jupiter Ammon, id quod ex cornu agnoſcimus, & Heſychius clarè teſtatur, ſub Βαττου Σίλφιον, ubi cùm proverbium id, ad exprimendos excellentes honores, à Cyrenæis profectum dixiſſet, addit de Silphio: Τετίμηται παρ' αὐτοῖς, ὥστε καὶ ἐν τῷ Νομίσματι, ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ Σίλφιον ἐγκεχαράχθαι. *Æſtimatur apud eos in tantùm*

tantùm, ut etiam in Numiſmate, hinc Ammonem, illinc Silphium expreſſerint. Heſychii authoritas, reſpondit DULODORUS, mihi ſancta eſt; Sed pace Tuâ dixerim, non de noſtris Numiſmatibus locutus eſt, ſed de iis, in quibus Ammon expreſſius fuit, quale Salmaſius citat Exerc. Plin. pag. 1015. Jovis Ammonis facies ubique barbata, & cornu arietino inſignis viſitur. In propoſitis autem nec barba, nec cornu arietinum, ſed omninò bubulum apparet; quæ ratio & Alexandrum Magnum removet, cui hoc caput Salmaſius relinquit. Si nec Jovi Ammoni, perrexit ARCHÆOPHILUS, nec etiam Alexandro tribui poſſit hoc caput, perquam ſcire velim, cui debeat adjudicari? Cui? reſpondit DULODORUS, ſi non ipſi Batto, cujus imaginem Silphio in Numiſmate adverſam fuiſſe, uti ſupra audivimus, Græcus Scholiaſtes teſtatur? Cornua affertum non prohibent; Conſtat enim *Cornua*, & in ſpecie *Taurina*, Regibus inſolita non fuiſſe. Exemplum eſt Seleucus, quem Athenienſes, Libanio teſte in Antioch. pag. 351. *ſtatuâ ærea honorârunt*, *TAURINA CORNUA capiti ejus adaptantes, illudque propter Jûs inſigne.* Quid ſi eadem cauſa & Batto fuerit? Jûs certè ſimulacrum non tantùm Herodoto memorante, *βουκέρων*, *bovinis cornibus* dicitur, ſed & Cyrenaicæ mulieres boves fœminas ferire nefas putarunt, idque ob cultum Iſidis, quæ cum Jo eadem fuit, cuique & jejunia & dies feſtos ſtudioſè agebant. Si hæc ratio Tibi minus placeat, poteris ad feſtum Apollinis reſpicere, quod idem hic Battus, Coloniæ ductor, qui aliter Ariſtoteles dicebatur, Cyrenis anniverſarium multorum taurorum victimis celebrâſſe, Callimacho celebratur:

— — Ἐκ δέ σε Θήρης
Ὦυλος Ἀριστοτέλης Ἀσβύστιδι πάρθετο γαίῃ
Δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον. ἐν δὲ πόληϊ
Θῆκε τελεσφορίην ἐπετήσιον, ᾗ ἔνι πολλοὶ
Ὑστάτιον πίπτουσιν ἐπ' ἰχίον, ὦ ἄνα, Ταῦροι.

— — *E Thera Te* (*ſc. Apollinem*)
Sanus Ariſtoteles Asbyſtidi invexit terræ:
Conſtruxitque Tibi admodum elegans templum, inque civitate
Inſtituit feſtum anniverſarium, in quo multi
Supino caſu procumbunt in coxendicem, ô Rex, Tauri.

Ex quibus utique conſtat, fuiſſe cauſam, cur taurinis cornibus Conditorem ſuum inſignirent Cyrenæi. Cum eo ſane & ætas convenit; juvenem enim fuiſſe, ex Herodoto colligitur, tum quòd ſecundum Theræos, cùm Grinus ſenectam Oraculo allegaret, profectionem Batto, utpote juveni, mandandam ſignificavit: tum etiam quòd, ſecundum Cyrenæos ipſos, Battus Coloniam deducere juſſus eſt, ἐπεὶ ἠνδρώθη, *cum virilem ætatem attigiſſet.* Veriſimiliter rem exſequeris, inſit ARCHÆOPHILUS, nec reſtat, quod contra adferre poſſim; Neque enim Bacchum hunc arbitror, licet taurinus cornibus in pluribus antiquitatis monumentis vulgatum. Vultus lineamenta non tam Deum, quàm hominem arguunt. Illud tamen in mentem venit, annon Ariſtæus hic ſit, Apollinis & Cyrenes filius, qui non tantùm Silphium Scholiaſtæ Ariſtophanis, ſed & Solſtitiales Ortus Sideris inveniſſe, Juſtino memoratur. Utrumque ſanè ejus inventum in averſa radiat, neque enim hic Solem adduxeris, de quo ad Nummum aureum vidimus. Si antiqui alicujus ſuffragium accederet, reſpondit DULODORUS, libenter tecum ſentirem; cum autem id pro Batto, uti ſuprà vidimus, apertum ſit, neſcio quæ ratio, ut recedamus, nos cogere poſſit. Silphium non omnes Ariſtæi inventum faciunt, imò ſi Salmaſio credis, inter plerosque convenit, ſe-

ptem tantùm annos ante Cyrenas conditas, id inventum esse. Quod de Stellis moves, nihilo firmius est; Quis enim Solstitiales Sideris Ortus sub his indubiè agnoscat? Quis non potiùs Dioscurorum eas esse crediderit, eò quod *geminæ?* Dioscurorum festum Cyrenæos celebrâsse, ad indicandam primam Batti originem, Scholiastes Pindari asserit ad Pyth. Od. V. ἄγουσι Κυρηναῖοι τὰ Διοσκούρια, Βάττου πρότου καταδείξαντες τὴν ἀρχήν. Notum est, Dioscuros Lacedæmonios, à Lacedæmone autem in Theram, & à Thera Cyrenas Coloniam deductam fuisse. Eodem facit & Pausanias, qui in Laconicis, cùm domum Tyndaridarum interjecto tempore Phormioni habitaram narrasset, addit: *ad hunc hospitum ornatu CASTORES venisse, & à CYRENE se venire simulantes rogasse, ut hospitio se exciperet, eamque sibi cellam depoposcisse, quâ maximè delectabantur, quum inter homines essent: At illum in quam mallent Ædium partem divertere eos jussisse, cellam illam unam excepisse, quòd filia Virgo in ea habitaret: postero die & Virginem & ejus famulatum omnem evanuisse, in cubiculo autem signa CASTORUM, & mensam, & super ea LASERPICII fruticem reperta esse.*

Elegans hæc fabula est, inquit ARCHÆOPHILUS, Tuæque opinioni insigniter famulatur, sed quid in adversa secundi Numismatis serpens & inscriptio IIIO? Inscriptionem, inquit DULODORUS, de equis & equestri Cyrenæorum peritia explico, de quibus suprà dictum est; Neque enim in Cyrenaica hoc nomine vel locum, vel Regem inveneris, nec etiam sub literis certum annorum numerum deprehenderis. De Serpente res abstrusa non est. Libyam Serpentibus abundâsse, nemo negabit. Diodorus Siculus rem pluribus docet, & elegans est locus Ovidii, ex quò fabulosam eorum originem docemur. Cùm Perseus, Medusâ, inquit, interfectâ,

Super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ,
Quas humus exceptas varios animavit in angues:
Unde frequens illa est, infestaque terra colubris.

Ex Libya, superato Mari Mediterraneo, in Europam regredimur. Unica hic nobis

BIATIA
HISPANIAE

Occurrit, quam Ptolemæus in Oretanis Tarraconensium ponit, cujusque incolas Plinius L. II. c. 7. *Viatienses* appellat. Nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, tale Numisma apud Jacobum de Wilde vidi, sed ille non ad Hispaniam, sed ad Peloponnesum id retulit, eò quòd Bias amnis in Messenia, Pausaniæ memoretur; idque non infirmò opinionis suffragiò. Harduinum sequitur, qui Nummum ad Biatiam Hispaniæ nihil asserit pertinere, sed omninò vel ad Urbem Messeniæ flumini cognominem, vel etiam ad Bisaltas arbitratur referendum.

dum. Non falleris, respondit DULODORUS, utriusque mihi, & Harduini, & Jacobi de Wilde innotuere placita; sed iis non obstantibus, pro Biatia Hispaniæ decerno. Rationem non video, perrexit ARCHÆOPHILUS. Castoris sanè & Pollucis capita, quæ in Nummo Jacobi de Wilde & propositorum secundo visuntur, potius ad Messenios rem reducunt, icinos Laconum, apud quos Dioscuri nati perhibentur. Si Numisma ad Peloponnesum spectaret, respondit DULODORUS, Ego sub duobus capitibus non Dioscuros, sed Biantem Amythaonis filium, a quo Biantem amnem denominatum, Pausanias Author est, & Melampodem ejus fratrem agnoscerem, cujus auxilio Regni Argivi partem Bias obtinuit: idque ideò, quòd Capita hæc Dioscuris nec habitu nec ætate conveniant, & in nostrùm priore non duo, sed unum tantùm occurrant, iisdem faciei lineamentis, quibus & alterum in Wildiano, quem rite Biantem dicerem. Sed repeto effatum. Non ad Peloponnesum, sed omninò ad Hispaniam hi Nummi referendi videntur.

An Græcæ Literæ in Hispaniam penetrârunt? inquit ARCHÆOPHILUS; At neminem id comminisci audere, Harduinus ait, idque ideò, quòd Latinè inscripti eo in tractu Nummi sint cæteri omnes. Harduinum excuso, respondit DULODORUS; Nummi enim prototypon fatetur se non vidisse, sed BIATΕΩΝ inscriptum, fide eorum retulit, qui eum sic exstare testati sunt. Verum enimverò, mi ARCHÆOPHILE, Numismata intuere, & Wildianum, & nostra. Judica, an vel minimum appareat Græcæ Literaturæ vestigium. BIATE legitur utrinque, non BIATΕΩΝ; in BIATE autem nonne omnes literæ Latinæ sunt? Negare non possum, subjecit ARCHÆOPHILUS, adeoque jam tecum sentire ordior. Facies, inquit DULODORUS, & reliqua audieris; Si enim ad flumen vel Urbem Messeniæ spectarent hi Nummi, non BIATE legeretur, sed BIANTE, à *Bias* enim sunt *Biantes*, uti ab *Abas Abantes*. Capio, inquit ARCHÆOPHILUS, & quò manus de Biatia Urbe, facit TEATE, de quo supra vidimus, inde enim etiam Biatiam *Biate* etiam facile conjecero. Non abs ratione, respondit DULODORUS, Graeci enim, notante Cluverio, non *Teate*, sed *Teatea* scribunt, unde planum est etiam Ptolemæum loco *Biate*, *Biatiam* posuisse, nisi Biatenorum hic legendum arbitreris, uti ab *Atropatia*, *Atropatenι*, apud Stephanum. Mutatio certe literæ I. in E. novi nihil est. Eadem in voce TEATE occurrit. Quæ *Teate* Poeta dicitur, ea *Tiati* legitur in Nummis. Cæterum hîc mirari subit, qui ad Graecæ Urbem doctissimus de Wilde respicere ausus fuerit, cùm tamen ruditas Numismatum, tantùm abest, ut tersissimo Græcorum artificio conveniat, ut Hispanicam potiùs barbariem ad oculum ostendat. Effigies vides distortis lineamentorum ductibus horridas: Equitem, pleno quidem cursu ruentem, sed nulla concinnitate spectabilem: Quid ipsa Numismata loquar? Mole se commendant, quatuor drachmas adæquantia, sed ex rudi massa percussa nil nisi rudes sæculum adumbrant. Ne sic quidem inutilia arbitreris; Servant enim memoriam Urbis in Hispania non postremæ. Servant memoriam equitatûs Hispanici. Servarent & Regis cujusdam, aut Herois, si nomen capiti huic adjectum foret.

Finierat DULODORUS, cùm vultu in lætitiam compositô PHILORMUS advenit. Is, adhuc, inquit Antiquitati vacare lubet, cùm tamen amœnior tempestas *Hortorum* delicias commendet, ipsaque hac in Electorali Aula se pandant, quos Viridarius Prœsti, vel ipsius etiam Alcinoi prætulerim. Externos vidi, inquit ARCHÆOPHILUS, & Aulicos negligere tanc piaculum to-

ret. Si Tibi videtur, DULODORE, PHILORMO obſequemur. Mihi domeſtica eſt iſta voluptas, reſpondit DULODORUS; Tibi autem, uti amœniſſimi ſpectaculi PHILORNUS author eſt, ita & dux erit, idque otio tantò faventiore, quantò major neceſſitas contemplationi noſtræ inducias imperat. Iter mihi ſubeundum eſt, quod aliquot menſium ſpatiô me confecturum ſpero. Ne Tibi interim deſit, quô Genium recrees, etiam *Armamentaria* Tibi videnda commendo; Ea enim non minorem confido voluptatem Tibi conciliatura, quàm poſſent vel cultiſſimæ Hortorum areolæ. Veneris, excepit ARCHÆOPHILUS, & Martis mihi videmini regna pandere. Fruar utriusque conſortio, donec ad antiqua Muſarum Scrinia redire dabitur. Dixit, & adjectis pro præſtita operâ, non exiguo cum verborum honore gratiis, DULODORO valedixit, & cum PHILORMO digreſſus eſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google